116


300

12 0/16

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
46 H
M28

f. 46. H. 28

C. 62. d.



C. 65. g.



SCOLASTICAE BIBLIOTHECAE

In Secundum Librum Sententiarum.

Tomus Primus.

8.Hb.H.28

IN QVO NON SOLVM SCOLASTICAE Disputationes, quæ ad uniuersam Creationis, & Angelorum tractationem spectant, acutissimè perpenduntur: Sed etiam Sanctorum Patrum dogmata, tanta cum eruditione describuntur; vt in hac Bibliotheca, innumerabilia doctorum volumina breui lector euoluat.

Opus non minus Sancti Dei verbi declamatoribus, quam ijs, qui Scolastica profitentur, summopere necessarium.

AVCTORE R. P. M. DANIELE MALONIO,
HIERONYMIANAE CONG.
In celeberrimo Bononiensi Gymnasio sacrarum litterarum Professore.

Cum triplici Indice locupletissimo.

CVM PRIVILEGIO.



Conuentus sanctæ Mariæ de scala

VENETIIS, M D XCVI.

Apud Florauantem Pratum, Expensis Gasparis Bindoni, & Horatij Zachariæ sociorum.

ILLVSTRISSIMIS
ALMAE VRBIS
BONONIAE
QVINQVAGINTA SENATORIBVS.



Frater Daniel Malonius. F. P. O.



ENATORIAM Quidem prouidentiam decet, non ſolum remp. armis decorare; ſed etiam legibus armare: at vniuerſum terrarum orbem ſapientiæ ſplendoribus exornare; bonis artibus inſtituere; virtutum ornamentis illuſtrare: & Regiæ, & Imperatoriæ maieſtatis eſt: Hinc veſtra, Senatores ampliſſimi, celſitudo ſplendeſcit, qui non ſolum vrbis veſtræ, optimis exculta legibus libertatem conſeruatis; verum etiam vniuerſum planè orbem ſolidæ ſapientiæ pabulo enutriendum ſuſcepiſtis. Vt cum maiores veſtri Bo-

nonienſem remp. armorum tractatione, rerumq. fortiter geſtarum amplitudine collustrarint: vos maiorum veſtrorum, & ingenitæ animi magnitudinis hæredes, ac gloriæ æmuli, vrbem veſtram ſapientiæ ſplendoribus expleatis; vt ſiue in armorum, ſiue in diſciplinarum cultura ægregia conſiſtat virtus, & armorum vſu, & diſciplinarum nitore illuſtre veſtrum nomen memoriæ conſecraretis, optimam partem cum magno illo Alexandro eligentes, qui cæteris ſe ſapientia, quam armorum potentia præſtare malle dicebat. Ideoque illud veſtra prudentia conſecuti eſtis, vt in toto terrarum orbe BONONIA DOCEAT. qui præſtantiſsimarum quarumcunque virtutum παιδαγωγίαν Bononiæ exciaſtis: dum toto terrarum orbe celeberrimum Bononienſe Gymnaſium, tam multis pecuniarum profuſionibus erexiſtis. in quo ſapientiſſimos quoſque Doctores, e varijs regionibus euocaretis. Vt inclyta ſapientiæ mater; virtutum excultrix; bonarum artium alumna Bononia, toto orbe clareſceret, vbique BONONIA DOCERET. Cuius ſplendoribus allectæ nationes exteræ, atq; immenſis

propemodum

propemodum terrarum tractibus distantes populi, ad Bononiæ magistræ papillas emungendas, ac sapientiæ lac exsuggendum, accurrerent. Atque cum sapientissimus ille Pythagoras mundum vniuersum publicum quoddam emporium dixerit, ad quod diuersarum coemandarum mercium causa, homines nascendo confluerent. verè optimarum mercium emporium Bononiam effecistis, in qua incomparabiles virtutum thesauri comparantur, atque inclytæ sapientiæ gemmæ, inæstimabili prætio possidentur. Cuius emporij celsitudo adeo emicuit, vt a sacrosancta Romana Sede amplissimo, ac munificentissimo Decretalium libro donatum sit: vt si prius Imperatoria aurei cycli largitione circumcinctum fulgebat augustius; nunc Pontificia largitione excellentius splendescens, sacri principatus diademate Imperatoriam maiestatem condecoraret. Equidem, dum tantæ vrbis gloriam mecum ipse perpendo, Bononiam vrbem singulari quodam Dei Optimi patrocinio Angelorumq; vigilantia, fultam esse conspicio. Quamquam enim vniuersus orbis, Angelorum præsidio gubernetur; acuratior tamen in ijs tu-

tandis

tandis urbibus Angelorum desudat industria, quarum gratior est Deo conseruatio. Atq; hinc factum est, vt ego, qui singulari vestro beneficio, in ornatissimo Bononiensi Gymnasio ad publicam sacrarum litterarum explanationem assumptus sui, grato pectore beneficij amplitudinem recolens, eius vobis plantulæ fructus, ac veluti primitias dicandas duxerim; quam vos in florentissimis tanti Gymnasii hortis, vestra manu plantastis, humanitatis vestræ aquis irrigastis, atque suauissima beneuolentiæ erga me vestræ aura fœcundam reddidistis. Sint igitur primi huiusce plantulæ fructus vobis dicati, in quibus Angelorum tractatio fuse sit explicata; vt qui Angelicum vrbes regendi onus, sustinent, ijs ego Angelorum præsidia auspicarer, auxilia deprecarer. Accipite igitur ea, qua præditi estis humanitate, hilari, ac serena fronte, vestris quidem meritis exile munusculum, magisque dantis animum, quam ipsum quod datur munus inspicite. Quod si vobis gratum esse perspexero, vberiora in dies singulos proferam, ac Deum Opt. Max. obnixe deprecabor, vt vos ad SS. Angelorum societatē extollat. Valete.

SACRAE THEOLOGIÆ CANDIDATIS LECTORIBVS.

Auctor Operis, Salutem.



Colasticam Bibliothecam in quattuor Petri Lombardi libros, Deo uotis meis propitius annuente, in lucem emissurus; ab hac tractatione de Angelis initium, eo potissimum consilio facere uolui; ut de ea, qua usus sum, tractandarum mearum disputationum ratione, stylo, ac methodo, placidum piorum lectorum, ad quorum commodum utilitatemquè tantus hic labor a me susceptus est, iudicium experirer. Sanè in hac de beatarum mentium natura tractatione, hoc accidit peculiare; ut cum Peripateticam subtilitatem maxime oleat, liberum etiam maxime cuique sit, quid ea in re magis placeat, quidve minus; quæ planior, quæ utilior disputandi ratio sit, aperire. Hoc igitur est consilium meum, ut antequam reliquos Scolasticæ Bibliothecæ tomos in lucem emittam, lecto-

rum

rum iudicium experiar; ut ad ipſorum placitum accommodata tractatio plurimum, tum ipſorum profectui, tum oblectationi conferat. Neque uero in tanta doctorum, ac ſcriptorum copia ſuperuacaneum cenſui laborem meum: imò maxime utilem, ac neceſſarium. Cum enim tanta ſit temporum noſtrorum fælicitas; ut aſſiduis recentiorum doctorum lucubrationibus, atque ſudoribus, Sacra Theologia noſtra tempeſtate maxime illuſtrata, atque amplificata ſit; uix tamen inter recentiores Theologos eſt, qui in eximios Petri Lombardi ſententiarum libros, ex quibus tanta promanat utilitas, ſcripſerit. qua in re, non mediocriter triſtari uidi diſcipulorum meorum plurimos. Noua nunc in Sacræ Theologiæ tractationibus ſcribendi ratio. Delectabantur antiqui trito illo, ſed nimis obſtricto ſcribendi genere; ut quacumque excitata diſputatione, tria in oppoſitum ſcriberentur argumenta, ſtatueretur concluſio, diluerentur argumenta. Nunc uero tam argumentorum ſubtilitate; quam in ijs etiam afferendis, quę de qualibet re Sacræ litteræ; Sacra Concilia; Summi Pontifices; Sancti Patres; Antiquior Eccleſiæ ſtatus; ac prima Eccleſiæ fundamenta, ac lumina cenſuerint, recentiorum doctorum deſudat induſtria. His enim ueluti ſplendiſſimis gemmis Theologica diſciplina

clareſcit

clarescit. Aptior hæc est de Theologicis rebus disputandi ratio, ut cum fides sit ex auditu, maxime etiam ijs quæ sunt prima fidei fundamenta ea innitatur, quæ de fide est disputatio. Neque uero existimet quis, me de antiquorum Theologorum excellentia, ac dignitate quicquam uelle detrahere, quorum ego doctrinam non solum approbo, sed etiam, & suspicio, & admiror. sed id tantum addo, quod cum ipsi Scolasticę Theologię fundamenta iecerint, ędificium extruxerint, huic amplissima ornamenta recentiorum Scolasticorum appinxit industria. Atque hinc factum est, ut recentiorum Scolasticorum scripta non solum ijs, qui Scolasticis disputationibus oblectantur; sed propter uberrimam Sanctorum Patrum, qui uiua Dei templa fuerunt eruditionem, etiam ijs, qui concionibus operam nauant, plurimum afferant utilitatis. Quare nunc apud eruditos, Classicosque Theologos uix laudatione digna censetur esse tractatio, quam Sanctorum Patrum doctrina non exornat, auctoritas non commendat. Ideoque ea in re non mediocriter desudaui, ut non solum Sanctorum Patrum mentem, ut cumque aperirem; sed etiam uberrimas eorum sententias, totidem uerbis describerem; ut hoc unico opere lectitando, innumerabiles penè libros breui lector euolueret. In quo qui-

b dem

dem opere contexendo, potuissem quidem cultioris, ac politioris linguę lenocinio, lectorum animos oblectare; At libuit magis in re graui, grauissimorum Patrum Hieronymi, Augustini Gregorij consilia sequi, ac planiore, & ad intelligendum accommodatiore stylo uti. Vsus sum etiam perstricta admodum breuitate, neque enim iam exercitato, atque in Phylosophicis disciplinis diligenter exculto lectorum ingenio, opus censui, singula uerbatim describere; & non magis perspicaci ingenio plures deducendas conclusiones reseruare hoc enim, & lectoribus utilius, & breuitati mihi propositæ, qua tantopere lectores oblectari solent, censui congruentius. Valete.

Frater



Rater Cæsar Gussagus. Sacræ Theologiæ Magister, ac Sac. Ordinis Sancti Hieronymi de Fæsulis Præpositus Generalis. Admodum R. P. M. Danieli Malonio, In Bononiensi Gymnasio sacrarum litterarum publico professore, Salutem. Cælestis illa nos excitat cohortatio; ut in doctrinis glorificemus Dominum. Hinc est, quod pro iniuncto nobis a Domino regiminis onere, subditos nobis filios, quantum in nobis est ad litterarum ornamenta incitare contendimus; eosque maximo amore prosequimur, qui ita sapientiæ laude claruerunt; ut non solum sibiipsis, sed etiam alijs, tum uiua uoce, tum etiam scriptis, eruditis sapientiæ splendoribus elucescunt. Ideo cum te conspicuis eruditionis ornamentis decoratum cognoscamus, uehementer non solum hortamur, sed etiam ad salutaris obedientiæ meritum præcipimus; ut seruatis quæ Sac. Tridentina Synodi decreta de librornm editione præscribunt, Scolasticam Bibliothecam, a te, summo labore, in magistrum Sententiarum confectam, quamprimum typis mandare præloque subijcere festines. In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen. In quorum fidem, &c.

Datum Bononiæ. Die 5. Ottobris 1595.

Locus sigilli.

Idem qui supra Magister Cæsar Gussagus Generalis.

INDEX AVCTORVM, EX

Quorum doctrina præsens opus compactum est, ex quo prudens lector aduertet non incongrue hoc opus Scolasticæ Bibliothecæ titulo esse decoratum.

S. Cle-

Hugo

Hugo de S. Victore.
I
S. Ignatius Martir.
S Ioannes Chrysostomus.
S.Ioannes Damascenus.
S.Irenæus.
S.Isidorus.
S.Iustinus Martir.
Innocentius III. Papa.
Innocentius VIII. Papa.
Iacobinus Bargius.
Iacobus Simancas.
Iacobus de Valentia.
Iacobus Naclantes.
Iamblicus.
Ioannes Altenstaic.
Ioannes Arboreus.
Ioannes Bacconus.
Ioannes de Bassolis.
Ioannes de Combis.
Ioannes Bononiensis.
Ioannes BoKinKam.
Ioannes Driedo.
Ioannes Duns Scotus.
Ioannes Garetius.
Ioannes Gerson.
Ioannes Gropperus.
Ioannes Hentennius.
Ioannes Maior.
Ioannes Nyder.
Ioannes Montholonius.
Ioannes a Turrecremata.
Ioannes Viguerius.
Ioannes Picus Mirandulanus.
Ioannes Echius.
Ioannes Baptista Folengius.
Ioannes Baptista Gellus.
Iodocus Clictouæus.
Iosephus Flauius.
Ioseph Angles.
Iulius Syrenius.
Iulianus Toletanus.
Iulianus Valerianus.
L
S.Laurentius Iustinianus.
S.Leo.
Lactantius Firmianus.
Landulphus.
Laurentius Surius.
Laurentius Opimus.
Ludouicus Carbo.
Ludouicus Granatensis.
Ludouicus Molina.
Ludouicus Viues.
Lyndanus.
M
S.Martialis.
Marcus Antonius Zimara.
Marcus Marinus.
Marsilius de Inguen.
Marsilius Ficynus.
Matthæus Palmerius.
Methodius.
Meffret.
Melchior Canus.
Michael de Medina.
Michael Palacius.
Malleus Maleficarum.
Milo Eluonensis.
N
Natalis Comes.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus de Nyse.
Nicolaus Triuesius.
Nycætas Sertorius.
Nylus.
Nycephorus.
O
Origenes.
Orosius.
Ossius Stanislaus Cardinalis.
S.Petrus Chrysologus.
S.Polycarpus.
S.Prosper.
Pantaleon diaconus.
Paulus Cortesius.
Paulus Soncinas.
Paulus Grisaldus.
Paullus Grillandus.
Paulus Manutius.
P
Pelbartus Themessuar.
Petrus

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Se-

Distinctio III. 89

Distin. IX. 385

Distinctio X. 411

INDEX LOCORVM SACRAE Scripturę, qui in hoc opere explicantur ad concionatorum commodum.

Genesis.

Daniel.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

De

Rationale

Finibus omnium Tabularum.

ERRATA PRÆCIPVA SIC CASTIGANTVR.

Prior numerus paginam, ſecundus lineam, l. quid legendum ſit indicat.

1.5. Quare l. Quæ. 4.10. futuris l. ſummis. 9.12. eum l. cum. 10.25. generationem l. creationem 25.20. credendum l. creandum. ibid. 34 poſuiſſet l. potuiſſet. 28.1. conſiderat l. conſiderata. 35.9. ſatisfit. hoc abradatur. 37.9. appoſita l. oppoſita. 39.15 μιγέρερενος. l. μεγάθρεμενος 60.20 exatiſſimam l exactiſſimam. ibid 38 dicabant l. dicebant. 73 1. Zoachimi l. Ioachimi. ibid 35. prioſitatis l. prioritate. 75.1 putabit l putauit. 100.34 Duo l. Deo. 102. 29 ex lectione l ex electione. 111 41. natuna l. uatuta. ibid. 45 ita moralis ut mori non poſſit l. ita mortalis ut mori non poſsit 129.16. ſicuoſa calidıtate l. ſinuoſa calliditate. 196. 35 aperiri l. sperire. 200.12. fuerit l fuerint. 229 11. factu l. faſtu. 247.39. creatus l. creatos. 276.41. ita leges. ſimul cum hoc habitu infuſo dicit manere etiam habitum fidei acquiſitum per actus, quibus dæmon aliquam ueritatem ſupernaturalem cognouit; hunc autem habitum dicit manere in dæmonibus quatenus illuminat intellectum non quatenus mouet affectum. Hanc ſententiam &c 297.35. ſubſter l ſubter. 305 31 legationem l. ligationem. 312.16 Agimus l. Egimus 331.14. Taraſcius l. Thalaſsius. 415 6. ſedalis l. ſed aliꝗ. 417 25 πνεύματι l. πνεύματι. 424.46. Meatphraſtem l. Metaphraſtem. 462 2. uiuere l uincere. 463.43. giaudius l. gladius. 464.4. Sanatas l. Sathanas.

F. DANIELIS MALONII HIERONYMIANAE CONGREGATIONIS.

In Secundum Lib. Sent. Disputationes.

DISTINCTIO PRIMA.

Creationem rerum, &c.

EXPONITVR INTENTIO MAGISTRI.

CONNEXIONEM secundi huius libri Sent. cum primo libro, satis claram, atque conspicuam reddunt verba Magistri, cum dicit: Quare ad mysterium diuinæ vnitatis, atque Trinitatis, licet ex parte cognoscendum pertinere noscuntur, quantum valuimus diligenter executi sumus: nunc ad considerationem creaturarum transeamus. Quam connexionem alij sic explicant. Postquam Ma-

gister egit in primo Sent. de Deo, prima rerum omnium causa, atque principio: In hoc secundo agit de ijs, quæ ab hoc principio promanarunt. Alij vero sic. Cum in prima distinctione primi libri Magister sibi agendum proposuisset de rebus, & signis: Rerum autem alias esse docuerit, quibus est fruendum; alias quibus est vtendum: Cum de ijs quibus fruendum sit, hoc est de Deo Optimo Maximo egisset in primo; nunc de ijs tractare incipit quibus sit vtendum, scilicet de creaturis, in quibus conditoris maiestas elucescit. Et quia creaturæ a summo conditore Deo, per creationem emanarunt, ideo etiam de creatione prius agit, quam dicit esse productionem rei ex nihilo, & a factione distinguit, quæ est rei alicuius ex externa materia productio: docetq; Deum in creando, nullam in se mutationem esse perpessum; sed mutationem omnem in sola creatura esse receptam. Vtraque connectendi ratio bona est, imo vnica tantum est diuersis verbis enunciata connexio, primus tamen connectendi modus mihi magis placet.

De

De nobilissima igitur creatura, scilicet de rationali, primo loco agendum esse docet, quam duplicem esse dicit, Angelicam scilicet ab omni corporeæ molis labe seiunctam; & intellectualem animam, quæ corpori vnita, mysterium nobis beatæ vnitionis animæ ad Deum figuret.

Causam productionis creaturarum, docet solam esse Dei bonitatem. Quod si homo, ad Angelorum ruinam reparandam conditus dicitur, non ita debet intelligi, quasi occasionaliter homo conditus sit. Quasi vero nisi Angelorum ruina præcessisset, condi homo non debuisset. Sed quia quod propter se creandum erat, facta in Angelis ruina, ordinatum est, vt Angelicæ ruinæ scissuras apte reficeret.




DISPVTATIO I.

De creatione.

SECTIO I.

Quid sit creatio.

Creatio & conditio non nisi in magnis operibus usurpantur.



ANCTISSIMVS, idemque eruditissimus Catholicæ Ecclesiæ splendor Hieronymus, lib. 2. Commentariorū in Epist. ad Ephes. cap. 4. tractans illa verba: Qui secundum Deū creatus est. Considerandum inquit est, quia creatio, atque conditio, nunquam nisi in magnis operibus nominetur: Verbi causa, mundus creatus est, Vrbs condita est. Domus uero quamuis magna sit, ædificata potius dicitur, quam condita, vel creata. In magnis enim operibus, atque futuris, verbū creationis assumitur. Vnde optime insignis ille Poeta canit.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Creatio sæpe pro generatione accipitur.

Porro creationis nomen interdum propriè, interdū Metaphoricè, & apud sacras literas, & apud sanctos Patres; & in cōmuni etiam modo loquendi accipitur. Interdum enim creatio pro generatione accipitur: quæ enim genita sunt, creata dicuntur, & è cōtra, quę creata sunt, genita esse dicuntur. Ita docet, & ex scripturę testimonijs Athan. ser. 3. contra Arrianos. Cyrillus Alexandrinus, lib. 5. thesauri, ca. 4. & 6. Epiphanius, hær. 73. Hiero. in c. 4. Ephes. Hilarius, lib. 4. de Trinitate. Ideo ex eo qd scriptura uerbis interdum abutitur, tradunt sancti Patres regulas explicandi scripturas, ut non res uerbis, sed uerba rebus accommodentur. Epiphan. hæresi 55. & 77. Chrysost. hom. 21. in Genesin, quas regulas accuratissimè colligit Georgius Ederus lib. 1. partitionum Theologicarum, & in cōmuni et sermone apud Italos, pueri parentū suorum creaturæ dicuntur. Secundò sumitur creatio metaphoricè, pro promotione ad eximium aliquod dignitatis fastigium: ita dicimus creari Reges, Imperatores, Pontifices, & S. R. E. Cardinales creaturas se eorum Pontificium uocant, à quibus Cardinalitio honore decorati sūt. In hac acceptione monet S. Hieron. in cap. 4 Ephes. accipi illud Apostoli: Nouum hominem qui secundum Deum creatus est; ideo regenerati propter eximium dignitatis per baptismum acceptæ gradum, appellantur nouæ creaturæ,

turæ,iuxta illud:in Chriſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid ualet,neque preputium, ſed noua creatura. & illud, Vt ſitis in Chriſto noua creatura, non in figmentum.

Propriè autē ſumpta creatio, dicitur productio entis ex nihilo.ita D.Tho.1.par.q.45.art.4.Dicitur productio,hoc.n.cōmuniter omnes audito nomine creationis concipiunt,emanationē,& productionē alicuius rei. Dicitur entis,bene notat S.Thomas, illud quod uerè & propriè creatur,eſſe ſubſtantiam,quia ſubſtātia uerè,& propriè,& ſimpliciter eſſe dicitur,ut patet ex Ariſtotele,tum alibi,tum precipuè lib.1.phyſ.tex.26.27.28.1.de Gen. & Cor.tex.11. Ideo 4.met.tex.2.& 3.explicans analogiam entis, dicit.Accidentia ideo eſſe entia,quia taliter entis. Quare accidentia potius,uel in creari uel concreari dicuntur. Creatio propriè quid ſit.

Dicitur ex nihilo,hoc.n.illud eſt per qđ a cæteris productionibus creatio deſtinguitur.Cyrillus Alexandrin.li.5.Theſauri,ca.4. Ea creari dicūtur,quæ ex nihilo ad eſſe producuntur. Damaſ.li. 2.de fide orthodoxa, cap. 3. Ipſe Angelorum factor, & opifex Deus eſt, ipſos ex nihilo ad eſſe deducens, ad propriam illos creans imaginem. Gregorius libr.16.Moral. cap.16.ideo docet plus eſſe creari quod nō erat, quam reparari quod erat,quia illud eſt ex nihilo.Idem,lib.6.Moral.cap.7. Idem docet Auguſtinus,li. 2.contra Iulianum, & lib.contra Felicianū,cap.7.Epiphan.hęreſi 23.& 24.Theodoretus,Epitome diuinorum decretorum, cap. de creatione. S.Bernardus,lib.5.de Conſideratione.

Hoc autem ex nihilo,uariis modis intelligi poteſt, quia particula, Ex,multarum cauſarum habitudinē dicit, ideo circa hoc nonnulli decipiuntur.

Primo poteſt intelligi fieri ex nihilo, tamquam ex efficienti, ut ſit sēſus,quod illud quod nihil eſt,creet aliud:& hic ſenſus falſiſſimus eſſet.Efficiens.n.ut efficiens, debet neceſſario eſſe actu extra ſuas cauſas. Fieri ex nihilo,quot modis accipiatur.

Secundo poteſt accipi: Ex nihilo eius quod producitur, ut illa particula, nihil, neget terminum ſcilicet eſſe reale eius,qđ producitur,antequam producatur, ut ſit ſenſus:illud quod nullum eſſe reale actu habebat,creatur,& hic ſenſus eſt quidē uerus,ſed non eſt ille,quem definitio explicare intendit: quia etiam illud quod uel per generationē uel per alterationem producitur, ex nihilo hac ratione producitur.

Tertio, Vt negetur eſſe potentiale rei qđ producitur, & hic sēſus eſt falſus. imo neceſſariū eſt, ut illud quod creatur in potētia ſit,non quidem ſubiectiua,& Phyſica, ſed obiectiua, & obedientiali.

Quarto,Vt negetur duplex eſſe eius quod producitur, nō ſolum reale,ſed etiā intentionale,& intelligibile, & hoc etiam eſt falſum: quia S.Auguſt.ijs quæ in orbis productione fiebant,duplex

plex esse intelligibile attribuit, in Verbo, & in intellectione Angelorum.

Quintò, Ex nihilo, ut a termino a quo, & sic sensus est quidem uerus, sed non est intentus in hac definitione, quia non est illud quòd creationis est proprium: nã etiam illa quæ naturaliter fiũt, fiũt ex nihilo, ut termino a quo: quia scilicet fiunt ex priuatione quæ substantia est, negatio, & non ens.

Fieri ex nihilo quomodo sit accipiẽdũ in definitione creationis.

Sextò, Ex nihilo tamquam ex subiecto, ut sit sensus, illud ꝙ creatur, non fit ex aliqua præexistente materia, neque præsupponit aliquã materiam ex qua fiat, sicut ea quæ naturaliter fiunt, sed fit ex nihilo: quia independenter à materia fit, ut subiecto, licet entia materialia quę creantur, materiam includant: sed non ut subiectum ex quo fiant, sed ut principium, & partem, qua componuntur. Et hic sensus est ille quẽ Patres intelligũt, quod acutissime explicauit S. Hieronymus libr. 2. in cap. 1. epistolę ad Ephes. elucidans illa uerba: Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi. Pro constitutione mundi, inquit in Græco scriptum habetur καταβολῆς τοῦ κόσμου. Non ipsum autẽ καταβολῆ, ꝙ constitutio sonat; Vnde & nos propter paupertatem linguæ, & rerum nouitatem, & sicut quidam ait, quod sit Grecorum & sermo latior, & lingua fęlicior, conabimur non tam uerbum transferre de uerbo, quod impossibile est, quam uim uerbi quodam uerborum explicare circuitu. καταβολῆ proprie dicitur, cum quid deorsum iacitur, & in inferiorem locum mittitur de sublimi; uel cum aliqua res sumit exordium. Vnde & hi qui ędium futurarum prima iaciunt fundamenta καταβεβλῆσθαι. idest deorsum initia fundamentorum iecisse dicuntur. Volens igitur Paulus ostendere quod Deus uniuersa sit machinatus ex nihilo; non conditionem, non creaturam, atq; facturam, sed καταβολήν, idest initium fundamenti, ad eum retulit non ut (iuxta Manichęam, & cęteras hęreses, quæ factorẽ, & materiam ponunt aliquid, unde creaturę factę sint,) antecesserit creaturas, sed omnia ex nihilo substiterint.

Encomium Græcæ linguæ.

SECTIO II.

Vtrum creatio sit mutatio.



Atio dubitandi est: quia in definitione mutationis ponitur materia; hæc. n. ex Aristotele lib. 5. Physic. tex. 7. mutationis colligitur definitio. Mutatio est transitus alicuius ex quodam in quiddam; hęc autem definitio hac ratione communiter à Doctoribus explicatur. Est transitus alicuius scilicet materiæ, quæ est subiectum

biectum transmutationis, ex quodam, ut termino à quo, quæ est priuatio, in quiddã, scilicet in terminum ad quem, qui est forma; At in creatione nulla reperitur materia, saltem ut subiectum, licet cõcurrere possit ut terminus ad quem, ipsius creationis, non igitur uidetur creatio dici posse mutatio.

Ex alia parte uix possumus creationem absq; mutatione aliqua concipere.

Creatio dupliciter.

Pro conciliatione dubitationis sciendum est, quod creatio dupliciter sumi potest. Primo, quatenus creatio, est actio Dei, inexistens in ipso Deo, & hac ratione creatio, sicut & quælibet alia actio Dei, identificatur realiter cum ipso Deo, & est ipsamet substantia Dei, nullamque mutationem includit. Secundo, potest considerari quatenus terminatur ad creaturas quæ per creationem de non esse traducuntur ad esse; & hac ratione mutationem dicit, quæ tamen mutatio nullo modo in Deo, sed solum in creaturis recipitur: posset satis commode creatio primo modo sumpta dici creatio actiua, secundo modo sumpta, posset dici creatio passiua. Hæc igitur mutatio illa est, de qua est disputatio.

Creatio quomodo mutatio dici possit.

Sciendum igitur est, quod si proprie sumatur mutatio pro physica mutatione, qualem Aristoteles definiuit ubi supra, creatio nõ est mutatio, sed aliquid supra mutationem. Si uero mutatio, paulo latius sumatur, pro quolibet transitu, quo aliquid, uel de non esse ad esse traducitur, uel aliquid in substãtiam alterius trãsit, ut in transubstantiatione accidit, sic & creatio & transubstantiatio mutatio dicetur, non quidem physica seu naturalis, sed supranaturalis, omnique physica mutatione nobilior.

Erroneum est ponere aliquid reale quod neque sit creator neque creatura.

Obijciet fortasse quis nobis ex doctrina eruditissimi Dominici Bannes in commen. 1. par. D. Tho. q. 45. art. 4. Si creatio esset mutatio, sequeretur esse aliquod reale mediũ inter Deum creantem, & creaturam, quod neque sit Deus, neque creatura, creatio enim creatura esse non potest: quia ipsa creatio non creatur, quia per aliam creationẽ deberet creari, & illa per aliam, quare daretur processus in infinitum; Neque etiam potest esse creator, quia creatio non creat, sed est id, quo aliud creatur. Ponere autem hoc ens medium, inter Deum & creaturam, quod neque sit Deus, neque creatura, communiter a Theologis reputatur erroneum, ut etiam docet S. Thomas de potentia q. 3. art. 3. in corpore. Sed respondeo, negando sequelam maioris: nam etiam D. Tho. ubi supra, uocat creationem mutationem, licet non ita proprie sumpta notione mutationis Ad probationem igitur sequelæ respondeo, quod si accipiatur creatio prout est actio Dei realiter identificata cum ipso Deo, tunc non est quid medium inter creatorẽ & creaturam, distinctum ab ipso creatore, sed omnino idem est cum creatore. Si uero creatio sumatur quatenus

nus ad creaturas terminatur, tunc est quidem aliquid medium inter creatorem & creaturam, quia per ipsam creationem creatura accipit esse, sed tunc creatio non erit a creatura distincta, sed ex parte creaturę se tenebit ut modus illius, per quem esse accipit. Et hac ratione euitatur illud absurdum, quod ipsa creatio sit creatura, ideo per aliam creationem producta; & illa creatio rursus per aliam, & sic in infinitum. Quia licet creatio non sit creatura, ut ipsius creationis terminus, est tamē creaturę modus intrinsecus, quare ab esse creato separanda non est, sed cum ipso accipienda. Neque hoc cuipiam mirum uideri debet: est enim hoc commune omnibus ijs modis, quibus res fiunt, uel esse incipiunt, ut patet in generatione, quæ non generatur, sed est modus intrinsecus rei genitę, ita motus nō mouetur, sed est intrinsecus modus rei mobilis, quo mobile ipsum mouetur. Idem de mutatione dici posset. Ecce igitur inter generantem & genitū, media intercipitur generatio, quæ neque est generans, neque genita, quia per aliam generationem debeat esse genita, & illa per aliam, & sic in infinitum. Idem dicas de motu & mutatione. Neque obijcias rursus, nō esse hoc absurdum in creatis rebus, quod aliquid mediet inter generantem, & genitum, esse autem absurdum in Deo: Nam etiā in Deo idem deprehēdimus. Generatio enim passiua media est inter patrem, & filium, quę tamen neque est pater, neque filius, neque est genita, neque ingenita, quia licet generatio passiua non sit filius, tenet tamen se ex parte filij, quia est id, quo filius nascitur, licet deinde per summam Dei simplicitatem idem sit quòd filius. Ita igitur de creatione passiua, idem dicatur; ipsa quidem non creatur, sed est id, quo creatura, creatur, nō est creatura, sed est intrinsecus modus creaturę, & est quidem media inter Deum & creaturam, tamen tenet se ex parte creaturę, tamquam intrinsecus modus illius.

Egregia doctrina de modis quib. res fiunt.

DISPVTATIO II.

Necessariò admittendam esse creationem.

A Deo clarè & apertè creationis sacrę literę meminerunt, ut nullus fidelibus de creatione dubitandi locus relictus sit. A creatione namque sacræ scripturæ traxerunt exordium. In principio creauit Deus cœlum & terram, & infra: Creauit Cete grādia. & paulo post: creauit hominem. Psal. 32. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. & alibi: Aquilonem, & mare tu creasti. In primo etiam fidei articulo, iure optimo a sanctis

Apostolis

Apostolis creationis mentio facta est. Creatorem cœli, & terræ & in Conc. Lateranensi sub Inno. III. Creator omnium Deus &c.

Ex gentilibus tamen Philosophis uix fuit, qui creationem agnouerit. Quamuis enim paulo curiosius contendant aliqui, a Platone agnitam fuisse creationem, etsi eam proprio nomine non nominauit, sed pro creatione generationē usurpauerit, tamen pro eadem inquiunt, generationem, ac creationem accepit, ut generari idem esset, quod creari, quod etiam supra ostendi apud Sanctos Patres satis frequenter esse factitatum, Ita Eugubinus lib. 1. de perenni Philosophia, capit. 16. & lib. 3. capit. 15. Imo lib 2. cap. 16. adeo Platonem supernaturalibus fidei nostræ radijs collustrare contendit; ut cum Plato, primum & secundum creatorem, quare duos creatores uelut unum nominarit, eum dicat, idē docuisse quod canit Ecclesia, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, uisibilium omnium; & inuisibilium, Deinde, inquit, inducēs creatorem secundum, filium Dei unigenitum, per quem omnia facta sunt &c. Fateor equidem (liceat hic mihi nō nihil ab instituto meo digredi) non possum absq; stomacho, quædam interdum apud quosdam alioqui sapiētissimos, vereq; classicos doctores legere: ita persæpe gentilitijs lectionibus addicti sunt, ut parum sit, eos adumbratam quandam cognitionem, quorundam mysteriorū, quæ in Christiana religione prædicantur tribuere, quæ sæpe philosophis concedi potest, lectitarunt enim sacras literas, neque ullo umquam tempore abbreuiata fuit manus Domini; sed præcipuorū ēt mysteriorum clarissimam, maximeque explicitam notitiā eis ascribere conantur, eorum, quæ non nisi per fidem intelligi possunt, & quorum notitiam illis expresse Sancti Patres denegarunt. Magnum certe quid se facturos arbitrantur, si gentilium sententijs uiolenta quadam ratione extortis, omnia Christianæ pietatis dogmata confirmare possint. Ego uero hoc ipsum censeo, illud esse, qđ sacræ literæ altiore quodam, quā verba præseferant, sensu, improbarunt. Deut. 22. Non seres uineā tuam altero semine, ne, & sementis, quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur: ita. s. sanctificare Platones, Orpheos, Iamblicos, Trismegistos, cum sanctæ fidei Patribus elaborant, & illud: Non arabis in boue, & asino, & illud non indueris uestimento, quod ex lino, lanaque contextum est, scilicet cum Sanctis Patribus Christianæ pietatis iugo assuetis gentilem indomitum coniugare cēseo esse arare in boue, & asino. Bene Theologum monuit Salomō Prouer. 5. dicēs: Bibe aquā de cisterna tua, lege q̄ hac de re scripsit Sanctus Hieronymus epistola ad Paulinum de omnibus diuinæ historiæ libris, & Sotum in 4. sent. quæst. 1. art. 5. in fine. Neque uero suspicetur quis, me illud uelle reprehendere, si quando philosorum placitis, uel gentilium historijs, uel sententijs Theologicæ tractiones conspergantur. Scio, & hoc Apostolum rarissime fecisse, sed ea in re nimis esse curiosum, superstitio

Creationē gētiles nō agnouerūt uel saltem nō admiserunt.

Digressio.

Quid sit arare i boue & asino & indui uestimēto ex lino & lana contexto.

B suni

ſum arbitror, ſcilicet, ut ne quid nimis, ſed reuertamur ad nos. Beſſarion Cardinalis lib. 1.contra calumniatores Platonis, cap.1. dicit, non ſolum Platonem agnouiſse creationem, ſed etiam demonſtraſſe mundum eſſe creatum, & hanc dicit eſſe Platonis in Thimeo demonſtrationem. Cœlum uideri,& tangi poteſt corpore etiam conſtat. Quod eſt hmôi ſentiri poteſt, poteſt etiam opinione cum ſenſu percipi, quod autem huiuſmodi eſt, generatum eſt, Hanc autem demonſtrationem dicit hunc ſenſum habere. Vere ens eſt,quod intelligentia cum ratione cognoſcitur, Quod autem eſt generatum,id opinione cum rationali ſenſu cognoſcitur, quod huiuſmodi eſt, ab aliqua cauſa ortum habet, Ergo mundus eſt creatus,& lib.2.cap.5.dicit etiam Orpheum uoluiſſe mundum eſſe genitum,cum dixit. A tēpore ætherem,& Chaos effluxiſſe; Tempus etenim pro æuo accipiebat. Plotinus lib. 2. de doctrina Platonis cap.1.dicit, Plato expreſſe ponit mundum quidem eſſe a mente,ipſam tamen mentem, non tempore,ſed natura præcedere, Imo id ipſum de Platone dixiſſe uidetur Ariſtoteles, qui lib.8. phyſic. tex.10. dicit:At vero de ipſo quidem tempore, præter unū concordes eſſe uidentur omnes, ingenitum enim eſſe dicunt. Et propter hoc Democritus mōſtrat, quod impoſſibile eſt omnia eſſe facta, tempus enim ingenitum eſſe, Plato uero ipſum generat ſolus,ſimul enim ipſum cum cœlo factum eſſe, Cœlum autem factum eſſe ait. Hæc Ariſtoteles. Lege Eugubinū ubi ſupra,qui hoc dogma perenne fuiſſe confirmat, Conantur nonnulli perſuadere nobis,etiam ab Ariſtotele cognitam eſſe generationem, neq; tantum cognitam, ſed etiam conceſſam eſſe mūdi generationē,quia in opuſculo de Xenocrate,Zenone,& Gorgia, ſoluens quoddam Xenocratis argumentum,qui ita philoſophabatur,Oportet mundum eſſe æternum,quia ex nihilo nihil fit,habet hæc uerba. Nihil fortaſſe conuenit, ut huic dogmati acquieſcamus, quod nihil ex nihilo fieri ſtatuit,quippe cum una quædam ex non rectis,hæc opinio ſit. Quid clarius?

> Demonſtratio Platōis quod mundus ſit creatus, qualiter ſit intelligenda.

Sed tamen re uera nec Ariſtoteles,nec Plato creationem agnouit. De Ariſtotele quidem res certiſſima eſt, Quia ſemper hoc tamquam primum principium ſtatuit, quod ex nihilo nihil fit, ita 1.phyſico.tex.33.& 34.lib.3.de cœlo tex.35. In eo autem opuſculo patet expreſſe Ariſtotelem diſputationis gratia eſſe locutū.Quamquam,& alij negant,opuſculum illud eſſe Ariſtotelicum.

Quod autem ad Platonem attinet, Certum quidem eſt eum poſuiſſe mundum eſſe genitum in tempore; ut ſupra allata teſtimonia probant.At per generationē,non intellexit creationem, Quia Plato materiam primam poſuit æternam, & ex ipſa in tempore docuit factum,& genitum eſſe mundum, ita expreſſe Sanctus Athanaſius,lib.de humanitate Verbi initio.Vbi etiam Platonem in hoc maxime reprehendit. Sanctus etiam Epiphanius.lib.1.cōtra hæreſes hæreſi 6.docet Platonem interdum quidem docuiſſe materiam

teriam a Deo esse, & a potentijs secundis esse factam; sed postea hanc suam sententiam destruxisse, & materiam æternam posuisse. Quibus tamquam eruditissimis, ac sanctissimis Patribus, & græciæ alueo clarissimis, Orientalis Ecclesiæ columnis; magis quam omnibus recentioribus credendum censeo. Lege Ludouicum Viues in comment. in cap. 28. lib. 7. de Ciuitate Dei.

Cæterum quicquid sit de mente Philosophorum, Rationibus tamen naturalibus cognosci potest creatio. quod probatur.

Primo ex ea ratione, qua utitur ad hoc probandum S. Thomas lib. 2. contra gentes cap. 16. Si ea, quæ facta sunt, non ex nihilo, sed ex aliquo facta sunt; illud, ex quo alia facta sunt; uel ex nihilo; uel ex alio factum est: si ex nihilo, iam habeo intentum, est enim creatum. Si ex alio, iam eodem modo quæram de illo: an ex nihilo, an uero ex alio factum sit. Quare cum non sit dare processum in infinitum, tandem ad aliquid deueniendum erit, quod ex nihilo factum sit, quare necessario dabitur creatio.

Huic argumento sentio dupliciter posse rnderi primo quod non sit absurdum, maxime in uia Aristotelis dari progressum in infinitum, quoad entium productionem, & seriem causarũ, cum Aristoteles mundum æternum posuerit. Secundo dari materiam primam, quæ sit æterna, ideo appellari primam, quia ex nulla alia sit, ideoque ingenerabilem, & incorruptibilem. At utraq; responsio facile euerti potest. Et prima quidẽ sic, quia Aristoteles primo physico. a text. 6. usque ad 41. hanc infinitarum causarum subordinationem contra antiquos disputans impugnauit, Præterea secundo libro Metaphysices tex. 3. 4. & 5. ex professo probat, absurdum esse progressum in infinitum in entium productione. Ita. n. habet. At uero quod est principium aliquid, patet, neque enim infinitæ sunt entium causæ, neque in rectum, neque secundum speciem. Neque enim ut ex materia, hoc ex hoc potest ire in infinitũ, ut carnem ex terra, terrã ex aere &c. Quid igitur in Aristotelis doctrina clarius? secunda responsio euertetur hoc argumento. sit ergo

Secũdum argumentum. Si quid impedit, quominus creatio sit admittenda, maxime erit, quia datur materia prima, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, ideoq; æterna; sed hoc est aperte falsum, quia etiam ipsam materiã creatã ponere debemus ergo Minorem probare quidem possem ex sacris literis, ex quibus cõstat, omnia esse creata, possem ex Patrum testimonijs, alijsque Theologicis argumentis confirmare, At hic ratione naturali tantum agendum est, minorẽ ergo ratione ostendo. Quia materia prima, licet sit ens imperfectissimum, tamen secundum communiorem sententiam habet actum quendam entitatiuum, cuius uirtute ne re, & proprie est extra suas causas, & extra nihil, neque ullus est, qui hanc materiæ entitatem sic explicatam neget, licet de nomine contendant non esse dicendum actum entitatiuum. Hoc igi- *Materiam primam esse creatã quõ probetur.*

Materia prima hēt actū entitatiuum.

tur ens, quod est materia, uel est primum ens, uel non, primum ens esse non potest, quia illud est solus Deus, sed si non est primū, dependet a primo, quia in uno quoque genere est aliquod unum, quod est causa cæterorum secundo metaph. text. 4. & 1. post text. 5. Ita igitur etiam in genere entis, primum erit causa cæterorum. Hoc autem ens non erit, neq; per generationem, neq; per mutationem, neque per motū, quia ista præsupponunt materiam, ergo erit per creationem, quia nullus alius superest modus. Dices erit per simplicem emanationem. Contra, nam uel hæc simplex emanatio, est per aliquod subiectū, seu ex aliquo subiecto, uel non, si non est creatio, si ex aliquo subiecto, iam peto de illo, an sit ex alio, & rursus in eadem supra confutata absurda reuoluemur,

Verū vero non repugnat iō oīa argumenta philosophorum contra fidei dogmata sūt solubilia.

Tertio. Naturaliter cognoscimus animam rationalem esse immortalem, hoc enim, & Aristoteles docuit, & Plato, & sacrum Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. docet, omnia philosophorum argumenta contra immortalitatem, uel plurificationem animarum esse solubilia, quia uerum vero non repugnat. Naturaliter etiam cognoscimus rationalem animam, eo ipso, quod spiritus est, non educi ex materia posse, ideo Arist. lib. 2. de Generatione animalium capit. 3. dicit sola igitur mens deforis aduenit, Restat igitur ut per creationem sit. Nec dicas eam æternam esse, nam naturaliter cognosci potest, formas non præexistere ante compositum, quod etiam Aristot. cognouit, ideo lib. 12. met. 15. 16. 17. irridebat Platonem animas æternas facientem.

Vltimo substantiæ immateriales, ut intelligentię, quæ communiter a Philosophis admittuntur, eo ipso, quod immateriales, & spirituales sunt, ex materia educi non possunt. Et tamen cogimur dicere, eas esse productas, quia non sunt primum ens Nec dici potest, eas esse a primo ente causatas, sed non per creationē, sed per simplicem emanationem, quia hæc responsio eodem modo euertitur, quo supra petendo, an hæc simplex emanatio sit ex subiecto, nec ne. Plures demonstrationes qui legere uoluerit, consulat D. Th. lib. 2. contra gentes scholasticos in hac distinctione Pererr. lib. 5. de principijs rerum naturalium cap. 7.

DISPVTATIO III.

Vtrum creatio sit actio solius Dei propria.



Aec quæstio dupliciter potest intelligi, primo utrum creatio sit actio propria solius Dei in ratione agentis principalis, secundo utrum saltem instrumentaliter communicari possit alicui creaturæ, ideo in duas partes principales quæstio secabitur.

SECTIO

SECTIO I.

Vtrum solus Deus, an vero etiam creatura tamquam agens principale creare possit.



INfiniti propemodum errores, contra hãc veritatem de mundi creatione, varijs temporibus, ab omnium malorum satore diabolo excitati sunt, Nam ut illos missos faciamus, qui nec Deum, nec mundi creatio nem agnouerũt. Item illos qui, vel ex Chaos, vel ex sua πανσπερμία, vel ex athomis, vel etiam a casu mundũ factum esse dixerunt, tandem ad eos, qui insignioris doctrinæ laude claruerunt, deueniamus. Primus autem nobis occurrat Plato, qui or bis productionem a primo Deo, secundis Dijs demandatam asseruit.

Circa tempora autem aduentus Christi Domini, innumerabiles plane hæreses, ac schismata excitata sunt. Incredibile autẽ hoc omnino uideretur, nisi clarissimo B. Petri Apostoli testimonio comprobaretur, Qui ut refert Clemens Rom. lib. 1. recognitionũ post medium docuit quod diabolus, qui prius mundum peccatis oppleuerat, cum ex iis, quæ in sacris literis descriptæ erant figurę, & prophetiæ cognouisset, impletum esse tempus aduentus Messiæ, varias hęreses, ac schismata suscitauit, vt si prima illa peccatorum malitia deleretur, secunda hæresum malitia deleri non posset, ac proinde, Dei filius a proposito suscipiendæ humanæ carnis absisteret. Hinc sectę Pharisęorum, Sadducęorum, Esseorum, Ossenorum, Samaritarum, Sebuaeorum, Gorthenorum, Scribarum, Hemerobaptistarum, Nazaręorum, Herodianorũ, Dosithęorum, aliæque quamplurimæ. Porro Dosithæi a quodam Iudæo Dosithæo, qui postea a Iudaismo defluxit, & Samarita factus est, dicti sunt. Is in secta Sadducęorum primas habuit, primusque illius sectæ princeps, à Clemente Romano nominatur in lib. 1. Recognitionum post medium, uixitque circa Christi tempora, & tandem relicta pestilentiæ suæ scola sepultus est in inferno quo ad animã, nam quo ad corpus, infamis in quadam spelunca panis ut fertur inopia enectus, uermibus, atque ingenti muscarum nube circunseptus, fetore intolerabili insepultus cõputruit, ita refert Epiphanius libro primo contra hæreses, hæresi 13.

Innumerabiles hæreses Paulo ante Xp̃i aduentũ a Diabolo excitantur.

Quantus sit diaboli ast°.

Dosithęorũ secta ac scola.

Ex hac secta ingens illud toto terrarum orbe portentum exilijt, Simon inquam magus secũdus Sadducęorum sectæ princeps, a Clemente Romano ubi supra recte appellatus, qui temporibus Apostolorum sordide, turpiterq; conspicuus, magijs suis Samaritas dementauit. Quique se, & uirtutem magnam, & stantem appella-

Simonis magi origo.

Hæreticorũ de creatione blasphemiæ.

pellabat ut refert Euseb.Cesarien.lib.2.Hist.Ecclesiast.cap.13. Clemens Rom.lib.2. & 3.recognitionum. Is ab Eusebio Cesarien.totius prauitatis caput,& omnis hęresis principiũ nominatur. Hic igitur primus docuit mundum ab Angelis, non autem a Deo esse creatum.

Simon magus totius prauitatis atq; hæresis principium.

Simonis hæresim secutus est Menãder; Is est,de quo S.Ignatius Trallensibus scribit, Fugite Menandrum, & totam collectionem malignitatis eius.Is rursus docuit, Angelos creasse mũdum,atque hæreses suas, magis quam Simon expandit, ita Ireneus libro primo contra hæreses Valentini, & sequacium,cap.20. & 21. Nicęphorus lib.3.Hist Ecclesiast.cap.12.Epiphanius lib.2.hæresi 21.22. Alfonsus Castrẽ.lib.aduersus hæreses uerbo Creatura Prateolus de sectis, quamuis Cęsar Baronius tomo primo Annalium circa annum Christi.74. doceat eũ tantæ suę promissionis comparatione(is enim sequacibus suis salutem ęternam pollicebatur)non satis multos sectatores habuisse.

Menander. Simonis discipulus.

Simonem & Menandrum secuti sunt Basilides, & Saturninus (Epiphanius Saturninum semper appellat hęresi 23.) ambo discipuli Menandri ut scribit Sanctus Hieronymus contra Luciferianos, Euseb. Cesarien.lib.4.hist.cap.6. hos uocat duo ora,& duplicem linguam Menandri uenena sibilantem. Hi dixerũt,a septem Angelis, præter conscientiam patris fabricatum esse mundum. Hic vero Saturninus Angelos non appellabat, sed Aeonas, quorum interminatas quasdam genealogias texebat, quas legere poteris apud Ireneum lib. 1.contra hæreses ipsius,a cap.1. & sequen. De istis hęreticis fusius lege apud Cæsarem Baronium tom.1.annalium circa annum 74. & sequẽtes; Ab ijs orti Sethiani, ab Angelis,non autem a Deo omnia facta dixerunt,ita Epiphanius hæresi 39.Ex ijs fontibus Arrius prauitatis suę uenena exsuggens,docuit Verbum esse creaturam,& a Verbo conditum cœlum,& terram.Easdem hęreses secuti sunt Seleucus,& Hermias,a quibus Seleuciani,& Hermiani quos refert Philastrius Episcopus Brixiensis in catalogo hæresum,Prateolus in ipsorum sectis,hist.Tripartita lib.7.cap.11. Manichęi,ut refert Sanctus August. lib.de hæresibus,cap.46.easdem hęreses habuerunt. Deinde Carpocratiani, Gnostici, Albigenses, Tandem Mahumeteş Turcarum impijs. pseudo Deus, Temporibus D.Bernardi, hoc errore infectus fuit Petrus Abailardus, eodem Sancto Bernardo referente in epistola 190.

Saturninus & Basilides. Sethiani. Arrij fõtes. Seleuciani Hermiani. Manichęi. Carpocratiani. Albigenses. Gnostici. Mahumetes.

His omnibus erroribus clarissima Christianæ pietatis fides opposita est,docet solum Deum creasse cœlum, & terram,& uniuersa,quæ cœli ambitu continentur. Vt autẽ clarius catholica veritas comprobetur sit.

Prima conclusio.Solus Deus creauit cœlum,& terram,& omnia quæ in eis sunt. Hæc conclusio probatur.

Primo ex sacris literis, Genesis 1. In principio creauit Deus

cœlum,

cœlum,& terram,terra auté erat inanis,& uacua,& quæ sequuntur.ibi enim primordialia rerum omnium initia describuntur. Et omnia creata, tanquam ualde bona, a Deo approbantur. psal.32. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt ps.32.Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Sapiẽtiæ 1. Creauit omnia,ut essent,Ecclesiastici 18. Qui uiuit in ęternum,creauit omnia simul,græcæ dicitur κοινη idest communiter, Ecclesiastes 3.cuncta fecit bona in tempore suo. Hester 13. Tu Domine fecisti cœlum,& terram, & uniuersa quæ cœli ambitu continentur.Iohãnis 1. Omnia per ipsum facta sunt,quam sententiam elegantissime Apostolus explicauit. Coloss. 1. Siue quæ in cœlis, siue quæ in terris,siue throni, siue dominationes, siue principatus,siue potestates,uisibilia oĩa,et inuisibilia,Oĩa in ipso, & per ipsum condita sunt. Ideo in Cant. trium puerorum. Et in Psal.148.149.150. oĩa plane,quæ in mundo sunt inuitantur, tamquam Dei opera ad laudandum Deum, ipsorum effectorem.

Nec ualet dicere, Etiam si Angeli mundum effecerint, tamẽ dicetur semper Deus fecisse mundum, quatenus Angelos effecit, eisdemque uirtutem dedit,qua operarentur: Nã multo altiorem sensum indicant sacratum scripturarum loca;ut illud Ioan.1.Omnia per ipsum facta sunt;Si per verbum Pater omnia fecit;non ergo per Angelos.Coloss.1.Omnia in ipso,& p ipsum, Apoc.4.Tu creasti omnia, & propter uoluntem tuam erant, & creata sunt. Præterea non solum scripturæ docent, Deum fecisse cœlum, & terram, sed etiam modum ostendunt, quo produxit dicentes, quod dicendo produxit; fiat lux, fiat firmamentũ &c.Psa.32. Verbo Domini cœli firmati sunt, ibidem. Ipse dixit,& facta sunt,ipse mandauit, & creata sunt,Ps.110.Magna opera Domini,exquisita in omnes uoluntates eius, Vnde patet, Deum immediate creasse mundum non solum immediatione uirtutis, sed etiam immediate immediatione suppositi. Deus immediate immediatione suppositi creauit cœlũ & terram.

Secundò probatur conclusio ex definitionibus Ecclesię,Concilium Apostolorum in simbolo, articolo 1.Creatorem cœli,& terræ. Concilium Nicenum primũ factoré cœli,& terræ uisibilium omnium, & inuisibilium;quæ simbola saltem quo ad sensum,in omnibus sacris Concilijs deuote recitantur. Concilium Braccarense primum cano.13. Si quis dicit creationem uniuersæ carnis non opificium Dei, sed malorum Angelorum, sicut Manichęus,& Priscillianus dixerunt,Anathema sit.Concilium Lateranense sub Inno.III. Creator omnium Deus,uisibilium, & inuisibilium,qui sua omnipotenti uirtute in principio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem,& corporalem, Angelicam uidelicet, & humanam, in Conc. Constantinopolitano 6.actione 11.Visibilia,& inuisibilia &c.

Tertiò ex sanctorum Patrum testimonijs. Sanctus August.hac sola de causa ut ipse scribit lib. 8. de Genesi ad literam cap. 2. scripsit

psit libros de Gen. imperfectos contra Manicheos,& in tract. super Ioan. & epistola 146. ostendit, Deum non solum omnia creasse ab initio, sed etiam semper omnia gubernare,& omnibus prouidere. Sãctus Damasc. lib. 2. de fide orth. cap. 3. Qui dicunt Angelos conditores esse cuiuscunque substantię, ipsius diaboli sunt. Theodoretus epitome diuinorum decretorum, cap. de creatione. Oportet inquit ante omnia ostendere, ꝙ creationis opifex est Deus, qui non ut uult Valentini fabula, passione Achamoth formatus est, & post triginta quinque Aeonum productionem, ex conuersione,& passione factus est. Neque Angeli quidem ut uult Basilides,& Cherintus;& alii, quorum principatum dicunt obtinere Iadabaoth, neque ut execrandus Marcion, aliud præter bonum opificem dicimus; sed uniuersorum Deum cum Verbo vnigenito, & sanctissimo spiritu, omnia esse fabricatum, & didicimus,& confitemur.

Sanctus Hilarius lib. 12. de Trinitate, Primum quidem humanę intelligentiæ ratio hoc respuit, ut creator creatura sit, quia creatio per creatorem est, lib. 5. de Trinitate dicit Creatura nunquam ęquabitur creatori.

Sanctus Athanasius, sermone 3. contra Arrianos. Angeli nihil creare possunt, cum,& ipsi sint creaturæ,& in lib. de decretis Arrianæ Sinodi, Asterius inquit dicit filium creaturam esse, sed creasse. Contra quem ibi fusissime in uehitur Athanasius.

Sanctus Cirillius Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 6. Quicquid natura Deus non est, id certe creatum est,& rursus, quicquid creatura esse negatur, id certe Deus est. Si ergo filius creatura est, quomodo uiuificare poterit, cum id diuinæ naturæ solum modo sit proprium. lib. 6. Thesauri cap. 2. Adhæc nulla creatura umquam substantiam e nihilo producere poterit, finitæ namque id uirtutis esse non poterit, filius autem creator omnium est, quomodo ergo est creatura & lib. 14. Thesauri cap. 3. Quamuis aliud agens hæc uerba proferat, tamẽ huic, de qua agimus cõtrouersiæ commode accommodari possunt, dicit igit. Nihil longius distare potest, quã creatura a creatore, unde fit, ut nullo modo per creaturam participatio possit creatoris in nobis fieri, & lib. 2. contra Iulianum, Hoc maxime contra diuinam gloriam militat, etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere; non enim fas est dicerę, quod ea, quę diuinę,& ineffabilis naturæ propria,& eximia sunt, naturaliter possint inesse quibusdam, ab ipso factis. Congruit autem magis, & ipsi soli, & ad summam pertinet gloriam eius res illa, nam in accessę naturę sunt illa, quæ propriæ sunt solius, & omnium summę substantiæ; quorum unum esse dicimus efficaciter operari posse, ut creatorem,& producere res, quę aliquando non erant.

Sanctus Basilius hom. 9. in Hexam. maxime inuehitur contra eos, qui dicebant, Deũ dixisse ad Angelos, faciamus hominem

ad

ad imaginem,& similitudinem nostram,& dicit: Conseruos nostros.s. Angelos, dominos nostræ creationis efficiant, Quale autem opificium ęquale esse poterit creatori?

Sanctus Ioan. Chrisost. hom. 8. in Gen. idipsum fere habet q̃ Sãctus Basilius. Sanctus August. maxime rem hanc, multis in locis exaggerat, ut nullius plane rei asserat creaturam posse esse creatricem, sed a solo Deo omnia esse creata, in Psa. 148. Nemo uos excutiat de fide, qui fecit in cœlo Angelum, fecit in terra uermiculum, De fide ad Petrum cap. 3. firmissime tene, omnem naturam, quæ Trinitas non est, ab ipsa Trinitate esse creatam & infra, Nisi Deus omnipotens esset, non eadem facilitate suprema, atque ima creasset lib. de uera innocentia ca. 378. Quantacunque bona, quãtacũque magna, quamuis exigua, nisi ex Deo esse non possunt, li. 12. de ciuit. Dei. cap. 24. Nullius quamuis minimę rei, nisi Deum creatorem dici, aut credi fas est.

Sanctus Gregorius in lib. 6. moral. cap. 7. & lib. 16. moral. cap. 16. eadem pene docet.

Secunda conclusio. Creatio est actio solius Dei propria. Hęc conclusio primo probatur ex testimonijs supra allatis, & etiam ex iis, quæ afferuntur in sectione secunda.

Secundò rationibus, quia creatio est productio entis ex nihilo, Nihil autem ab ipso ente distat in infinitũ, ergo ens, & non ens sunt contradictoria; at nulla potentia, nisi sit infinita, non potest traducere aliquid per distantiam infinitam, quia infinitum pertransiri non potest, maxime a uirtute finita: ergo.

Tertiò. Ad creandum requiritur uirtus infinita, sed infinita uirtus non potest inesse in re finita. ergo: probo minorem, quia quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur; omne autẽ creatum finitum, & limitatum est, ergo ẽt finitum erit, quicquid in illo fuerit receptum, probo maiorem. quia inductione patet, quòd quo minus subiectum, ex quo aliquid educitur dispositum est, eo maior uirtutis efficacia, seu fortius, ac ualidius agens requiritur, ad hoc, vt ex ipso forma possit educi, sed nihil est magis indispositum ad ens, quam ipsum non ens, & nihil, ergo:

Quartò omnis uirtus creata agit per aliquem cõtactum, uel formalem, uel saltem uirtualem, quo agens tangat passum, uel subiectum, ex quo forma debet educi, sed non ens & ipsum nihil, eo ipso, quod non est, non potest, nec formaliter, nec uirtualiter attingi, ergo:

Quintò. Virtus creata non operatur, nec producit effectus ad extra existentes, nisi in tẽpore, sed creatio est in instanti, ergo: Maior patet inductione in omnibus creaturarũ operationibus (nisi interdum subiectum adeo sit dispositum, ut in instanti possit forma produci, ut patet in illuminatione aeris qui subito producitur, quia in subiecto nullam resistentiam deprehendit) Agentia enim naturalia agunt semper uel per motum, uel per mutatio-

C nem.

nem. Motus est in tempore, creatio in instanti. Mutationem uero quamcumque naturalẽ, aliquis semper motus pręcedit, cuius ipsa mutatio terminus est. Quare quod libet mutatum esse, naturaliter præcedit aliquod moueri. Cum igitur, quòd non est, sit adeo ad esse indispositum, concluditur, nullam plane creaturam posse tamquam principale agens ad creationem concurrere.

Corrolarium ex dictis deducitur contra Durandum.


X ijs duabus conclusionibus patet sententiam Durandi temeritate aliqua non carere, qui in 2. d. prima q. 4. dicit non repugnare, quod creatura aliqua, etiam tamquam agens principale, creare possit. Sunt qui putent, Gabrielem huic sententię subscripsisse, sed tamen longe ab hac sententia abest Gabriel. Fundamentum huius meæ assertionis sunt præcipuè auctoritates scripturę, & Patrum, In scripturis enim vt supra ostensum est, & melius in sectione sequenti ostendetur, quod ammodo gloriari uidetur Deus nomine creatoris, & creationem tamquã quid sibi proprium nominare, & tamquã illud, in quo maximè potentiæ suæ amplitudo conspiciatur. Præterea Sancti Patres, supra citati, infra etiam sectione sequenti citandi, expresse docent creaturæ repugnare creationem, eamque solius Dei esse propriam, ideo nulli creaturæ posse competere.

Obiicit tamen Durandus ubi supra. Si creaturam creare contradictionem implicaret, maxime esset, uel quia creatio requirit potentiam infinitam in creante, propter infinitam distantiam entis a non ente. Vel ex eo, quòd omnis actio creaturæ est per motũ, uel mutationẽ; sed neutrum dici potest, ergo: probo minorem quo ad primam partem, quia ens, & nihil non sunt termini creationis, quia si creatio dicitur ex nihilo productio, intelligitur quod sit ex nihilo, vt ex subiecto: quare sumitur negatiue ex parte subiecti, & termini. Quare ex hoc capite non est desumendum, quòd creatio requirat uirtutẽ infinitam in creante. Ex alio igitur capite erit hæc potentiæ infinitas desumenda, scilicet ex ipso opere producto, At opus productum finitæ est entitatis, ergo non requirit infinitam potentiam. Præterea posito, quòd illa distarent, scilicet ens, & nihil, adhuc tamen illa distantia non est infinita, sed finita; Quia cœlũ non distat in infinitum distantia situali ab illo nihilo, quod est extra ipsum, ergo: neque ens a non ente distantia formali, Quo ad secundam partem probatur eadem minor, quia licet omnis actio creaturę, naturaliter fit per motum, & mutationem; tamen non tollit, quin supernaturaliter possit aliter operari; Nam etiam accidens naturaliter est in subiecto quòd tamen supernaturaliter põt esse sine subiecto. Hęc Dur. cuius argumenta licet alio ordine ab ipso prolata, sic placuit in unum colligere.

Hoc

Hoc tamen argumentum facile soluitur negando minorem. Ad probationem primæ partis, R̃ndeo. Ens, & nihil non esse quidem terminos, ut a quo, & ad quē, Imo ipsum nihil nullum dicit terminum, si enim terminum diceret, iam distantia non esset infinita, quia nulla infinita distantia assignari potest inter terminos actu existētes, sed hoc ipso quod nihil omnem terminum negat, ideo in infinitum ab ente elongatur, non elongatione situalis, vel localis distantiæ, sed elongatione distantiæ formalis; quia ex propria ratione ens, & nihil infinite inter se pugnant. Ideo ex hoc capite exigitur infinitas potētiæ in creante, ut ex nihilo ens efficiat; quare gratis recurrit Durandus ad finitatem entitatis productæ, vt ex finitate illius arguat finitatem potentiæ in creante. Ad probationem secundæ partis respondeo, rōnem illam, ex modo agendi creaturæ, vel per motum, vel per mutationem supposita finitate virtutis necessariam & demonstratiuam esse. Ens & nihil quomodo in infinitū distent.

SECTIO II.

Vtrum creatura instrumentaliter concurrere possit ad creandum.



VT certa secernamus ab incertis, & in quo nam disputationis, ut ita dicam, nodus positus sit, aperiamus. Lectorem monitum uolumus, quod omnes plane doctores in eo conueniunt, quod creatura aliqua ratione saltem obiectiue, vel, ut alii malunt dispositiue, ad creationem, non solum posse, sed etiam de facto concurrere. Obiectiue cum dico creaturam concurrere ad creationem, nō intelligo tantum, quod creatura sit obiectum creationis; sed in hoc sensu intelligo, quod creatura possit aliquid operari, quo facto, Deus aliquid creet. Nam certum est, quod homo incumbendo in generationem hominis, embrionem generat, quo efformato Deus creat animam rationalem: Ecce igitur quomodo concurrat ad creationem creatura, non effectiue operando effectum creationis, sed uel obiectiue, uel dispositiue, id producendo, quo producto Deus creet animam. sed in hoc non consistit nostra difficultas sed difficultas est, Vtrum creatura efficiendo concurrere possit ad creationis opus, tamquam instrumentum uerū & reale. Obiectiue & dispositiue ad creationem concurrere qd sit.

Sciendum est præterea, instrumentum realiter agens, duplex esse. Quoddam dicitur physicum instrumētum, & illud est, quod uere, & realiter, & physice, seu effectiue effectum producit, sicuti accidentia sunt physica instrumenta ad producendam substantiam. Aliud dicitur instrumentum morale, & illud est, quod uere cooperatur ad efficiendum effectum; non tamen cooperatur pro- In quo consistat disputatio. Instrumentū physicū, & morale quid sit.

C 2 ducen-

ducendo aliquid physice, & effectiue, sed potius consulendo, hortando, rogando, mediando. Verbi gratia: Legatus principis dicitur esse instrumentũ morale ipsius principis. Ita amicus suffectus intercessor apud principem, dicitur morale instrumentum alterius amici, quia illo utitur amicus ad impetrandam gratiam a principe. Ita pecuniæ dicuntur morale instrumentum ad gratiam obtinendam. Certum est igitur apud omnes, creaturam posse ad creationem concurrere, tamquam morale instrumentum, quia creaturæ precibus a Deo impetrantes, ut aliquid creet, sunt instrumenta moralia. Difficultas est, an creatura possit concurrere tamquam instr̃m physicum, & hac de re sunt duæ sententiæ.

Creatura potest concurrere ad creãdum tamquam instrumentũ morale.

Prima sententia est dicentium, creaturam non posse concurrere ad creandũ, tamquam instrumentũ physicum. ita Sanctus Tho. p.p.q.45.art.5. & de potentia q.3.lib.2. contra gentes, cap.21. Scotus 4.dist.1.q.1. Henricus Gandauensis, quodlib.4.q.ultima. Alb. Magnus hic, Aegidius hic, & quodlib.5.q.1.& lib. de esse, & essentia quæst.6. Greg. de Valentia, q.3. de creatione puncto 4. Molina p.p.q.45.disp.2. ibid. Dom. Banes, & Caietanus, Capreolus, & Laurentius Opimus hic, quæst. secunda lateali. Pelbartus secunda parte Rosarij uerbo creari §.8. Sotus, & Adamus Goddan. in 4.dist.1. Ioseph Angles lib. disput. Theologicarum in 4. senten. q.3. artic.2. Pererr. lib.5. de principijs rerum naturalium, cap.6. Quę sententia fortissimis argumentis probatur.

Primò. Ex scripturis, in quibus adeo proprium Dei opus conspicitur esse creatio, ut Deus creationis titulo quodammodo gloriari uideatur. Prouerb.8. Quando præparabat cœlos aderam; qñ certa lege, & gyro uallabat abyssos &c. cum eo eram cũcta componens &c. Iob.38. Vbi eras, quando ponebam fundaméta terrę? Quis posuit mensuras eius? quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatę sunt? aut quis dimisit lapidem angularem eius? Quasi dicat, Ego fui, qui mea uirtute hæc omnia feci, ibidem etiam, & duobus sequentibus capitibus plurima, quæ ad rem nostram faciunt, habẽtur Esai.40. Quis mensus est pugillo aquas? & cœlos palmo ponderauit? apprehendit tribus digitis molem eius, & librauit in pondere montes, & stateras in colle posuit? &c. cap.42. Hæc dicit Dominus creans cęlos, & extendens eos, cap.44 & 48. Audi Israel, Audi Iacob, quẽ ego uoco, Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus, Manus quoque mea fundauit terram. Ego Dominus faciens omnia cap.45. Creans cœlos formans terrã, & alibi sępissime pluribus creationis opus, & circumloquitur, & maximè in eo maiestatis suæ potentiam iactat.

Secundo ex testimonijs patrum, quæ apertissime ostendunt, creationem solius Dei propriam esse, illique competere ratione suæ omnipotentiæ. Sanctus Augustinus lib. de symbolo tract. 2. Deus est omnipotens, quia de nihilo fecit quæcumque fecit. Non enim eum aliqua materies adiuuit, ex qua demonstraret artis suæ

poten-

ROMA
potentiam, sed de nihilo cuncta creauit, Hoc est enim esse omnipotentem, ut non solum fabrica ipsa, sed etiam materies ab illo inueniatur esse, qui non habuit initium, ut esset; & in toto fere tractatu hoc fuse prosequitur, ideo hic integer esset transcribendus. In sermone de simbolo, Ipse quippe Deus est omnipotés, qui in principio mundi cuncta de nihilo fecit; qui est ante secula, & qui regit, & fecit secula; lib. 2. contra Felicem Manicheum, Accipe inquit, quomodo intelligas Deum omnipotentem, factorem omnium, quæ fiunt, & quod quisque facit, aut ex se est, aut ex aliquo, aut ex nihilo. Homo quia non est omnipotens, de se filiũ facit, ex aliquo sicut artifex ex ligno arcam, ex argento uasculum; potuit enim facere uasculum, sed non potuit facere argentum, potuit facere arcam, sed non potuit facere lignum. Ex nihilo autem, aut ex eo, quod prorsus non est, aliquid facere, ut fit, nullus hominum potest. Deus autem, quia omnipotens est &c. plurima ad hãc rem aptissima subdit. lib. de fide ad Petr. cap. 3. In eo Dei omnipotentia cernitur, ꝙ omnem creaturam uisibilem, atque inuisibilem idest corporalem, & spiritualem de nihilo facit. Nisi enim esset omnipotens, non eadem facilitate summa, atque ima fecisset.

Sanctus Athanasius sermone 3. contra Arrianos, Angeli nihil creare possunt, cum & ipsi sint creaturæ, Item contra Arrium, qui spiritum sanctum creaturam esse dicebat, ostendit spiritum sanctum non esse creaturam, ex eo quod sit creator, quare ait, Creaturam creatricem esse nõ posse, nulli uestrũ esse ambiguum.

Hugo de Sancto Vict. lib. 1. de sacramentis parte 6. cap. ult. De nihilo facere aliquid, siue de aliquo nihil, solus Deus potest. Adde auctoritates plurimas a nobis allatas sectione sequenti.

Tertio probatur ex auctoritatibus, quæ expresse dicunt, creaturam, ne, ut instrumentum quidem posse creare. Quia cum Arrius diceret Verbum esse creaturam, & ministrasse Patri in orbis creatione, contra illum acerrime inuehuntur Patres dicentes. Si creatura est, creare non potest, ita

Sanctus Hilarius lib. 12. de Trinit. initio. Primum quidem hoc humanæ intelligentiæ ratio respuit, ut creator creatura sit, quia creatio per creatorem est.

Sanctus Athanasius libro decretorum, contra Arrianam hæresim. Asterius inquit sacrificator idolorum scripsit, & Arrius transcriptum suis tradidit, & alij quasi confractum calamum usurpãt; quod Dei filius creatus est, & quia cętera uim manus Dei ferre non poterant; ut ea a filio, quasi succenturiato, subministroque crearentur, Quam impietatem. Sanctus Athanasius toto eo libro impugnat.

Sanctus Cyrillus Alex. lib. primo in Iohan. cap. 6. Si filius creatura est, quomodo uiuificare poterit? cum id naturæ diuinæ solummodo sit proprium. Et lib. 14. Thesauri cap. 3. Nihil longius inquit distare potest, quam creatura a creatore, Vnde fit, vt nullo modo,

per

per creaturam possit participatio creatoris in nobis fieri.

Sanctus Basilius hom. 9. in Hexam. in fine Excandescit maxime in eos qui dicebant Deum, Angelos esse allocutum, cũ dixit, Faciamus hoiem &c.& ait ex hoc sequi quòd illi ponant Angelos esse Deos, sic dicens Multas, aiunt personas, ad quas sermo factus est, Faciamus hominem &c. Iudaicum est hoc figmentum & leuitatis inde profectæ fabulamentum ut ne unum suscipiant, in numeros inducant,& filium reprobantes, famulis consilij dignitatem attribuunt;& conseruos nostros, dominos nostræ creationis faciunt; perfectus homo ad Angelorum dignitatem adducitur, Quale autem opificium ęquale esse poterit creatori?

Sanctus Chrisost.hom.8.in Genesim eadem fere habet, Quare si ex hoc, quòd Angeli Dei consultores,& ideo ministri, æquarentur Deo negant illud faciamus Angelis esse dictum ergo multo magis æquarentur Deo, si creassent.

Sanctus August. lib.12.de Ciuitat. Dei cap.24. Nullius inquit, quamuis minimæ naturę, nisi Deum creatorem dici, aut credi fas est. Quod si Angeli, uel iussi, uel permissi adhiberent operationẽ suam rebus, quæ gignuntur in mundo, tam non sunt creatores animalium, quam, nec agricolæ frugum, aut arborum. Ecce loquitur si iussi faciunt hoc enim de ipsis, ut instrumentis est intelligendum. lib. 11. Ciuitat. capit. 21. Nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec causa melior, quam ut crearetur a bono.

Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione secunda de Pascate quamuis subobscuritts ostendit filium non esse creaturam, qua Pater alias creaturas produxerit. Excellentius inquit fuit Patrem per intermediam diuinitatem ad creaturas deuenire, quam ut contra harum causa diuinitas sit producta.

Quartò rationibus, Inter quas, illa primo loco adducatur, quæ est fundamentum Santi Thomæ, quæ huiusmodi est. Esse est effectus proprius solius Dei, maxime si sumatur cum illa limitatione Caietani, s. quod per se primo Deus esse intendat; sed creatio terminatur ad esse simpliciter, res autem creatæ semper aliquod esse determinatum, ac limitatum intendunt ergo non poterit communicari creaturæ.

Quintò & hoc est præcipuum fundamentum D. Tho. Causa secunda instrumentalis non participat actionem superioris causæ principalis, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis, sed nulla creatura potest propria uirtute, & ut causa principalis dispositiue operari ad effectũ creationis, ergo. Minor patet, Quia omnis actio dispositiua, est semper in aliquo subiecto, sed in creatione nullum est subiectum, ergo. Maior inductione probatur, hac enim de causa instrumenta assumuntur ad operandum, quia propter aptitudinem suam ad effectum producendum nobis conferunt: atque hęc

est

est causa, cur ad determinatos effectus determinata requirantur instrumenta: Hanc rationem Dominicus Banes uocat demonstratiuam.

Sextò ex Scoto sic conflatur argumentum, quod ipse tribus conclusionibus proponit. Si creatura aliqua potest esse instrumentum ad creandum, uel hęc creatura erit spiritualis, uel materialis; neutrum dici potest, ergo, probo minorem, Non enim potest esse creatura spiritualis, quia illa non poterit creare, neque substantiam, neque accidens ergo nihil. Quod non possit creare substantiam, patet, nam si Angelus aget, aget utique per intellectionem, sed intellectio est accidens, ergo cum nihil producat ultra suum genus, non poterit accidens producere substantiam. Neque poterit producere accidens, quod enim ab aliqua causa producitur per creationem, prius dependet ab efficiente, quam a quocunque genere causæ. E contra uero accidens prius dependet a substantia, quam ab efficiente, ergo non poterit accidens creari ab Angelo.

Quod si creatura creans sit materialis, hæc nulla ratione creare poterit, quia omne agens naturale agit per determinatam formam, introducendo debitas dispositiones in subiecto, hoc autem non potest esse in creatione, quia in ipsa nullum plane repperitur subiectum.

Septimò ex Dominico Banes. Ex intrinseca ratione instrumenti constat, quod semper instrumentum limitat actionem principalis agentis, cuius uirtutem defert; sed si uirtus Dei limitetur a creatura, non poterit creare; quia ad creandum requiritur uirtus infinita, & illimitata ergo.

Octauò, Agens principale semper communicat instrumento suam uirtutem, quam deinde instrumentum transmittit in passum; sed uirtus creandi, cum sit infinita, nullo modo potest, uel creaturæ communicari, uel in creatura recipi, in subiecto namque finito non potest inesse, nisi uirtus finita, ergo:

Nonò, Omne agens naturale, semper agit mediante aliquo contactu, sicuti patet ex libris de generatione; siue ille contactus sit formalis, siue uirtualis, At cum creatio sit productio ex nihilo, iam luce meridiana clarius patet, quòd ipsum nihil tangi non possit. quod enim non est, tangi nó potest, nec contactu formali, nec etiam uirtuali.

Decimò. Omnis actio creaturæ semper est circa aliquod subiectum, sed in creatione nullum est subiectum, ergo: probo maiorem Omnis actio creaturę est, vel per motum, vel per mutationem, sed tam motus, quam mutatio est in aliquo subiecto, quod ponitur in definitione ipsorum, ergo. Et hæc, quo ad fundamenta primę sententiæ.

SE-

SECTIO III.

Ponitur secunda sententia, & ostenditur non implicare contradictionem, quod creatura instrumentaliter concurrat ad creandum.

Secunda sententia est dicentium, creaturam concurrere posse ad creandum physice instrumentaliter. Hanc sententiã Michael Palacius in hoc loco communiorem appellat, nec omnino immeritò, vt patebit infra, & ipse problematice hanc defendit. Hæc sententia est Magistri, 4.d.5. D.Thom.2.d.1.q.2. & 4. d.1. licet postea sententiam mutauerit in summa. Duräd. & Gabriel, hic Cardin. Camcracen. 4.dist.1.artic.2. Florianus Nannius in cathena argentea, conclusione 3. In hanc propendet Charthus. 2.dist.q.94. Georgius Bustus Vercellensis, in quæstione de potẽtia creandi dicit creaturam non posse instrumentaliter concurrere ad creationem rei subsistentis, posse tamen concurrere ad creationem rei non subsistentis, vt gratiæ. Viguerius maxime huic fauet in institutionibus titulo de sacramẽtis in genere, uer. 11. Iohãnes Altenstaic in suo lexico Theologico, verbo Creare. §. 2. Franciscus Suarez in disp. in 3. par. D.Thom. q.14. art. 1.2.3. & 4. & in q.62. art. 1. Hanc sententiam ego ualde probabilem, imo probabiliorem existimo, quam primam.

Conclusio unica decisiua. Creatura potest a Deo assumi vt instrumentum ad creandum. Probatur conclusio.

Primò quia licet creare superet uirtutẽ creaturæ agentis, tamquam principalis causa, tamen eo ipso, quod creatura assumitur a Deo, ut instrumẽtum, eleuatur etiam a Deo, ut in uirtute ipsius possit illud efficere, quod alias sua virtute propria non posset efficere. Ita enim accidentia producunt substantiam, ita securis conficit arcam, pennicillus imaginem, calamus scriptionem, licet.n. omnes isti effectus superent uirtutem instrumentorum, per quæ fiunt, si illa instrumenta assumerentur tamquam causæ principales, tamen non superant uirtutem eorũdem, si sumantur tamquã instrumenta eleuata a primario agente. Id ipsum ergo dicatur de creatura, in ordine ad creationem. Scio responsuros acutissimos primæ sententiæ doctores, in iis omnibus instrumentis reperiri aptitudinem quandam, ratione cuius possunt assumi ad unum effectum, magis, quam ad alium: sed responderi posset, in creatura respectu creationis esse potentiam obedientialem, ratione cuius ita Deo subditur creatura; ut ab ipso Deo eleuetur, extollatur, modificetur, cõuertatur, & conflectatur ad omnia ea, quæ contradictio-

ctionem non implicant. Sed creaturam instrumentaliter creare, non implicat contradictioné, ergo: poterit assumi ad creandum. Minorem probabo in secundo argumento.

Secundò probatur eadem conclusio, & in hoc argumento stat præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Creaturam assumi ad creandum non implicat contradictionem, ergo: potest assumi a Deo. Consequentia notissima est. Deus enim omnia facere potest, quæ non implicant contradictionem, Antecedens probatur. Si creaturam assumi ad creandū implicat, maxime ex aliquo istorum capitum, uel implicat, ex eo, quod creatio ex sui intrinseca ratione est actio supernaturalis, ex subiecto idest quæ necessario debeat procedere a solo agente supernaturali. Hoc argumētū est pcipuum fundamentum secundæ sententiæ.

Vel, quia terminus creationis sit ipsum esse.

Vel, quia ad creationem requiratur uirtus infinita.

Vel, quia in creatione nullum est subiectum.

Vel, quia creatura non potest attingere rem creabilem, cum ex nihilo producatur.

Vel, quia instrumentum limitat actionem agentis principalis.

Vel, quia creatura nō habet dispositionem ullam ex se, per quam possit assumi ad credendum. Hæc enim præcipua fundamenta sunt, quæ hucusque potui apud uarios auctores legere; sed ex nullo istorum capitum implicat, creaturam assumi ad creandum. ergo: minor probatur.

Non implicat ex eo, quod creatio sit intrinsece actio supernaturalis ex subiecto quia, ecce apertam instātiam, etiam productio gratiæ, & charitatis, est actio supernaturalis ex subiecto, ideo, ut omnes concedunt, solus Deus in ratione agentis principalis potest gratiam, & charitatem producere; iuxta illud Eph. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus uestris per spiritum sanctum. Et tamen Christus, qui ut homo erat creatura, ut instrumentum Verbi, gratiam conferebat. ita Sanctus Thomas. 3.p.q.68. articu. 3. & p.2.q. 112.ar.1. Item sacramēta, tamquā uera instrumenta physice gratiam conferunt. ita D.Thom. 3.p.q.62.art.2. Imo Sanctus Thom. ubi supra docet, quòd Christus potuisset potestatem excellentiæ conferendi gratiam aliis communicare. Ita etiam sacerdos uere, instrumentaliter tamen absoluit, dimittit peccata, quæ tamen actiones sunt supernaturales ex subiecto.

Non implicat ex secundo capite. s. ex eo, quod terminus creationis sit ipsum esse secundum totam suam latitudinem, cum limitatione illa Caietani de qua supra, nam primo falsum est, creationé terminari ad esse uniuersalissimum in prædicando, licet enim uirtus creatiua Dei non sit limitata ad producendum hoc, uel illud esse, sed quodlibet esse possit producere, tamen esse, quod per creationem producitur, semper est particulare, & determinatum: quare ad illud poterit creatura concurrere (nisi ex alio capite repugnet) secundo etiam agentia naturalia, dum agunt, esse rerum in-

tendunt, illud producunt, & eorum actiones ad esse rerum terminantur. Licet autem Caietanus dicat, esse rerum per se primo intendi a Deo, hoc nos quam libentissime concedimus, dum enim dicimus creaturas instrumentaliter concurrere ad creationem, eo ipso dicimus, quod Deus primario illud esse creabile intendit, creatura autem secundario.

Non implicat ex tertio capite. s. ex eo quod ad creationem requiratur uirtus infinita, quia, ecce apertissimam instãtiam, etiam ad facienda uera miracula requiritur uirtus infinita, ita S. Thom. prima parte. q. 10. art. 4. ideo docet, uera miracula non posse, nisi diuina uirtute fieri (utor autem hic frequentissime doctrina S. Thomæ quia aliqui putant, nostram sententiam omnino repugnare principijs S. Tho. Tum etiam quia contra eos agimus, qui S. Tho. doctrinam in omnibus se sequi profitentur.) Et tñ in doctrina D. Tho. Christus Dominus, etiam ut homo, quare ut creatura faciebat uera miracula ita D. Thom. 3. p. q. 43. artic. 2. qui hoc confirmat, auctoritate Sancti Leonis epistola ad Flauianum, qui dicit: In Christo duplex est natura, altera diuina, quę fulget miraculis, altera humana, quæ sucumbit iniurijs. Addit autem D. Tho. Et tamen una earum agit cum communicatione alterius in quantum. s. natura humana est instrumentum diuinæ actionis, & actio humana uirtutem accipit a natura diuina. Et in eadem 3. p. q. 13. art. 2. dicit: Anima Christi; prout instrumentum Verbi, habuit uirtutem instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas, & ibidem arti. 4. Anima Christi suscitauit suum corpus, ut instrumentum diuinitatis. Ita etiam Sancti uiri fuerunt instrumenta diuinæ uirtutis, & instrumentaliter operati sunt opera, quæ diuinam uirtutem requirebant. Vnde Sanctus Gregorius lib. 2. dialogorum cap. 3. dicit: Sanctos interdum miracula operatos esse auctoritate, interdum postulatione; Et ipse S. Tho. 22. q. 178. articulo primo ad primum dicit: Sanctos instrumentaliter opera miraculorum effecisse.

Sancti miracula efficiũt postulatione interdum auctoritate.

Huic argumento respondet Caietanus maxime dolens, quod D. Thom. dixerit supra instrumentaliter fecisse miracula, ideo glossat auctoritatem Sancti Thomæ dicens, S. Thomã. Large instrumenti nomẽ assumpsisse pro omni secũdaria causa, quia Sancti non operabantur dispositiue ad tales effectus; Vt, cum Iosue inquit iubẽs stare Solẽ uictoriam obtinuit, nam iussio illius non fuit dispositio ad remorandum Solem; Vnde inquit legitur in lib. Iosue capit. 10. Non fuit, nec antea, nec post tam longa dies obediente Deo uoci Iosue; sed hanc glossam non patitur doctrina D. Tho. cuius uerba sunt ista. Deus principaliter operatur, qui utitur instrumentaliter, uel interiori motu hominis, uel eius locutione, uel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporis, etiam mortui, Vnde Iosue. 10. cum Iosue dixisset, quasi ex potestate, Sol contra Gabaon non mouearis, subditur postea,

non

non fuit ante, nec post tam longa dies, obediente Deo uoci hominis. Hæc S.Tho. Quod si glossa Caietani ualeret, iam sequetur alterum ex his duobus absurdis, uel quòd Iosue fuerit causa principalis illius miraculi, & hoc est expresse contra. S. Tho. ibid. qui dicit, quòd potentia faciendi miracula, est sola uirtus diuina, & quod ideo implicat, quòd sit aliqua qualitas manens in creatura, uel quòd Iosue fuerit tantum uelut cōditio, sine qua non; non autem instrumentum, & hoc nulla rōne dici potest, Tum quia est contra D. Thom. qui dicit Iosue quasi ex potestate dixisse, Sol ne mouearis; sed quod fortius est esset expresse contra sacras litteras, quæ alibi explicant factū illud Iosue, uere ipsi Iosue miraculum illud tribuentes, tanquā instrumento, Ecclesiastici cap. 46. Fortis ait in bello Iesus Naue successor Mosis, in prophetis, Quam gloriam consecutus est, in tollendo manus suas, & iactando contra ciuitates rompheas? Quis ante illum sic restitit, nam hostes ipse Dominus perduxit, Aut non in iracundia eius impeditus est Sol? & una dies facta est quasi duo? sed multo clarius Esaias cap. 28. Sicut in monte diuisionum stabit Dominus, sicut in ualle, quæ est in Gabaon, irascetur, ut faciat opus suum alienum opus eius, ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Non poterat certe clarius explicari modus, quo Deus usus est Iosue, ut instrumento, quam hac ratione, dum dicit. Faciens opus suum peregrinum &c. scilicet dum cōmunicat agenti instrumētario uirtutem suam; Est enim ibi sensus, iuxta communiter exponentes quòd Deus, vt ulciscatur peccatores, facit opus alienum, opus suum, idest punitionem, quæ propria non est Dei, illius enim proprium est misereri semper, & parcere tamen hoc alienum opus, facit suum, quia uere punit, at ut puniat, peregrinum est opus eius ab eo, quia communicat uirtutem suam sicut fecit Iosue in Gabaon, ideo Sanctus Hieronymus in illum locum ait, Iosue fiducia habitantis in se Dei, locutus est. Stet sol in Gabaon, & Luna cōtra uallē Aialon, & stetit Sol spatio unius diei. Ecce quomodo creaturę instrumentaliter efficere possint, id quod proprium est infinitæ potentiæ.

Iosue fuit uerum instrumentū cum iussit stare solem.

Scandalizantur tamen in hoc plurimi, Quod creaturæ communicari possit uirtus infinita, Quomodo infinita potentia, inquiunt, potest recipi in creatura? Sed in hoc est error ipsorum maximus, quia dum dicimus, uirtutem infinitam communicari instrumentaliter creaturæ, putant infinitam Dei potentiam subiectiue recipi in creatura, sed non fit hac ratione; sed solum quia Deus, qui absque creatura posset efficere quicquid vult, bonorū enim nostrorum non eget, interdum tamen uti vult aliqua opera creaturę ut clarior reddatur e creatura in opere miraculoso. Ideo creaturæ actionem Verbi gratia Iosue uocem accipit, uirtutemque iussionis illius corroborat, & ampliat, & extendit, & eleuat, ut uere dependenter ab illa iussione Sol stet, non quod illa iussio

Hic diligenter attende Quomodo potentia infinita communicetur creaturæ.

Deus utitur instrumentis nō quòd illis egeat sed ut illa extollat.

in se considerat virtutem habeat remorādi solem; sed quia Deus uirtute sua infinita concurrit, ut tanquam agens principale id efficiat, quod alioqui iussio illa nō posset efficere. Quare actio Deo propriissime attribuitur, quia est agens principale, creaturæ autem tamquam instrumento. Pro clariori igitur intelligentia, supponamus, quod Iosue, dum iussit stare Solem, iussisset creari draconem hac ratione. Esto hic draco deuorās hostes meos, & obedien te Deo uoci hominis creasset draconem, qui hostes deuoraret, Tunc ita diceretur Iosue instrumentaliter creasse, sicut & instrumentaliter Solem fecit immobilem, non quod iussio illa ex se efficax fuisset ad draconem creandum, sed quia Deus infinita sua uirtute iussionem extendisset ad id creandum, quod Iosue uolebat.

Non implicat ex quarto capite, ex eo, quod in creatione nō adsit subiectum, omnis autem actio creaturæ sit circa subiectum, qa est uel per motum, vel per mutationem. Quia in hoc est æquiuocatio magna, nam uerum quidem est, omnem actionem creaturæ esse circa subiectum circa quod: at non est semper circa subiectum ex quo, quod est materia: aduersariorum autem plurimi æquiuocant in hoc maxime transeūtes a subiecto circa quod, quod melius dicitur obiectum, ad subiectum ex quo. Dico igitur falsum esse, quod omnis actio creaturæ sit, uel ex subiecto, quod est materia, vel circa subiectum ex quo, quod etiam est materia, Quia intellectio, et uolitio, qua intelligo, & uolo Deum, nō sunt actiones productæ ex subiecto, ex quo. s. ex materia prima, quia sunt actiones maxime propriæ animæ rationalis in qua tāquam in subiecto existant, quæ cum sit immaterialis omne etiam materiale subiectum, ab ijs operationibus excludit. Neque sunt circa subiectum, ex quo, quia sunt circa Deum, ut circa obiectum, Deus autem non est materia; Dices omnis actio creaturæ est, uel per motum, uel per mutationem utrumque autem includit materiam, Respon. uolitio quidem, & intellectio sunt mutationes instantaneæ, quibus anima ex nolente fit uolens, ex non intelligente fit intelligens. At subiectum, quod est in ijs operationibus, non est materia prima, sed est ipsa anima. Quia materia prima non est subiectum in omni mutatione, quia etiam in Angelis, est mutatio, in quibus tamen non est materia prima. Poterit, ergo: Deus uolitionem alicuius creaturæ qua uelit. Verbi gratia creari nouū Angelum, extendere sua immensa uirtute, ut dependenter a uoluntate illius creaturæ fiat ille Angelus.

Subiectum circa quod. Subiectum ex quo.

Non implicat ex quinto capite, quod creatura non possit attingere ipsum nihil, quia quod non est, tangi non potest, quare inquiunt, neque poterit rem creabilem attingere, Respondeo enim in hoc maximam esse deceptionem; nam uerum est, quod creatura non potest tangere ipsum nihil: sed dico, ne Deus quidem potest ipsum nihil tangere: quod enim non est, tangi non potest. Cesset, ergo: hæc locutio. Quod igitur tangitur, est res, quæ creatur,

tur,


tur, non autem ipsum nihil. Creatura autem, esse rei illius, quòd creatur tangere quidem nō potest uirtute propria, at uirtute Dei potest: sicut, neque potest creatura uirtute sua propria mortuum suscitare, uel cæcum illuminare, uel Solem remorari, at extendente Deo actionem creaturarum, Creaturæ mortuos suscitant cæcos illuminant, Solem retardāt, & etiam creare poterunt, si Deus uoluerit.

Non implicat ex sexto capite, Ex eo, quod instrumentum limitet actionem principalis agentis, hoc enim uniuersaliter falsum est, licet interdum in rebus naturalibus ita accidat. Quod patet, qā dum creatura concurrit instrumentaliter ad facienda miracula; non limitat infinitam uirtutem Dei, alioqui Deus per seruos suos non posset operari miracula. Hoc igitur impedimentum oritur ex illa deceptione, qua putant poni uirtutem principalis agentis in creatura; quod supra ostendi esse falsum. Nam Deus cum creatura operans, uirtutem suam creaturæ non alligat.

Non obstat ex ultimo capite, quod scilicet creatura non possit dispositiue operari ad effectum creationis, quia de ratione instrumenti non est, quod dispositiue operetur ad effectum principalis agentis, quod ad tædium euitandum sequenti sectione ondetur.

SECTIO IIII.

Ostenditur non esse de ratione instrumenti, quod dispositiue operetur ad effectum principalis agentis.



Lurimi ex doctoribus primæ sententiæ concedunt, aliquam creaturæ operationem a Deo instrumentaliter assumi, & concurrere posse ad creationem, sed negant eam proprie dici posse instrumentum; eo q̄d nullam habeat dispositionem, ita Banes, Valentia, Caietanus, & fere discipuli Sancti Tho. Et hac de causa Michael Palacius, merito docuit, hanc nostram sententiam esse communiorem. Quia maxima doctorum pars consentit, non implicare contradictionem, quòd aliqua operatio creaturæ ad creationem libere assumatur a Deo, sed negant, posse tunc creaturam dici instrumentum, quia nullam dispositionem, uel aptitudinem habeat ad creandum. Quod si illam conditionem necessariam non esse putarent; facile in sententiam nostram fluerent; Econtra, si illam conditionem necessariam esse, & doctores nostræ sententiæ, & ego putaremus, pedibus in primam sententiam iremus, Quare principalior disputationis nostræ status, seu punctus est in hoc potius, an sit de intrinseca ratione instrumēti, quod dispositiue concurrat ad effectum principalis agentis. Ex quo patet, hic disputari consequenter, quid nam instrumenti nomine intelligatur.

Quō secunda sententia sit communior.

Quis sit præsentis dubitationis status.

Vt igitur ostendam, non esse de ratione intrinseca instrumenti, quod dispositiue concurrat ad opus, ad quod assumitur a principali agente, hoc censeo diligentissime esse considerandum: Qd instrumenta in duplici sunt differentia. Quædam sunt, quæ ideo ab agente principali assumuntur, quia uere agens principale indiget instrumento, & in operando ab instrumento ita dependet, ut sine illo opus suum non possit efficere, hoc modo scriptor necessario exigit calamum, pictor pennicillum, sutor acum, faber malleum. Et hæc dicuntur instrumenta necessaria.

Instrumenta necessaria.

Alia uero sunt, a quibus principale agẽs in agendo non dependet, ideo si illa assumit, nõ necessario assumit, sed uoluntarie, quia ita ipsi agenti placet per instrumentum efficere, quod etiam absq; instrumento efficere posset. Hoc autem exemplis ita esse, comprobatur, tum in moralibus, tum in naturalibus. Princeps enim utitur secretario suo ad epistolas conscribendas, quas posset per se scribere, vel utitur hoc secretario, cum alio uti posset. Item iudice utitur delegato, ad id efficiendum, quod ipse posset efficere. In physicis instrumentis, idem probatur. Deus manna populum sustentauit, quem absque manna sustentare potuisset, Item per sanctos uiros miracula efficit, quæ sine illis posset efficere, per sacramenta iustificat, qui sine sacramentis iustificare posset. Et hæc instrumenta, respectu principalis agentis dicuntur uoluntaria. In ijs igitur instrumentis uoluntarijs a quibus agens non dependet, non requiritur dispositio ad effectum. Imo Deus propter suam omnipotentiam, instrumentis utitur maxime imperfectis, & sępissime ad maiestatis, & potentiæ suæ excellentiam declarandam nõ solum instrumentis, fauorabiles ad opus dispositiones habentibus, utitur, sed instrumenta eligit, contrarias etiam dispositiones habentia. Hoc autem ideo facit, ne uirtus primaria instrumentis attribuatur, ideo dicit 1. Cor. 1. Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentũ reprobabo. & ibidem. Quæ infirma, & abiecta sunt elegit Deus; ut confundat fortia. Ita ad conuertẽdum totum mũdũ, disseminãdamq; fidem, duodecim rudibus, ignobilibusq; discipulis usus est: ita per sal amarum, dulcorem aquis mediante Heliseo contulit. 4. Reg. 2. insigni illo stratagemate, minime tñ ad expugnãdos hostes apto tubarum. s. & laguncularum contra Madian usus est Iudic. capit. 7. Ita Esaias 4. Reg. 20. Sanaturus Ezechiã, iussit afferri massam ficorum, & poni super ulcus eius: Fuit autem medicamentum contrarium, quia ut Carthus. ait laborabat Ezechias morbo regio, & tamen sanatus est. Ita Christus cæcum a natiuitate illuminauit luto, instrumento, scilicet apto potius ad excęcandum illum sanum oculum, quam ad illuminandum obcæcatum oculum. Quare Sanctus Ioann. Chrisosto. hom. 4. in epistolam primam ad Cor. tractans illa uerba. Prædicamus Christum crucifixum &c. Christus inquit, cum cæcum sanare uellet per rem oculis contrariam, cæcitate liberauit, quippe qui lutum oculis

Instrumẽta uoluntaria.

Deus ad oĩpotẽtiã suã ostendendã instrumentis maxime ineptis utitur.

lis superposuit. Vt igitur per lutum cæcum curauit, ita orbem terrarum, per crucem ad se allexit, eodē modo in creatura facit contraria, per contraria constituens.

His doctores primæ sententiæ respondent, hæc non esse uera instrumenta; sed hoc est cōtra communem consensum omnium, illud enim per quod aliquid fit, est instrumētum; Istæ autem propositiones ueræ sunt, Christus per lutum illuminauit cæcum, Heliseus per sal, seu sale dulcorem aquis impertitus est; Esaias ficubus curauit Ezechiam. Nec dicant, illam particulaam, per, non significare semper instrumētum, quia in illo Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, non significat instrumentum; Quia in eo loco significat causalitatem maiorem causalitate instrumēti. In ijs igitur propositionibus, quæ communiter a patribus usurpantur; luto, seu per lutum illuminauit cæcum, &c. cum illa particula, per, non possit significare causam principalem, ut expresse docent Sanctus Ioann. Chrisosto. in illum locum. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan. c. 15. Theophil. & Euch. in cap. 9. Ioan. significabit igitur instrumētum. Preterea quia actiones ijs, licet minus principaliter attribuuntur, at illud, cui actio tribuitur, saltem est instrumentum. Ita dicitur sal dulcedinem contulisse aquis; lutum illuminasse, ficus curasse ulcus. Ita crux dicitur saluasse mundum, quatenus Christus per crucem saluauit. Ita sacramenta, prout de fide, sunt uere & proprie instrumenta, & tamen si considerentur, quatenus sunt elementa quædam, uel res sensibiles quam aptitudinem habent? Nec dicas quia significant sunt apta, nam Deus, sicuti uirtutem iustificandi contulit sacramentis illis significantibus, ita potuisset illam eandem uirtutem conferre rebus non significantibus; si uoluisset. Cur enim si uoluisset, non ita potuisset dare igni uirtutem ad delendum originale peccatum, sicut aquę? Hęc igitur licet non sint instrumenta necessaria, a quibus Deus dependeat; sed uoluntaria, sunt tamen uere, & proprie instrumenta.

Tertiò argumento principali probatur nostra sententia, Quia sacerdos consecrans, uere, & proprie instrumentaliter tamen efficit tam excellentem, tamque supereminentem conuersionem, quam sacro sancta Concilia merito Transubstantiationem nominarunt panis scilicet & uini, in ueram substantiam corporis, & sanguinis Christi Domini, & hoc est de fide Concilium Trid. sess. 13. de Eucharistia Can. 2. & tamen quam aptitudinem? quam proportionem? quam cooperationem habet, uel habere potest sacerdos, si consideretur, ut purus homo. Item sacerdos uere absoluit a peccatis, uere iudicialiter peccata dimittit. Conc. Trid. ses. 13. de sacramento. Pęn. can. 8. & 9.

Sacerdos uere cōsecrat: uere absoluit: uere peccata dimittit.

Quartò, De facto gratia, quæ datur in sacramentis, creatur, sed sacramenta uere sunt instrumenta gratiæ, ergo instrumentaliter illam creant. Et quidem non eam prouinciam ingrediar, ut modum explicem, quo sacramenta gratiam causent; quę longissimā

dispu-

disputationem exigeret, Tamē quia apud doctores primę senten tiæ solet hic modus esse probatissimus, quod gratia non creatur, sed educatur e potentia obedientiali animæ (ut interim taceam illud, quòd dñt gratiam non creari, sed concreari, quia hoc non facit ad rem, cum enim difficultas creandi tota in eo sit, quod ex nihilo producatur, siue illud, quod producitur, sit per se subsistēs, siue non, parum ad rem cōfert.) Hoc solo argumento breuiter impugnabo illum modum de eductione gratiæ e potentia obedientiali animæ. Quia numquam inuenient in scripturis, uel Concilijs, uel patribus, uel philosophis, quod illud, quod ex aliquo subiecto educitur, dicatur infundi; imo esset locutio omnino contraria rei, quæ fit, At in scripturis in Concilijs & Patribus dicitur gratia, & charitas infundi. Ephes. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris Concilium Viennense, ut in Clementinis de summa Trinit. & fide Catholica in fine. In baptismo, inquit culpa remittitur, uirtutes, ac informans, gratia infunditur quo ad habitum. Concilium Trid. ses. 6. de iustific. cap. 7. In ipsa iustificatione, simul cū peccatorū remissione, hęc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, charitatem: Hac de causa, Concilium Laterané. sub Leone X. ad explicandum magis quod anima rationalis sit immortalis, & spiritualis ut contra distinguat ab animabus corruptibilibus, quę educuntur, docet rationalem animam infundi; Ita etiā Sancti Patres communiter loquūtur, quorum auctoritates, hic censeo omittendas. Ideo, quia Angelorum species in intellectu Angelorum a Deo creantur, dicuntur infusæ. Adde quod Concilia, & Patres eodem modo infundi dicunt gratiam, quo etiā fidem. Cum ergo fides subiectetur in intellectu, qui non est substantia, sed potentia, quomodo ex illo posset educi? Si igitur gratia creatur, & sacramenta uera instrumenta sunt, physice gratiam attingentia, sequitur, quod sacramenta gratiam creent instrumentaliter. Adde quod Christo, ut homini hæc excellentia creandi instrumentaliter, non est deneganda: sed de hoc in 3. sent. Nunc soluamus argumenta primæ sententiæ.

Gratia creatur.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta primæ sententiæ.



AD primum & secundum respondeo, euidentissime loca illa scripturę, & Patrum intelligi de creatore, ut principali agente, quæ sine dubio soli Deo competit, ut supra ostensum est.

Ad tertiū Respondeo. Loca quidem Patrum prima facie uidentur sententiam nostram impugnare; Reuera tamen, si quis ueritatis cognoscendæ gratia, sicuti quilibet lector studere debet

debet non autem contentionis gratia conſideret doctrinam patrum; nulla ratione ſententiam noſtram oppugnant. Vt igitur uideamus, quomodo recte Patres impugnent Arrium dicentem, filium eſſe creaturam, & Patris in creatione fuiſſe miniſtrum, uidendum eſt prius, quęnam fuerit Arij hęreſis quo ad hoc.

Quomodo Arrius Verbum creationis miniſtrum appellauerit.

Arrius igitur, non docuit umquam; quod Pater, ut Deus, condiderit orbem, & in orbe condendo uſus ſit filio ſuo, quem creaturam faciebat, ut inſtrumento; ita ut Pater uere eſſet agens principale, actu tamen, ſimul cum filio, ut inſtrumento operans; Sed Arrius dicebat, Quia creaturę non potuiſſent uirtutem Patris ſuſtinere, ideo Pater nihil præter quam filium creauit, reliquarum uero craturarum creationem filio demandauit, ita ut Filius tamquam excellentiſſima creatura accepta uoluntate Patris; propria ſua uirtute creauerit reliquas creaturas; ita explicabat illud Iohan. primo. Omnia per ipſum facta ſunt quia Pater nihil immediate creauit, ſed ſolus filius; Et quia filius acceperat uirtutem creandi a patre, & creabat id, quod uolebat Pater, ideo dicebatur ab illo inſtrumentum Patris: Vnde ſequebatur quod filius, qui ſecundum Arrium erat creatura, propria uirtute ſemel a patre accepta creaſſet, ideo dicebat filium eſſe creatum a Patre, ut ipſe filius crearet reliquas creaturas ſicuti filius miniſtrans regi, regem induendo, excalceando, poculum præbendo, propria uirtute regi miniſtrat, non autem uiribus ab ipſo rege tunc, ſed in prima tantum generatione acceptis. Et quod hæc fuerit mens Arrij, teſtantur Sancti Patres Athanaſ. accerrimus ipſius Arrij oppugnatur, in lib. de decretis Nicenæ Synodi ſub initium. Filius Dei duntaxat creatus eſt, quia cætera indomitam uim manus Dei, in fingendo perferre nequiuerant, ut ea a filio, quaſi ſuccenturiato, ſubminiſtroque crearentur. Id enim Aſterius ſacrificator idolorum ſcripſit, & Arrius tranſcriptum ſuis tradidit, Quam ſententiolã deinde cæteri, tamquam calamũ confractum uſurpant, non agnoſcẽtes ſtulti, quam ea ſit friuola, & nullius momenti, ſi enim impoſſibile erat, vt res creandæ manum Dei ingeniti perferrent; Filiusque eius, pro eorum opinione creatura eſt. Quomodo ille ſolus potuit uim diuinæ manus, dũ crearetur, perferre. Hæc S. Athanaſius, ita etiam Cyrill. lib. 6. Theſauri cap. primo poſt medium. Nazianzen. orationem 2. de paſcate quamuis obſcurius Epiphan. hęr. 69. Sanctus Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 6. 7. 8.

Hanc igitur Arrij impietatem Sancti Patres oppugnarunt, docentes, quòd, ex eo, quod Filius creauerit, quod non ſit creatura, & quod ſi eſſet creatura, non potuiſſet creare; neque ut miniſter, neque ut inſtrũm ea ratione, qua Arrius ſtatuebat, qui potius miniſtrum Filium uocabat moraliter, quam phyſicę; quatenus ſcilicet Filius ſua uirtute creabat ea, quæ Pater uoluiſſet. Ita hac ratione Sanctus Auguſtinus lib. 12. de Ciuitat. cap. 24. docuit quod Angeli, ne iuſſi quidem creare poſſunt; quod hac ratione intelligitur,

Arrius Verbum inſtrumentum in creatione potius morale quam phyſicũ faciebat.

E

tur, Quod si Deus iuberet Angelis, ut efficerent, quicquid uirtute sua possent, & quod crearent; tamen ipsi sic iussi creare non possent. Aliud est igitur creaturam concurrere instrumentaliter ad creandum, ita ut Deus actu, tamquã principale agens operetur; Aliud est creaturam instrumentaliter concurrere ad creandum; ita ut actu Deus non concurrat ad creandum, tamquam agens principale. Hoc secundum est illud quod Arrius effutiebat, & qd Sancti Patres damnarunt; Illud uero primum est, quod nos cum doctoribus secundæ sententiæ asserimus. Vnde patet, nullo modo sententiam nostram sanctorum dictis esse contrariam, Quia in nostra sententia nec creatura concurrit ad creandum uirtute sua, sed in uirtute principalis agentis; nec creatio creaturæ attribuitur; sed ipsi Deo; qui non creaturę indigentia, sed pro uoluntatis suæ libertate potest uti creatura, quomodocumque uoluerit.

Quomodo opinio asserens creaturam instrumentaliter posse creare nihil sit contraria Sanctis Patribus.

Ad quartum & quintum patet ex dictis.

Ad sextum Respond. argumentum illud Scoti conuincere tantum, quòd nulla creatura possit, tamquã primarium agens, cõcurrere ad creandum. Ideo ad primam probationẽ minoris: respondeo, quòd Deus, quamcumque operationem creaturæ assumere potest, licet sit accidens, & per illud substantiam producere. Si enim accidens (licet Scotus huic doctrinæ non acquiescat) secundum communem doctorum sententiam naturaliter, ut instrumentum substantiæ producit substantiam, in uirtute ipsius substantiæ, cur non magis poterit eandem in uirtute Dei producere? Ad illud, quòd de accidente docuit Scotus; dico quòd si argumentum Scoti ualeret, eodem modo concluderet, non posse, nec a Deo quidem creari. Ad illud de creatura materiali respondeo illud esse uerum, quando agens materiale, naturali sua uirtute operatur, non autem, si a supernaturali uirtute eleuetur.

Ad septimum Respond. nego antecedens, nam sacramenta, quæ sunt uera instrumenta Dei, non limitant actionem neque uirtutem Dei, qui non alligatur sacramentis.

Ad octauum Respond. In hoc esse deceptionem maximam, qđ arbitrentur quidam, uirtutem agentis principalis, ita instrumento communicari; ut subiectiue recipiatur agentis primarij uirtus in instrumento, quod tamen falsissimum est; Vt patet in penicillo, qui subiectiue non recipit in se uirtutem pictoris, sed tantum a pictore mouetur. Ita, quando Deus utitur sanctis instrumentaliter ad opera miraculosa, tunc non ponit uirtutem suam, quæ est ipsamet Dei substantia, ita in creatura, ut in illa in existat subiectiue.

Ad Nonũ Respond. in hoc etiam esse deceptionem maximam, quia putant ipsum nihil, debere tangi a creatura, cum tamẽ ne a Deo quidem tangatur. Dico ergo creaturam instrumentaliter posse attingere effectum, quem creat, non quidem uirtute propria, sed in uirtute ipsius Dei; qui ut primarium agens, ipsum opus,

opus, quod creatur, attinget. Hoc igitur opus contactu uirtuali creatura poteſt attingere.

Ad vltimum Reſpond. nego antecedens ut ſupra explicaui plurimæ enim operationes creaturarum, ut uolitiones intellectiones &c. non ſunt circa ſubiectum, ex quo, quod eſt materia; ſed perſæpe ſunt tantum circa obiectum, circa quod, quod ab omni corporeæ materiei concretione ſeiunctum eſt; ut cum quis intelligit, uel uult, uel amat Deum, uel Angelos, tunc iſtę operationes ſunt circa obiectum immateriale ſatisfit. Et de hac diſputatione.

DISPVTATIO IIII.

Vtrum Deus omnia entia creauerit, etiam materiam primam.



Vit quorundam, qui uere, non ſolum Philoſophi, ſed etiam rationalis naturæ nomine indigni ſunt, rudis ſtultitia, qui eouſque dementię deuenerunt, ut materiam primam docuerint eſſe Deum, ideoque æternam, atque infectam. In hoc errore Sāctus Thomas p.p.q.3.art.8. citat Dauidem quendam Dinantem, Albertus. D.Thom. præceptor in primo phyſ. tractatu 3.ca.13. eundem errorem tribuit cuidam Alexandro Epicureo. Alij in eodem errore citant Hermagoram philoſophum. In eodem errore quoſdam ex Barbaris, ac Græcis citat, & fuſe confutat Euſebius Ceſarien. lib.7. de pręparatione Euangelica, cap.8.

Alij uerò, non quidem recte, ſed minus ſtulte ſapientes, cognouerunt quidem materiam non eſſe Deum, ſed tamen illam infectam, atque Deo coęternam ſtatuerunt, Huius Hęreſeos auctores. Sanctus Auguſ. lib. de hæreſibus cap. 59. dicit fuiſſe Seleucum, a quo Seleuciani, & Hermiam, a quo Hermiani, eandem ipſis aſcribit Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus in catalogo Hæreſum, & Prateolus lib.17. de ſectis hæreticorum. cap.21. & lib.1. cap.22. lib. 8. cap.9. eandem Albanenſibus impingit. Eandem Platoni tribuit Sanctus Athanaſius lib. de humanitate Verbi initio, Sanctus Hieronymus in cap.1. epiſtolæ ad Epheſios eãdem tribuit Manicheis. In eodem errore fuerunt Anaxagoras, πανσπερμιαν, i. ſimilarium partium omni ſeminarium, & Democritus, & Epicurus Athomos, & alij Chaos rerum naturalium primũ facientes principiũ.

Inter eos tamen, qui materiam primam docuerant eſſe factam, fuerunt impijſs. Marcio a Sancto Polycarpo dictus primogenitus diaboli, & Manichæus cum ſequacibus, qui dixerunt materiam primam eſſe quidem factã, ſed tamen non a Deo, ſed a malo principio, ideo eſſe quo ad naturam ſuam malam: ita hunc errorem

ipsis tribuunt Ireneus lib.4. contra hæreses cap.29. & 57. Tertull. lib.de hæresibus. Euseb. Cesarien.lib.4.hist. Ecclesiasticæ, & lib.7. de præparatione Euangelica cap.8. licet ibi eos non nominet.Sanctus Augustinus lib.11.de Gen.ad litteram,cap.30. & lib.de hæresibus,& in lib.contra Manicheos,& Priscilianist. Epipha.hær.66. Theodoretus epithome diuinorum decr.cap.de demonibus.Prateolus lib.11.de sectis,capitu.6. & 12.Philastrius in catalago hæresum. Alfonsus Castren.in lib.contra hæreses, uerbo Materia.

His omnibus erroribus apposita est Fides catholica,quæ docet, omnia plane entia, quæ in mundo sunt, a Deo esse condita, quæ hac conclusione comprobatur.

Conclusio decisiua,Deus Opt.Max.conditor est cœli, ac terræ, & omnium uisibilium,& inuisibilium entium, ipsius etiam materiæ primæ.Hæc conclusio probatur.

Primò ex sacris literis Iohã.primo. Oĩa per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. quod dictum maxime a D.Paulo extenditur, & explicatur ad Coloss.1. cum dicit: Omnia, quæ in cœlo, & quæ in terris, siue nisi uisibilia, siue inuisibilia, siue Angeli, siue Archangeli principatus, seu potestates: omnia in ipso,& per ipsum condita sunt. Hester, Tu creasti cœlum, & terram, lib.2. Macab.cap.7 Peto a te,ut aspicias ad cœlum,& terram, & omnia, quæ in eis sunt,& intelligas,quia ex nihilo,fecit illa Deus, Apoc. 4.Tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam erant, & creata sunt, & alibi sæpe.

Secundò definita est in sacris Concilijs, ideo in Concilio Apostolorum registrata est in artic. primo, creatorem cœli, & terræ, Catechismus editus iussu Conc. Trident. extendit ad omnia plane,quæ sunt,ideo in Concilio Niceno primo uniuersalissime dicitur: Factorem cœli,& terræ,uisibilium, & inuisibilium. Ita in Concilio Lateranense,sub Innocentio III. & in Concilio Arelat.sub Leone I. in decretis ipsius, epistola 91.cap.1.numero 9.

Tertiò ex Sanctis Patribus. Athanas.lib. de humanitate Verbi initio. Si materiæ inquit auctor non est Deus,sed ea subministrata,res creandas producit,imbecillis repperitur,cũ citra materiam nihil possit condere. Quod si sine materia nihil possit condere, non illi competit nomen creatoris.Et omnino conditor non appellabitur,qui materiã non condidit,ex qua creaturæ constituuntur,& infra multis in hunc errorem inuehitur.

Sanctus Bernardus lib.5.de consideratione,frustra ait Philosophi materiam quærunt,non eguit materia Deus, non enim officinam quæsiuit, non artificem, ipse enim per se omnia fecit. Vnde? de nihilo,nam si ex aliquo fecit,& illud non fecit,non ergo omnia fecit.

Sanctus Cyrillus Alexan. lib.primo in Ioan. cap.6. Quicquid natura Deus non est,id certe creatum est,& rursus quicquid creaturæ esse negatur, id certe Deus est.

Sanctus

Sanctus August. lib. 9. de Gen. ad litteris cap. 15. solus uniuscuiusque naturæ siue magnæ, siue minimę, creator est Deus in psal. 118. Nullius, quamuis minimæ naturæ, nisi Deum creatorem dici, aut credi fas est. Nemo uos e fide excutiat, qui fecit in cœlo Angelum, fecit in terra uermiculum lib. de fide ad Pet. cap. 3. Firmissime tene omnem naturam, quæ non est Trinitas, ab ipsa Trinitate esse creatam, lib. de uera innocentia cap. 378. Quantacumque bona, quantacumque magna, quātacumque minima nisi ex Deo esse non possunt libro. 2. contra Felicianum, multa habet, quę qm̄ prolixiora sunt, prætermittenda a nobis sunt; lib. 12. confess. ca. 3. Nonne tu Domine docuisti me, prius quam informē materiam formares, & infra. Duo Domine fecisti, unum prope te, hoc est Angelicam naturam, & aliud prope nihil, hoc est informem materiam, lib. 20. contra Faustum. Hylen nanque Græci, cum de natura differit, materiam quandam definiunt &c. Verum inquit, in hoc errant quidam gentilium, quod eam tanquam coęternam Deo coniungunt, ut hec ab illo non sit, quamuis ab illo formetur, Quod alienū esse a veritate, ipsa ueritas docet. Creata est materia a Deo, libro primo de Genesi. contra Manicheum capitulo sexto. Omnipotens Deus, materia adiuuandus non erat. libro ad Orosium contra Priscilianistas, & Origenistas, capitulo secundo. Materia ab ipso Deo constituta dignoscitur, a quo constitutus est mundus. In libro de simbolo. Mementote ita credere Deum omnipotentem; ut nulla omnino natura sit, quam non ipse condiderit. Et infra sine dubio negat omnipotentem, quia ita dicit, quod mundum Deus facere non posset, si unde faceret, non haberet, & paulo post. Non enim Deus, uelut sibi coæternam, unde mundum fabricaret, inuenit materiam, sed eam ipse ex omnino nihilo cum rebus, quas de illa fecit, instituit, & infra plurima habet. Et in disputatione prima cuntra Fortunatum Manicheum. Omnipotens non est, qui quærit adiuuari ab aliqua materia, unde faciat, quod uelit, libro de uera religione, capitulo 18. Vnde omnia fecit? Ex nihilo libro primo de Gen. contra Manicheos. Prima materia facta est confusa, & informis, unde oīa fierent, &c. & communiter Patres in illud Genes. primo. In principio creauit cœlū, & terram, & in illud Iohan. primo. Omnia per ipsum facta sunt, & in alia loca scripturæ a nobis citata.

Tertiò probatur rationibus allatis supra in disputatione secunda, cum ostendimus posse naturaliter cognosci creationem, quas ibi legere poteris.

DISPVTATIO V.

Vtrum omnia, quæ a Deo creata sunt, bona sint.


Nostici, originem trahentes a Basilide impiissimo cuius supra fecimus mentionem; D. Hiero. lib. de uiris illustribus D. Augu. lib. primo de hęresibus referentibus, Quamuis Philastrius in catalogo hęresum dicat, originem duxisse a Nicolao diacono. Ireneus uero dicit a Carpocrate quodam, quare etiam Carpocratiani dicti sunt. Item Manichei, ex D. August. lib. 90. quæstionum. Epiphanio hęr. 66. Item Pricillianistę damnati in Concilio Bracarensi: primo cap. primo can. 7. & a Leone primo epistola 91. cap. primo. Item Marchionistæ, & Cerdonistę, ex Theodoreto epithome diuinorũ decretorũ cap. de diabolo. Hi inquam omnes hęretici docuerant quasdam naturas, a Deo malas esse conditas, Imo duos Deos, alterum bonum, alterum malum fingebant; a bono dicebant bona esse creata, a malo mala; fundamenta huius erroris infra ponentur in dist 6.

Catholica autem ueritas docet, Deum omnia plane entia bona fecisse probatur.

Omnia bona a Deo creata sunt. Primò ex sacris litteris. Genesis primo uidit cuncta, quæ fecerat, & erãt ualde bona; & alibi, Cuncta bona operatus est Deus. Ecce non solum bona, sed etiam ualde bona. Sancti Patres omnes in explicatione huius loci Gen. primo, docent nihil mali a Deo esse conditum. Illud tamen mysterio non uacat, quod cum Deus in singularum rerum productione diceret, Et uidit quod esset bonum numquam tamen dixit esse ualde bonum, nisi postquàm uniuersa produxisset, hoc mysterium, non minus docte, quãpie explicat Sanctus Hieronymus in sua regula bene uiuendi ad Eustochium: Vt scilicet commendaret unitatem unum quodque enim secundum philosophos, in tantum habet bonitatis in- Vnio rerum optima. quantum unitatis attinentis suæ naturæ, Quasi uero bonitas non in solis entibus seorsim sumptis, sed in ipsorum entium collectione, ac symmetria multo clarius elucescat. Ideo tanto omnia entia inter sese ordinę colligauit. Hanc bonitatem, quę ex entium unione desumitur acute ad modum acutissimus ille Picus Mirandulanus in sua Eptaplo e sacris litteris, uel potius ex uno sacrarũ litterarũ principio, patefacere elaborauit, cũ docuit, se præter spẽ, opinionemq; suam; rem quãdam mirabilem, inauditam, incredibilemque inuenisse; in unica scilicet dictione sacræ scripturæ uniuersam de mundi creatione rationem esse explicatam. Vt igitur hoc manifestet, accipit primam scripturæ dictionem, quæ est in principio Genesis בראשית. Cuius dictionis si tertiam inquit litteram primæ anteponamus, fit אב. Si geminatæ primæ secundam addamus, fit. בבר. Si præter primam omnes legamus,

Digressio in commendationem mirabilis eruditionis Io. Pici Mirandul.

fit

fit ראשית. Si quartam primæ, & ultimæ connectamns, fit שבת. Si tres primas, quo iacent ordine, statuamus fit. ברא. Si prima omissa, tres sequentes, fit ראש. Si omissis prima, & secunda, duas sequentes, fit אש. Si tribus primis omissis, quartam ultimę copulemus, fit שת. Rursus, si secundam primæ, fit רב. Si post tertiam quintam, tum quartam statuamus, fit. איש. Si primas duas duabus ultimis coagmentemus, fit ברית. Si ultimam primæ, fit ultima dictio, & duodecima, quæ est טב. Quæ omnes dictiones simul iunctę, latine efficiunt hunc sensum. Pater in filio, & per filium, principium, & finem, seu quietem, creauit, caput, ignem, & fundamentum magni hominis, fædere bono. Cuius sententiæ profundissimus est intellectus, qui sensus, ut eliciatur, oportet diligenter adnotare, quod sicut homo dicitur μικρόκοσμος idest paruus mundus, ita totus mundus dicitur μεγάνθρωπος idest magnus mundus. In homine paruo sunt tres partes principales idest caput, cor quod cum sit fons caloris, dicitur ignis; & membra genitalia, In magno igitur homine scilicet in toto mundo, est caput, idest Angeli, quia mens est in capite, Est cor, principium caloris scilicet sol, nobilissima cœli pars, principium caloris, & motus. Adsunt partes genitales, quibus fit generatio, & corruptio, & hęc sunt elementa sublunaria. Est igitur sensus totius sententię Pater in filio, & per filium, qui est A, & Ω, idest principiũ & finis, produxit Angelos, cœlum; & reliqua sublunaria, & coniunxit ea fędere bono; ut scilicet inferiora per superiora regerentur, Ecce igitur, quomodo ex admirabili hac sententia colligitur, quam consulte Deus non dixit de singulis rebus, quod essent ualde bonę, de omnibus autem simul sumptis dixit, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona, At quoniam hæc sententia, acutissima quidem est, & ad modum curiosa, non tum ita ad ueritatem, de qua agimus comprobandum efficax, ideo more nostro firmioribus argumentis, & testimonijs catholicam ueritatem communiamus.

μικρόκοσμος homo.

μεγάνθρωπος mundus.

Secundò igitur probatur eadem ueritas, Quia, si quæ sunt mala cond ita, uel naturę malę, maxime sunt istę, Diabolus, Mors. Peccatum. Materia; Ita enim aduersarij de istis præcipue loquuntur, tamquã de iis, quæ omnium pessima existant; At hoc argumentum nihil efficit, ergo probo minorem.

Quod ad Diabolum attinet in distinctione sexta disp. 5. ostendetur efficacissime, diabolum a Deo conditum esse bonum; & ẽt naturam illius bonam esse; solam uero uoluntatem esse malam, quam Deus in illa malitia non condidit, sed ipse uoluntatem suam corrupit per peccatum.

Diabolus quo ad naturam bonus est.

Quod ad mortem attinet, est aperta sententia sapientiæ primo. Quod Deus mortem non fecit, qui fecit hominem in exterminabilem, sed ipse homo mortem sibi consciuit, quia Rom. 5. Per peccatum mors. Mors autem, non est natura aliqua positiua,

Deus mortem non fecit.

sed

sed priuatiua, Ideo a Deo nō est facta; Nec ēt mirum est, quod, & diabolus, et hō mortis sint auctores, quia mors tendit ad nihilum, hō autem peccando deficit, et quantum est ex se, in nihilū tendit.

Quod ad peccatum attinet, Deus non est auctor peccati, Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Iustus est enim Deus, omnis autem homo mendax: Ideo sine Deo factum est nihil, idest peccatum, quod de se nihil est, & nihilum tendit. Quia licet quo ad materiale sui sit aliquid positiuum, tamen quo ad formale, est quid priuatiuum, Et licet in scriptura, sint loca quædam, quæ uidentur ostendere, Deum esse auctorem mali, ut illud, Non est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus, & illud. Ego Deus faciens pacem, & creans malum, & quædam similia, tamen hæc intelliguntur de malo pœnæ, non de malo culpæ, ut fusius explicabitur in tomo secundo nostræ scolasticę bibliothecæ in secundum sent.

Quod ad materiam attinet, constat illam esse bonam quia est ens quoddam, licet imperfectum, omne autem ens, est bonum, sed præter hæc accedant. Patrum testimonia.

Sanctus Dionisius cap. 4. de diuinis nominibus, Deus inquit, cum sit summum bonum, ideo bonitatem suam, ueluti Sol radios in creaturas suas effundit.

Sanctus Basilius, hom. quod Deus non sit auctor malorum, disce, quia malum nulla natura est.

Theodoretus epithome diuinorū decretorum, cap. de diabolo, Deus inquit malam naturam fabricatus non est, bonorum enim sicuti, & ipse bonus est, effector est.

Aurea de summa Dei bonitate sententia. Sanctus Anselmus lib. de casu diaboli per totum, hoc quod agimus fusissime probat. Nempe inquit, sicut a summo bono non est nisi bonum, & omne bonum est a summo bono, ita a summa essentia, non est nisi essenia; & omnis essentia est a summa essentia, Vnde quoniā summum bonum est summa essentia, consequens est, ut omne bonum sit essentia, & omnis essentia bonum; Nihil ergo, & non esse, sicut non est essentia, non est bonum.

S. Dam. li. 2. de fide orto. c. 4. Natura q̄libet bona a Deo facta est.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione prima cōtra Iulianum apostatam, & oratione in sanctum baptisma. Crede inquit, nullam mali essentiam esse, nec principiatum, aut principij expertem, aut a se ipso subsistentem, aut a Deo creatum, sed nos, pestiferumque spiritum, fabros eius, & architectos esse. Plures auctoritates in re clarissima non est opus coaceruare, si quis tamen plures desideret legat Ireneum, lib. 4. contra hæreses Valentini. capit. 72. Epiphan. hæresi. 66. Prosperum in libro 1. 2. & 3. de uita contemplatiua. Sanctū Augustinum sæpissime contra Manicheos disputātē, Et communiter patres, in illud Gen. Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona; lege etiam, quę infra a nobis dicta sunt in distinctione 6. dispu. 5. An diabolus naturaliter malus sit. (Quis faber & Architectus mali.)

DISPV-

DISPVTATIO VI.

Vtrum per eandem virtutem creauerit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.



Aec quæstio dubitationem nullam habet quæ sit huius loci propria; ea enim quæ ostendunt in filio, & Spiritu Sancto eandem plane inesse substantiam, atque naturam, ostendunt etiam, eandem inesse uirtutem. Ita etiam cum creatio nō sit actus notionalis ad intra, sed actio absoluta ad extra, cōstat, quod una persona non creat sine alia, atque ideo creaturę a tota sanctiss. Trinitate creantur, quòd clare constat, tum ex ijs, quæ in primo sententiarum libro disputantur, tum ex sententijs, & auctoritatibus Patrum, quas in superioribus disputationibus attulimus, præcipue ex D. Augu. lib. de fide ad Petrum. cap. 3. Ideo hæc disputatio fusius a nobis discutienda non est.

DISPVTATIO VII.

Vtrum aliqua creatura potuerit esse ab æterno.



Rrius filij consubstantialitatem negans, filium dicebat esse creaturam, hāc tamen æternam esse dicebat, quamuis diceret, ex non existentibus esse factam, & deinde parum sibi constans, quia errori suo defendendo magis fauebat, docuit, non fuisse filium patri coæternum, dicens, fuit quando non fuit filius. Erat quando non erat filius. Plato uero, et cum ipso Origenes, animas humanas, & Angelos æternos ponebant, ex hoc principio plurima maximè absurda deducentes, de quibus infra agetur. Aristoteles autem, & omnes antiqui Philosophi, nno Platone excepto, mundum ęternum esse arbitrabantur, sicut ostendi supra in dispu. 2. **Arrius in constans.**

At quod grauius est, Sanctus Basilius in sermone primo. Hexameron de facto, cœlum empyreum describit, & illud æternum facere uidetur, sic dicens. Erat sane quidam status, mundi generatione uetustior, abstractis illis a concretione materiæ potentiis, mundo pręstantioribus conueniens, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum, ac sempiternus, hoc est nulli unquā subiectus corruptioni, ac destructioni, Opificia autem in ipso omnium conditor perfecit, lucem spiritualem, beatitudini diligentium dominum conuenientem, de quo mentionem etiam facit in sermone secundo Hexam. August. Eugubinus in sua Cosmópœia,

Eugubini sententia de cœlo Empyreo.

pœia, & libello de rebus incorruptibilibus, & inuisibilibus, dicit cœlum empyreum esse æternum, quamquam, & increatum illud faciat, quod, qua ratione sit intelligendum, explicauimus in distinctione 2. disputat. 6. sectione prima, ubi ostendimus Sanctum Basilium, & Eugubinum. Empyreum cœlum sumpsisse pro ipsa claritate diuina, Sanctus etiam Basilius commode explicari posset, de euiternitate cœli quòd dicit æternum, ac sempiternum, id est, ut ipse explicat nulli corruptioni obnoxium. Verum hæc missa faciamus. nam constat de facto, nullam creaturam esse ab æterno, quod ex testimoniis, quæ infra afferemus, ad ostendendum creaturam æternam esse non posse, clarum fiet. Illam igitur sententiam de possibili tantum tractemus scilicet utrum possibile sit, mundum esse ab æterno, maxime in ordine ad absolutam Dei potentiam.

Prima sententia est, dicentium implicare contradictionem, quod mundus ab æterno esse potuerit. ita Sanctus Bonauentura distin. prima q. p. Marsil. Riccardus in hac distinctione Henricus Gandaué. quodlib. primo q. 7. Phyloponus in solutione argumentorum Procli Herueus quodlib. primo q. 7. Gregorius de Valentia disp. de duratione rerum q. 3. puncto. 2. in fine. Franciscus Toletus in lib. 8. physi. q. 2. Hæc sententia probatur ualidissimis argumentis.

Primò ex sacris litteris, in quibus æternitas Deo attribuitur tamquam proprium ipsius attributum, in quo æterni nomine Deus quodammodo, & gloriari, & tripudiare uidetur. Es. 41. Ego Dominus, primus, & nouissimus; Viderunt insulæ, & timuerunt &c. Es. 44. eadem uerba repetuntur, Esaiæ. 48. Audi Israel, Audi Iacob, quem ego uoco. Ego ipse. Ego primus, & ego nouissimus. Manus quoque mea fundauit terram. In Apocalipsi sæpius ἀντονοματικῶς uocatur Deus. Qui est, qui erat, & qui futurus est. hac enim circuitione describitur æternitas. Ideo gloriabundus ita se nominat. Exodi. 3. Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad uos; ergo hęc æternitas nulli creaturæ competere posse uidetur.

Aeternitas Dei ppria.

Secundò probatur ex auctoritate Patrum, qui expresse docent, creaturam æternam esse non posse. Imo argumentantes contra Arrium, qui filium creaturam esse dicebat, Ex eo, quod filius in scripturis æternus dicitur, inferunt, Ergo non est creatura.

Sanctus Hilarius in ps. 148. Nullus hic fortuitorum concursus, nulla naturæ propriæ uirtus, nulla æternitatis ex semet substantia, in his, quæ creata docentur, admittitur.

Sanctus Cyrillus Alex. lib. 12. Thesauri, cap. 13. docto Sorite concludit, filium non esse creaturam, & inter plurimas, hac etiam utitur argumentatione. Aeternitatis uocabulum de Deo dicitur apud scripturam; productionē enim e nihilo pænitus interimit, & ideo æternitas Dei solum modo naturæ substantialiter inest.

Si

Si ergo æterna uita filius est,& apud Patrem,quomodo erit creatura?cum creatura æterna dici non possit.

Sanctus Athanas. lib.de synodi Nicenæ decretis pluribus probat, filium fuisse semper cum patre,& postea infert,ergo non est creatura. Et in disputatione contra Arrium habita in Concilio Niceno conuincit Arrium, ut concedat,filium esse æternum. respondet Arrius, Esto sit ęternus filius,sed ita,ut ab æterno conditus,æternitatem quoque in se habeat. Contra urget Athanasius, Si æternus est filius, non est creatura, contra, si creatura est,æternus non fuerit. Idem probat eadem fere ratione oratione secunda contra Arrianos.

Sanctus Ioan. Damasc.lib.primo de fide orthodoxa cap.8.Creatio inquit a Deo, cum uoluntatis opus sit,non coæterna Deo est; quandoquidem suapte natura capax non sit; quod de non esse, ad esse deducitur, coæternum illi esse, qui sine principio, atque aliquid sempiternum esse.

Sanctus Basilius,lib.2.contra Eunomium,nos eiusdem dementiæ esse putamus; & creaturæ æternitatis testimonium præbere, & creaturæ dominum in hac confessione priuare, Et concione prima, in initium Euangelii Ioannis. Omnis creatura posterior sęculis est principio,ut sit a conditore accepto.

Sanctus Ambrosius libro primo Hexameron capitu. 2. contra Philosophos ait.Quomodo mundum æternum asserunt,& creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturam, corpusque materiale mundi,inuisibili illi,atque inaccessibili naturæ diuinę coniungendum putant?& alibi,quid tam absurdum, quam ut æternitas operis æternitati iungatur auctoris?

Sanctus Augustinus sermone 38. de verbis Domini, Aeternitas uera est in Deo, libro de vera innocentia. cap.3. Vera æternitas, & vera immutabilitas non est, nisi in deitate Trinitatis, cui, quod est esse perpetuum est, quia est natura initio carens, incremento non indigēs, sicut nullū finem, ita nullam mutabilitatem recipiens. Creaturæ enim illæ, quibus Deus æternitatem dedit, vel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt, & in eodem libro capitu. 183. Vera ęternitas Dei est,qui solus habet immortalitatem.

Hugo de Sancto Vict.lib. primo de sacramentis,parte 3.cap.16. Omne, quod mutabile est,aliquando non fuisse necesse est; quia, quod stare non potuit,cum pręsens fuit,indicat,se aliquando non fuisse,priusquam fuit.

Tertiò si mundus ponatur ęternus,sequetur iam transactos esse infinitos annos,& consequenter infinitos menses,dies,horas, quadrantes,minuta &c. Et cum multo plures sint annis menses, mensibus dies, diebus horę; horis quadrantes, quadrantibus minuta,sequetur etiam,unum infinitum esse altero maius,quod expressę pugnat cum ratione infiniti, nec valebit solutio Dominici

Banes, quod non repugnet unum infinitum esse alio maius, quando sunt in diuersis generibus; ut sunt ista anni, menses dies, &c. Licet enim, ut sic sint in diuersis generibus, tamen conueniunt in ratione mensuræ.

Quartò sequeretur infinitos homines esse genitos, at cum rationalis anima sit in singulis hominibus immortalis, prout de fide est determinatum, in Concilio Viennensi, ut habetur in Clemen. de summa Trinit. & in Concilio Lateranensi, sub Leone X, sess. 8. sequetur dari actu infinitas animas, hoc autem nulla ratione uidetur admittendum, quod actu infinitum dari possit. Hoc argumentũ ut scribit Cardinalis Toletus ubi supra adeo, & Theologorum, & Philosophorum ingenia torsit; ut huius argumenti efficaciam euitare cupientes, in maxima absurda prolapsi sint. Hac enim de causa Alexander Aphrodisæus animam mortalem posuit; Auerroes unicam posuit in omnibus hominibus, non informantem, sed assistentem, Herueus 2. dist. prima quæst. prima dicit, si fuisset mundus æternus, & animę mortales fuissent D. Th. 2. contra gentes, cap. 81. dicit non esse inconuenien secundum Aristolem, qui mundum æternum posuit, dari actu infinitum, cum tamen in 3. physic. infinitum omne negarit.

Quintò si mundus æternus fuisset, utique etiam, & tempus, & motus. Ponamus ergo, quod ignis, & stuppa ab æterno fuissent debitę applicata; uel tunc fuisset calefactio ęterna, vel non, si primũ, ergo cum calefactio sit motus, qui non potest esse nisi in tempore, patet quod calefactio non erit in eo instanti, quod est ignis, ergo calefactio non poterit esse æterna, si autem non erit æterna, ergo motus non erit mobili coætetnus.

Sextò, Si mundus fuisset ab ęterno, necesse fuisset ab æterno Solem in aliqua determinata uniuersi parte fuisse scilicet uel in oriẽte, uel in Occidente, uel in Zenith, uel in Nadir, uel in aliqua ex intermedijs partibus. Supponamus ergo disputationis gratia, fuisse in Oriente, hoc posito, sic argumentabor. Vel sol motus est ab Oriente in Occidens finito tempore uel infinito; non infinito, nam in eodem temporis spatio, tunc motus esset, quo etiam nunc mouetur, nunc autem finito tempore mouetur, ergo etiam tunc. Quod si finito tempore motus esset, ergo motus, & tempus finitum coextitissent, & commensurata fuissent æternitati, quæ est infinita quod manifestam contradictionis implicantiam inuoluit.

Septimò. Mundus non potest esse, nisi factus a Deo, a se n esse nõ põt; At esse factum, & esse æternum secum inuicem pugnant, quia creatio est productio entis ex nihilo, ergo prius ipsum nihil precessisse debet; illud autem æternum esse non potest, ante quod aliud fuit ergo.

Octauò si mundus est creatus, sine dubio, uel est creatus in tempore, uel in instanti, si in tempore, uel in aliquo principio tem-

temporis, habemus intentum, iam enim aperte sequetur, non esse ab ęterno. Si in instanti, ergo mundus aliquod instans habebit, in quo conditus sit, & ante quod non fuit, & in quo primo incepit, sed hęc omnia aperte pugnant cum æternitate ergo.

Nonò si mundus fuisset æternus, uel animalia tunc uixissent æterno tempore, uel non; si primum, quomodo hoc esse potuisset, ut corruptibilia æterno tempore maneant incorrupta? si secundum. At implicat finitum coæquari infinito?

Secunda sententia est Sancti Thomæ, hic & p.p. quęs. 46. arti. 2. quem omnes ipsius discipuli sequuntur Gab. etiam Gregorius & Ochan dicentes, potuisse mundum ab æterno produci, Quamuis S. Th. in fine art. excipiat rationalem animam, & generationē humanam; ne contingat infinitum actu, quare Caietanus ibidem monet Thomistas, ut hac in re cautiores existant eandem sententiam recens amplexati sunt doctores Collegij Conymbricensis, in cap. 2. lib. 8. de cœlo, q. 6. ar. 2. Hæc autem sententia unico argumento probatur, quod est huiusmodi.

Quicquid non implicat contradictionem, potest a Deo fieri, sed mundum esse ab æterno, non implicat cōtradictionem, ergo: Maior est certissima, Minor probatur, Si adest aliqua implicantia, uel illa est ex parte Dei creatoris, uel ex parte creaturæ, uel ex parte creationis; nullum horum dici potest, ergo: probo minorē nam maior ex sufficienti partium enumeratione probata est.

Non implicat ex parte Dei, quia Deus ita fuit omnipotens ab æterno, sicuti etiam cum mundum produxit in tempore.

Non implicat ex parte creaturæ, Creatura enim ex se dicit tantum non esse a se ipsa, sed ab alio. Et cū sit in potentia obedientiali, subijcitur Deo in ordine ad ea omnia, quę implicantiam non includunt. Dices repugnat creaturæ esse creatori coæter nam. Contra. Si enim Deo creare non repugnat, creatura autem exactissime Deo obedit, & quantum est ex se, Deo non resistit, ergo neque creaturæ creari repugnabit.

Neque implicat ex parte creationis. Creatio enim est actio Dei, Deus autem actiones suas elicere potest, quandocumque uoluerit. Dices repugnat ex parte creationis, quia nulla actio potest Deo esse coæterna; uel quia creatio est transitus de non esse ad esse, uel quia posita creatione, necesse est dari primum, in quo incipiat res, quæ creatur, sed contra.

Non implicat actionem Dei esse ęternam Deo, quia generatio est operatio Dei, & tamen fuit æterna, Nec ualet dicere ista est operatio ad intra; nam prædestinatio, qua electos prædestinauit ad gloriam, est operatio æterna, & tamen est ad extra, Cur ergo dum prædestinauit sanctos, & uoluit eos infallibiliter esse saluandos, non potuit etiam uelle eos simpliciter esse?

Non implicat ex eo, quod creatio sit transitus de nō esse, ad esse. Tum quia illud de non esse ad esse, non dicit aliquem ordinem

essendi

Quid sit creaturā accipere esse post nō esse. essendi duratione posteriorem, ipso non esse, ut quidam suspicati sunt; sed tantum negat materię concursum, ut ex subiecto; Tum quia, etiam prædestinatio est actio, qua quis ex non prędestinato, fit prædestinatus, & tamen prædestinatio est æterna.

Non implicat ex eo, quod posita creatione necessario debeat dari primum, in quo incipiat creatura. Quia sicut ponitur prędestinatio, qua quis de nō prædestinato fit prædestinatus, & tamen non ponitur aliquod primum instans, in quo incipiat quis esse prædestinatus, quia, alioqui non esset æterna prædestinatio, ita a pari non erit necesse illud instans primum dari in creatione.

Tertia sententia est eorum, qui utramque disputationis partem problematice sustinent, ita Scotus in hac distinctione q. 3. & in lib. 8. physic. quęst. 2. Benedictus Pererr. lib. 15. de principijs rerum naturalium cap. ult.

Quarta sententia est eorum, qui pręmissa distinctione loquuntur, dicentes, posse dari creationem æternam respectu entium incorruptibilium, non autem respectu corruptibilium. Quare consequenter negant mundum in eo statu, quo nunc est, ęternum esse potuisse, Ita Paulus Soncinas lib. 12. metaph. quæst. 31. Banes in comment. in p. p. quæst. 46. art. 2. Sotus in 8. physico. q. 2. propende in hanc sententiam Valentia, Heruæus, Pererr. ubi supra quæ sententia mihi etiam maxime semper placuit.

Prima conclusio. De facto nulla creatura est æterna, vel ab ęterno fuit producta. Hæc conclusio est de fide, & illam probant duo prima argumenta primæ sententiæ. Et etiam definita est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. capit. primo, vbi dicitur. Creator omnium Deus, uisibilium, & inuisibilium, qui sua omnipotēti uirtute, in principio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & temporalē, Angelicam uidelicet, & mundanam, & in Concilio Constantinopolitano 6. actione 11. habentur hæc uerba. Omnia enim per unigenitum filium, Pater in spiritu Sancto fecit, q̄ & sapienti prudētia continet; vt Deus suis operibus pręsidens, principiumque omnibus temporale constituens sensibilia quidem temporali fini supposuit, intellectualia vero, &c.

Secunda conclusio. Non implicat, aliquam creaturam esse ab æterno creatam. Vnde sequitur, quòd potuisset creari, si Deus uoluisset. Hanc conclusionem satis copiose probant argumenta facta pro secunda sententia, & etiam consensus omnium Gentilium Philosophorum, qui mundum æternum facientes, nullam plane in eo implicantiam experiebantur, cum tamen plurimi genitum mundum posuerint, ut supra dixi.

Mundus in eo statu quo nunc est ab æterno esse non potuit. Tertia conclusio. Entia corruptibilia, & successiua relicta suæ naturæ, non potuerunt esse ab æterno. Hanc conclusionem firmissime demonstrāt tertium, quartum, quintum, & sextum argumentum factum pro prima sententia. Pro clariore tamen huius

tertiæ

tertiæ conclusionis intelligentia.

Considerandum est, quod aliquid dupliciter intelligitur contradictionem implicare, primo ex terminis, sicuti si diceremus hominem irrationalem, secundo ex absurdis, quæ sequuntur ex positionibus. Quomodo in physicis dicimus infinitum implicare, nō quidem ex terminis, sed ex absurdis, quæ infinitum consequuntur, Hanc igitur implicantiam, quòd entia successiua, & corruptibilia ab æterno esse nequiuerint, ex absurdis, quæ consequuntur, deprehendimus, sicuti explicatum est in illis argumentis. In aliqua re ex duplici capite desumitur cōtradictionis implicantia.

Quarta conclusio. Conuenientius fuit, nullam creaturam ab æterno creari, Hanc conclusionem nō ea ratione probabo, quòd ex eo quòd ita de facto sit a sapientissimo ac prudentissimo opifice factum, conuenientius etiam ita factum existimare debeamus, sed quia. Illud conuenientius fieri putandum est, quod clarius nobis Dei optimi maximi naturam, & bonitatem manifestat; hæc autem clarius in temporanea creatione, quam in æterna manifestantur, quia ut plurima alia, quæ hac in re dici possent prætermittantur, Clarius conspicitur Dei libertas, quod scilicet non naturę necessitate, ut philosophi arbitrabantur, sed ex mero uoluntatis suæ beneplacito mundum creauerit, nam si ex naturæ necessitate orbem condidisset, illum utique ab ęterno condidisset. Clarius etiam nobis bonitatis suæ incomparabiles diuitias ostendit, cum etenim ab ęterno Deus, & fęlicissimus, & beatissimus fuerit, non est putandum ab eo mundum esse productum, eo quod mundo eguerit, sed propter bonum tantum creaturarum, orbem, & omnia condidit. Ex eo quod Deus mundum creauit in tempore, clarius nobis & libertatis & bonitatis suæ magnificentiam iudicauit.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum, Respōdetur reuera ita esse, æternitatem scilicet soli Deo competere, ideo gloriari iure optimo posse Deum, quod ipse solus æternus sit, Reliqua autem entia tēporanea, uel æuiterna. Imo, etiam si aliquibus entibus æternitatem communicasset, adhuc tamen gloriari posset, quia illam ipse haberet a se, reliqua uero ab ipso. Quare æternitas Dei esset ab alio independens, ipsique essentialis, Aeternitas autem creaturarum esset participata, & dependens.

Ad secundum, Respondetur Sanctos Patres numquam de absoluta Dei potentia; sed tantum de ordinaria esse locutos. Ideo optime Arrium confutasse, & deduxisse, quòd ex eo, quòd filius est æternus, non sit creatura. Quia cōtra Arrium disputantes non ex præcisa, ac formali creationis ratione argumentabantur; sed ex scripturis, Ex quibus cum constet, omnia in tempore esse creata, dicebant, Filius in tempore non est conditus, ergo: non est creatura, consequētia patet, quia omnis creatura in tempore est creata. Quod si interdum uideantur dicere creaturas ab æterno esse non potuisse, semper intelligendum est de lege ordinaria, supposita scilicet veritate scripturarum, quæ docent in tempore omnia esse creata. Optima Patrum illatio contra Arrium.

Ad tertium,quartum,quintum,& sextum, Respon.confirmare nostram sententiam,vt supra dixi.

Ad septimum octauum, & nonum patet ex dictis in secunda conclusione.

DISPVTATIO VIII.

Vtrum mundum in tempore esse creatum, possit demonstrari.

SECTIO I.

Ostenditur non posse demonstrari, mundum in tempore esse creatum.

Diuus Th.prima parte quæst.46.art.2.optime demonstrat non posse demonstrari, mundum incepisse, & ab æterno non fuisse.

Primò quia principium demonstrationis est ipsum quod quid est rei,sed ipsę essentiæ rerum abstrahunt ab hic, & nunc, scilicet ab existentia, & duratione, ergo non poterit eius duratio ostendi.Quare non placet,quod quidam recentiores, quos obseruantiæ causa non nomino, dicunt se demonstrasse mundum ab æterno esse non potuisse.

Secundò, Quod mundus fuerit in tempore, pendet ex sola uoluntate Dei, uoluntas autem Dei demonstrari non potest, in ordine ad ea,quæ libere uult,ergo:

Tertiò mundum incepisse, est articulus fidei,articuli autem fidei demonstrari non possunt,ad hoc enim ut aliqua ueritas sit articulus fidei, duo necessario requiruntur,ut patet ex D.Tho.22.q. 1.art.6.& 8.Primum,ut demonstrari non possit;secundum, ut habeat particularem aliquam difficultatem ad credendum: Quod non ita intelligi debet,quod hæc duo sufficiant;nam quòd B.Virgo non sit concepta in originali peccato,nec demonstrari potest, & difficultatem maximam habet ad credendum,& tamẽ non est articulus fidei; sed exigitur, ut eius fides necessaria sit ad salutem, & deinde, nec demonstrari possit, & quod habeat spetialem aliquam difficultatem ad credendum.

Quid requiratur ad hoc ut aliqua ueritas sit articulus fidei.

Licet autem demonstrari non possit, mundum incepisse, possint tamen omnia argumenta in contrarium euidenter solui, Quare sac.Concilium Lateranense,sub Leone.X.sess.8.docet,ex eo, quod uerum uero non repugnet argumenta contra ueritates fidei esse solubilia,& solui iubet.

Dices,

Dices, si ostẽdo euidenter soluta esse argumenta aduersariorũ, ergo euidenter ostendo, esse possibile mundum incepisse in tempore: quod supra diximus non posse, nec demonstrari, nec euidenter cognosci. Respondeo, negando cõsequentiam, cum enim mysteria fidei sint supernaturalia, & non apparentium argumenta; Omnia media, quibus uti quis possit contra mysteria; erunt extrinseca mysterijs fidei, & erunt petita ex principijs aliquibus falsis rerum naturalium, Ostendendo ergo, principia hæc rerum naturalium esse falsa; nõ proinde ostendo mysteria intrinsecę esse possibilia, Quia quãtacũque mihi accrescat circa naturalia principia claritas, & euidẽtia, numquã mihi claritatẽ in re fidei efficiet, sed semper ueritates supernaturales in sua obscuritate perdurabũt.

SECTIO II.

Proponuntur argumenta Philosophorum ad comprobandam mundi æternitatem.

PHylosophi afferentes mundi æternitatem, plurima argumenta congerebant; ut Aristoteles, Proclus, & Auerr. Qui præceteris æternitatem mundi ponebãt; Quorum argumenta refert, & confutat Pererr. lib. 15. de principiis rerum naturalium, a cap. 2. & deinceps. Vbi affert duodecim argumenta Aristotelis, uiginti Procli, & duodecim Auerr. Nos autem hic difficiliora tantum argumenta, & proponemus, & soluemus.

Primum est Aristotelis lib. 8. phys. tex. 10. Tempus, inquit, æternum est, nam si tempus incepit esse, ergo aliquando ipsum tempus non fuisset, & prius quam incepisset, tempus non fuisset tempus, Sed ipsum prius est differẽtia temporis, & ipsum, aliquando, dicit tempus, Ergo fuisset tempus, antequam esset tempus. Ergo semper fuit tempus, ergo etiam semper motus, ergo semper cœlum, quareetiam partes cœli, & mundi, alioquin daretur uacuum, Est etiam argumentum Procli.

Secundũ ex eodem Arist. lib. 8. physi. tex. 53. Idem manens idẽ, semper est aptum natum facere idem; sed Deus semper maxime idem est, & numquam mutatur, ergo semper idem faciet, ergo uel semper fecit mundum, uel numquam faciet; alioquin si prius non fecit, & postea fecit, est mutatus. Item si uoluntas sua fuit aliquando non faciendi mundum, postea faciendi, ergo mutata est, hoc autem de Deo dici non potest, ergo.

Tertium ex eodem lib. primo cœli tex. 22. Cœlum, ut omnibus constat, est sedes, & domicilium deorum: sed Dij semper fuerunt, ergo etiam cœlum; alioqui si non semper fuit cœlum, & mundus. Vbi nam tanto tempore Deus mansisset?

Quartum ex Proclo, Si mundus esse cępit in tempore, Cur non ante factus est, quam nos dicamus esse factum, saltem uel unico anno, die, uel hora? Cur magis in hac, quam in illa temporis particula? Cum ergo non sit maior ratio unius, quam alterius, dicendus est mundus fuisse æternus.

Quintum, De natura boni est, ut seipsum communicet, atque diffundat, sed Deus ab æterno fuit summe bonus, ergo debuit seipsum communicare creaturis ab æterno. Communicauit autem seipsum, condendo creaturas, ergo mundus fuit ab æterno. Nam cum ipse sit summe bonus, si se ipsum non communicasset, & mundum non fecisset, Quęro, cur modo fecit? Vel enim tunc potuit, & non uoluit; Vel uoluit, & non potuit, Vel nec potuit, nec uoluit, Vel, & potuit, & uoluit.

Si primum sequitur Deum esse inuidum.

Si secundum sequitur Deum esse imperfectum.

Si tertiū ergo postea cū uoluit, sequitur Deum esse mutatum.

Si quartum sequitur mundum esse æternum, Ergo æternus est mundus.

Sextum non potest admitti noua mundi generatio, nisi etiam admittatur uacuum, sed uacuum nullo modo est admittendum, ergo, Minor patet ex Physicis; probo maiorem, Totum enim hoc spatium, quod a corporea mundi machina occupatur, prius sine ullo corpore fuit, uacuum autē nihil est aliud, quam spatium corporis expers, ergo. Est hoc argumentum Auerr. 4. physic. comm. 6. & 1. cœli. comm. 92.

Septimum ex eodem 8. physi. commen. 15. Vt se habet uoluntas noua ad actionem nouam; ita uoluntas, antiqua ad actionem antiquam, ergo a commutata proportione, ita se habebit uoluntas noua ad actionem antiquam, sicut se habet uoluntas antiqua ad actionem nouam; sed impossibile est, ab actione noua prodire actionem antiquam; Ergo impossibile est a uoluntate antiqua, prodire actionem nouam.

Octauū, Tempus non potest esse factum; omne enim, quod fit, in tempore fit; sed quod fit in tempore, ambitur a tempore, ergo ante ipsum tempus; tempus fuit, Quod est impossibile.

Nonū, Idem de motu, Quicquid fit, aut fit per motum, aut per mutationem, sed neutro modo potuit motus esse factus, ergo: probo minorē; non enim per mutationem, per hanc. n. non fiunt, nisi entia, quæ sunt tota simul, Tum quia omnis mutatio est terminus motus. Nec etiam potest esse factus per motum, nam motus pręexistit ei, quod fit per motum. Ergo ante motum præextitisset motus. Hæc sunt pręcipua philosophorum argumenta, quibus Philosophi mundi ęternitatem astruebant.

SE-

SECTIO III.

Soluuntur argumenta Philosophorum.



HAec, eſt ſimilia Philoſophorum argumenta non erit admodum difficile ſoluere. Quare.

Ad primum, Reſpondeo, Cum dicimus antequam mundus fieret, vel priuſquam fieret, uel aliquando non fuit mundus, Ille particulæ, Antequam, Priuſquam, Aliquando, & cæteræ ſimiles non dicũt tempus reale, nec reales temporis partes, aut differentias, ſed durationem dicunt imaginariam; interdum etiam temporis negationem. Quoniam autem priuationes, non niſi per habitus oppoſitos explicãtur; nec a nobis concipi, niſi ſub aliqua entis ratione poſſunt, ut ipſemet Ariſtoteles docuit lib. 4. metaph. tex. 2. Ideo illam durationis priuationem, per imaginariam durationem explicamus, ſicuti ẽt cum dicimus. Extra, uel ultra, uel ſupra cœlum, illæ particulæ, extra, ultra, ſupra non exprimunt aliquam realem differentiam loci, uel poſitionis; Et tamen ipſemet Ariſtoteles ijs particulis uſus eſt, lib. 1. cœli, tex. 99. Explicet igitur nobis Ariſtoteles, quid ſignificent illę particulę. Extra, ſupra, ultra, & eodem modo ſecundum analogiam quandam docebimus, explicandas eſſe particulas temporis, Aliquando, Ante, prius, poſterius, &c.

Ad ſecundum, Optime Magiſter in hac diſtinctione explicat, quomodo Deus poſſit creaturas producere, abſque eo, quòd ipſe moueatur, uel mutetur, exemplo ſolis, qui aliquando trahit uapores, aliquando non trahit, & ex non trahente uapores, fit trahens vapores. Ex eo autem, quod aliquando trahat, non mutatur ſol; ſed omnis mutatio in uaporibus recipitur? Ita ignis eodẽ ſemper modo lucet, & ardet; ſi autem intra ſphæram actiuitatis ſuæ nullum ſit calefactibile, nec illuminabile corpus, tũc igitur, nec actu calefacit, nec illuminat, quod ſi corpus aliquod in ſphæram actiuitatis ignis ingrediatur, illud ignis calefacit, & illuminat. Ex eo autem, quòd ex non calefaciente, & illuminante, & calefaciens, & illuminans fit, nulla plane in ipſo igne, ſed in calefactibili, & illuminabili fit mutatio. Quis igitur non uidet in ijſce, & ſimilibus argumentationibus, nullam prorſus eſſe conſequentiam? ſi quis inferat, Ignis prius non calefaciebat, nunc calefacit, ergo mutatus eſt. Amplius aũt oſtendamus, quõ Deus cum ab ęterno creare noluerit, in tpe aũt uoluerit nullã prorſus mutationem perpeſſus ſit. A me etenim hac in re tm̃ abeſt, ut uel minimã mutationis ſuſpitionem in Deo collocandam eſſe arbitrer; vt potius ſummam, exactiſſimãquę uoluntatis maxime eiuſdem, conſtantiam, ac perpetui-

petuitatem deprehendam. Ab æterno enim concipio Deum habentem uoluntatem creandi;sed non in æternitate,sed in tempore. Quando ergo eadem durationis(liceat nostro intelligēdi modo deseruire) pars, uel differentia aduenit, qua mundum creare destinauerat,eadem plane uolūtate immobiliter perdurante,creauit. Ex hoc enim tantum abest, ut mutationem in Deo concipiam,ut potius,nisi creasset, mutatum dici posse arbitrarer.

Ad tertium,Respon.Dicitur Deus in cęlo esse, non circumscriptiue;sed quatenus in cęlo beatis gloriam suam manifestat. Cæterum Deus,& si nunc sit vbique,secundum essentiam,præsentiam, potentiam,& operationem;tamen quantum ex se est, locum non requirit.Non enim corporeo loco alligatur,qui omnis plane corporis expers est.

Ad quartum,Respondeo a priori, Quia sic Deo placuit; secundo respondeo nos nescire, cur, uel uno saltem die, aut hora, nec prius,nec posterius Deus mundum cōdiderit. Respondeo tamen etiam si hoc nesciamus, neque nobis ægre ferendum esse, neque Philosophis durum,alioqui explicent ipsi, cur cęlum nō sit factū, unico saltem millij,uel synapis grano, maius, aut minus. Cur cælum sit ea motus maturitate præditum, ut singulis quibusque annis, tātum trecentos,& sexaginta quinque gyros, uel circuitus efficiat, & supersint sex horæ, & præter illas etiam minuta quę nobis tantum negocij acescunt, ut singulis quibusque annorum quaternariis, bissextilem annum decernere, & tot intercalares dies,uel annos statuere. Explicent etiam nobis, cur Deus tot pręcise rerum naturalium species condiderit,& neque plures,neque pauciores. Cur Deus elephanti corporeæ molis grauitate maxime presso quatuor tantum pedes dederit, culici autem tenui, atq; exiguo animalculo,& pedes sex,& duarum alarum leuamina natura tribuerit? Quarum rerum, cum nullam nobis rationem assignate potuerint,non erit,quod in hac re nobis molesti sint.Dicamus igitur,harum,& similium quæstionum, quæ curiosę magis, quam fructuosæ sunt causam explicari non posse, Fateamur tamen necesse est, hæc non temere, neque casu, sed summo consilio,a sapientissimo, ac prudentissimo omnium opifice, ac conditore Deo,qui omnia in sapientia fecit,omnia in numero,pondere,ac mensura constituit, esse facta.

Sūmo consilio a Deo factum est q̄d nobis casu factum esse uidetur.

Ad quintum,Respondeo ex D. Tho. de potentia q. 3.art.17.ad primum et lib. 2.contra Gent.cap.35.Licet de natura bonitatis sit, esse sui ipsius diffusiuum; tamen hoc intelligitur quoad aptitudinem, non quoad actum se communicandi, quia modus se communicandi est per uoluntatem,de cuius ratione est libertas. Præterea ad bonitatem spectat se communicare, sed eo modo, quo maior bonitas elucescit, maior autem bonitas in eo conspicitur, quod in tempore se communicet, ut dixi in quarta conclusione, Denique eo modo bonitas se communicare debet, qui melior est

rebus,

rebus, quibus communicatur; Rebus autem melius est, si creentur in tempore, quia in tempore possunt esse cum motu, ac mutatione, quæ maxime entibus naturalibus conueniunt. Ab æterno autem cum motu, & mutatione mundus esse non potuisset, ut supra dictum est.

Ad sextum, Respond. Sicuti extra cœlum nihil est, & tamen ibi non est uacuum, quia uacuum non est spatiũ imaginarium, sed reale carens corpore; ita neque in eo loco, quo nunc est mundus, fuisset uacuum.

Ad septimum, Respondeo primo argumẽta a commutata proportione non ualere, nisi in Mathematicis. Secundo respõdeo illud argumentum non esse a commutata proportione, sed potius a transuersa proportione. A commutata enim proportione ita fieri deberet. Vt se habet uoluntas noua, ad actionem nouam; ita etiã uoluntas antiqua ad actionem antiquam; Ergo a commutata proportione: Vt se habet uoluntas noua, ad uoluntatem antiquam, ita se habet actio noua ad actionem antiquam. Et hac ratione nihil contra nos concludit argumentum. Quod autem hac ratione sit conficiendum argumentum a commutata proportione, patet ex Euclide lib. quinto elementorum. Geometricorum demonstratione 12.

Ad octauum & nonũ, Rñdeo, hæc argumenta maximam ipsorum philosophorum inscitiam prodere, Quia motus, mutatio, generatio, corruptio, alteratio, creatio, et cętera eiusmodi nõ sunt entitates per se existentes; sed sunt modi, quibus res existentes, uel per se, uel in aliis fiunt, & esse incipiunt ideo nunquam sunt, nisi quando res producuntur. Verbi gratia generatio nunquam est, nisi quando fit res, quæ generatur; neque alteratio, nisi quando res alteratur & sic de reliquis. Quemadmodum ergo generatio per aliam generationem non generatur; nec mutatio per aliã mutationẽ mutatur ita, neq; motus p alium motum produci dẽt. Quare ridiculum est quærere, An Deus produxerit motum per alium motum; uel per mutationem, Quia ipse motus non producitur, sed est id, quo alia producuntur. Cum igitur tempus sit passio motus, & ipse motus non producatur, neq; per motũ, neq; per mutationẽ: ideo neq; tp̃s producitur per motum, uel per mutationem. Quare, neque necesse est tempus fieri in tempore, nam tempus cum motu incipit, quare ante motum non fuit tempus: sed in eo instanti, quo cœlum est creatum, incipit motus ita tamen, ut illud instans creationis ipsi cœlo creato fuerit intrinsecum, motui uero extrinsecum, quia motus per ultimum sui non esse incipit.

DISPVTATIO IX.

Quantum Deo debeamus ex accepto creationis beneficio.

CONgruum maxime eſt, ut tanti beneficij memoriam grato pectore recolamus. Hic autem nonnulla tantum ſanctorum Patrum teſtimonia ſubſcribã, quibus quantum lectoris animus Deo deuinctus, ex accepto creationis beneficio eſſe debeat, innoteſcat; ut pia hac cõſideratione animus in cõditoris ſui laudes accenſus accurrat. Ex duplici autem conſideratione accendetur affectus, ſi, & mundi totius, & ſui ipſius, & creationis beneficia mente peruoluat. Quod igitur ad mundi totius conditionem attinet. Sciamus noſtri cauſa, uniuerſa condita eſſe. Sumus enim & nos quodammodo finis omnium, hoc ipſum gentilis, etiam philoſophus nouit. 2. phyſ. tex. 24. At

Sanctus Auguſt. lib. 2. meditationum cap. 4. ardentius iſta proſequitur, dicens. Magnũ eſt, quod tibi Deus dedit, inſignis arrha, nobile donum, quia magnum non decuit, ut parua daret. Quid autem dedit tibi o anima ſponſus tuus? Reſpice uniuerſum mundum iſtum, & conſidera, ſi in eo aliquid ſit, quod tibi non ſeruiat, Omnis creatura ad hunc finem curſum ſuum dirigit, ut obſequiis tuis famuletur, & utilitati deſeruiat, tuiſque oblectamentis pariter, & neceſſitatibus ſecundum affluentiam, & deficientiam occurrat; hoc cœlum: hæc terra: hic aer, hæc maria cum eis, quæ in ipſis ſunt uniuerſis, Rurſus ibidem, Conſidera ſaltem arram, quã debet tibi fortaſſis in ipſo munere eius, quod penes te eſt, poteris agnoſcere, quo affectu illum diligere, quo ſtudio, & diligentia, te illi debeas conſeruare.

Vniuerſus mundus arra eſt diuini in nos amoris.

Quod uero ad noſtram præcipue conditionem attinet. S. Aug. ibidẽ c. 6. ſubdit. Primum cogita, o anima, quod aliqñ non fueris, & ut eſſe inciperes hoc Dei dono acceperis. Donũ ergo eius erat, ut fieres. Sed numquid ei aliquid dederas, priuſquam fieres, quod tibi hoc redderet, ut fieres? nihil prorſus. Sed nec hic terminari potuit munificentia largitoris optimi, adhuc aliquid plus dedit, ſed magis nos ad ſimilitudinem ſuam traxit. Voluit ad ſe trahere per ſimilitudinem, quos ad ſe trahebat per dilectionem. Dedit ergo nobis eſſe, & pulchros eſſe dedit, & uiuere. Magno igitur debito obligata es anima mea.

Sanctus Anſelmus libello de miſericordia Dei, dicit Admoneo te, ut ſine intermiſſionibus recorderis, quam dulcis, & quam bonus ſit erga te creator tuus; quanta bonitas eius fuit; quod te cum non eſſes, creauit. Et quod te non pecus, aut creaturam inſenſibilem, ſed eam creaturam fecit, quę eum poſſes intelligere, & amare, & cum eo ſuam ętermitatẽ, ęternaque & felicia poſſidere.

Sanctus

Sanctus Bernardus serm. 14. in psalmum. Qui habitat. Agamus fratres gratias factori nostro, Benefactori nostro, Si quidem ipse fecit nos, & non ipsi nos, Parum ne tibi uidetur illud, quia te fecit? Cogita qualem te fecit, Nempe etiam secundum corpus egregiam creaturam, sed secundum animam magis; ut pote imagine creatoris insignem rationis participem, capacem beatitudinis sempiternæ. Porrò rem ambo simul, præ cæteris creaturis, maxime admirandum, coherentem sibi in comprehensibili artificio, inuestigabili sapientia conditoris. Itaque tam magnum hoc donum, Quam magna res est homo, sed quam gratuitum putas, planum est, quia nihil ante promeruit, qui prorsus nihil fuit. Quidni igitur gratias agas? Et serm. de diligendo Deo, Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto? nec enim tam facile refectus, quam factus. In primo opere me mihi dedit, in secundo me sibi dedit. Me mihi reddidit, datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, sed quid Domino pro se retribuam, nam, & si me millies rependere possem, quid sum ad dominum meum. Quam magna res est homo?

Sanctus Aug. lib. 2. medit. cap. 6. Magnum quidem est de Deo, quod esse me sentio opus eius; sed multo plus est, quod transisse ipsum uideo in pretium meum; mortuus est pro me innocens, nihil quod in me amaret inueniens. Numquam tam bene dilectionem eius agnoscerem, nisi in tantis periculis expertus eam fuissem. Nulla quippe dilectio maior, nullus amor sincerior, nulla claritas sanctior, nullus affectus ardentior, hæc igitur frequenter animo uoluens pie lector gratias agas conditori tuo.

DE

DE ANGELICA ITAQVE NATVRA.

Distinctio II.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.


E Angelica natura, tamquam de nobilissima creatura, Magister sibi primo loco, post creationis tractationem, agendum proposuit: De qua productionis locum, tempus, qualitatem, & peccatum proponit examinandum. Quæ omnia nos cum ipso, cæterisque scolasticis, suis locis, examinabimus.

DISPVTATIO I.

De Angelis.

SECTIO I.

De Nomine Angeli.

Quibus nominibus Angeli sint appellati.


Ngeli uarijs nominibus, tum a sacris, tum a prophanis scriptoribus sunt appellati. Scribit enim disertissimus ille Phylo Iudæus libro de mundo, a Græcis appellari solitos. Ἥρωας, Ἐννοίας, Δαίμονας, καὶ Θεοὺς, hoc est Heroas, Mentes, seu intelligentias, Dæmones, & Deos. Platonici frequentius Δαίμονας uocitarunt; quos in Εὐδαίμονας, καὶ Κακοδαίμονας diuiserunt. Porrò Dæmonis nomen

men non ita ueteribus, sicut in Christiana Religione odiosum fuisse scribit Cælius Rodiginus, lib. 2. antiquarum lectionum, cap. 2. Δαίμον enim ex ui nominis sapientem significat quasi δαήμον idest sciẽs. Δαίμονας Latini interdum Genios interpretantur, Tertul. in Apologetico contra Gẽtiles cap. 32. Alij Lares si boni sint, ut uidere est apud Sanctum Augustinum lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 11. si uero mali extiterint, tum Lemures, tum Laruas; quamuis hæc apud alios aliter significent, ita Ludouicus Viues in comment. Sancti August. loco citat. A Philosophis dicuntur intelligentiæ, Latinis spiritus, A græcis Ἄγγελοι, ab Hebræis autem מלאכים. In sacris uero litteris infinitis pene nõibus μεταφορικῶς appellantur. Porrò Angelus est nomen officij, non naturæ, ita cõmuniter doctores in id Psalmi. 103. Qui facit Angelos suos spiritus. Monet autẽ Sedulius in cap. primum epistolæ ad Hebræos, in hac propositione esse ὑπέρβατον, idest transpositionem, quam Sanctus Bonauen. in Psalmo. 103. explicauit, dicens, ex prædicato fieri debet subiectum; ut sit sensus qui spiritus suos facit Angelos. Sanctus Gregorius hom. 34. in Euang. dicit: Qui eos, quos semper spiritus habet, etiam quando uult, Angelos facit, eandem doctrinam communiter tradunt Patres, Sanctus Dionys. Areop. cap. 4. de diu. nom. Sanctus August. & Sanctus Prosper. in Psalmo. 103. Tertull. lib. de carne Christi, Amb. in cap. 4. Epistolæ ad Gal. Anselmus in cap. primũ Epistolæ ad Hebræos; Hil. lib. quinto de Trinit. Isidorus lib. primo de summo bono, cap. 12. Hiero. in cap. 11. Matthei, Chriso. Hom. 28. in Matt. Et licet dicat Angelum, ut Angelus est, esse proprietatem naturę, non significat, quod sit naturæ nomen, sed quia quod cœlestes spiritus nuntii esse possint, habent ex proprietate naturæ, ita etiam Angeli nomen, proprietem dicit esse naturæ; ideo Hom. 8. in cap. primum Genes. uocat omnes ministros, hoc etiam indicat Græcum, & Hebraicum nomen. Græcę enim Ἄγγελος nũcium significat unde Εὐαγγέλιον, idest bonum nuncium Hebr. מלאך legatum; seu nuncium, seu mandati delatorem, Italice messaggiero significat.


Genij. Lares. Larue.

Lemures non eodem apud omnes sensu usurpantur.

Angelus est nomen officij.

SECTIO II.

Qui nam in scripturis dicantur Angeli.



Piphanius hæresi 69. explicans illud Iacobi 2. Ομοίως δὲ Ῥαὰβ ἡ πόρνη οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους καὶ ἑτέρα ὁδῷ ἐκβάλουσα; idest, Similiter, & Raab meretrix, non ne ex operibus iustificata est, suscipiens Angelos, & alia uia eijciens? (latine legimus nuncios, & exploratores) dicit Angeli nomen ęqui uocum est.

Dicitur Angeli. Cum enim Angeli nomen ab officio dictum sit; hinc est, quod persæpe in scriptura etiam homines, qui aliqua præclara obeunt munera, Angeli nominantur. Hieronymus in id Matth. 11. Ecce ego mitto Angelum meum.

Sacerdotes. Secundò, Sacerdotes etiam uocantur Angeli, Malac. 2. labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirēt de ore eius, quia Angelus Domini est.

Episcopi. Tertiò, Episcopi uocant Angeli; quare Apostolus iussit uelari capita mulierum, propter Angelos, scilicet propter Episcopos. Apocalipsis primo, & secundo, Angelo Ephesi, smirnę &c.

Apostoli. Quartò, Apostoli Angelı̄ uocantur; ita Hieronymus epistola ad Algasiam q. 8.

Prophetæ. Quintò, Prophetæ Angeli dicantur, Gal. 3. ordinata per Angelos in manu mediatoris. Ambrosius explicat per Angelos, idest, per prophetas.

S. Ioānes Baptista. Sexto, Iohannes Baptista uocatus est Angelus, Malac. 3. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat faciem meam.


Omnes Sancti. Septimò, Omnes iusti dicuntur Angeli. Sanctus Ambrosius libro de Noè, & arca cap. 4. Sanctus Augustinus libro quæstionum in Genesi, quæst. 3.

Christus. Octauò, Christus uocatur Angelus, Malach. 3. statim ueniet ad tēplum sanctum suum dominator, quē uos quæritis, & Angelus testamenti, quem uos uultis Esa. 9. secūdum 70. Vocabitur nomen eius magni consilij Angelus; Item Concilium Sirmiense. can. 15. definit, eum, qui in scriptura uocatur Angelus, qui cum Iacob luctabatur, non fuisse Angelum, sed fuisse Dei filium.

Deus. Nonò, Deus ipse Angelus uocatur Exodi 3. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus patrum tuorum &c. Et tamen Actorum. 7. hic, qui locutus fuit, uocatur Angelus, lege quæ a nobis dicentur infra; cum de apparitionibus Angelorum agemus.

SECTIO III.

Qualis sit hæc tractatio de Angelis.



EST tractatio de Angelis nobilissima, si enim nobilitas obiecti nobilitatem scientiæ attribuit, primo de anima. test. primo. Cum Angeli ad Dei Opt. Max. dignitatem omnium proximè accedant, quantum splendoris, atque decoris humilitati nostræ tractationis effundent?

Quadruplex Theologo uia probandi sua dogmata. Est tamen tractatio de Angelis difficillima: Quadruplex enim potissimum Theologo patet uia, qua conclusiones suas confirmare possit.

Prima est ex lumine fidei, quod præcipue ex sacris litteris, ex

H Apo-

Apostolicis traditionibus, ex Conciliorum determinationibus, ex Pontificijs Decretis, ex patrum testimonijs. nobis clarescit.

Secundò, Ex lumine naturali, atque ex indubitatis philosophorum dogmatibus.

Tertiò, Ex probatis historijs.

Quartò, Interdum quædam, ex prophanis scriptoribus, si recte locuti fuerint, licet arripere.

At uero ex quatuor istis uijs, uel quasi fontibus, uix aliquid haurire possumus, quo sciētiam nostram de Angelis comprobemus. Nam ex sacris litteris habemus quidem, Angelos esse, Angelos mitti, Angelos nobis præsidere.

At prædicata ipsorū quidditatatiua, & essentialia, maxime uero specifica, specificasque differentias; quomodo constituantur in esse; quomodo distinguantur ab inuicem; quomodo intelligant; quomodo sint in loco, aliaque quamplurima non habemus; Immo interdum sacræ litteræ difficultates nobis accumulant, dum Angelos legimus uisos esse corporali trabea circūseptos, nobiscū ambulare, nobiscum alloqui, nobiscum comedere, pedes ipsis abstersos. Ex traditionibus Apostolicis pauca habemus. Sacra enim Concilia, Summique Pontifices presslius de Angelis sunt locuti. Patres nonnumquam inter sese dissidere cernuntur, ea uero, in quibus consentiunt, exigua sunt.

Ex secundo capite omnis nobis aditus præcluditur; nam præterquam quod, Philosophi ieiunè nimis locuti sunt, utinam exigua ea, quæ tradiderunt, vera essent; at nihil fere, quod ad ueritatem proxime accedat, dixerunt. interdum enim illorum dignitatem nimis examplificarunt, dicentes, eos esse actus puros; interdum nimis extenuarunt, rerum, quæ apud nos agerētur notitiam illis denegantes, sed solo circumuoluendo orbi, quasi equum trutino alligarunt, eorumque numerum angustissime perstrinxerūt. Philosophi male de Angelis locuti sunt.

Si uero ad naturale lumen recurramus, omnino obruimur, cecutiētiumq; more hæreamus necesse est. Proh Deus immortalis, quid naturali acumine scire poterimus, qui ne Angelū quidem, sicuti est, mente concipere possumus? Quod sit prima intellectus operatio, regula est, & fundamētum aliarū, eatenus enim de rebus iudicamus, atque discurrimus, quatenus ipsas apprehendimus. omnis autem apprehensio, quam de spiritu, dum in hac uita sumus habemus, materialibus rerum appendicibus, ac phantasmatibus obuoluitur. Angelum concipientes, cōcipimus puerum facie hilarem, satis opipare, ac delicate educatum, splendidum, ad omnia expeditum; fulgore preclarum, alarum extensione agilem; Puerum concipimus, ut immortalem ostēdamus; hilarem, ut beatum; opipare, ac delicate educatum; ut nullius rei egentem; splendidum, ut lætum; ad omnia expeditum, ut uires illius maximas; fulgore præclarum, ut diuinitatis participem Agilem, ut corporeæ molis grauitate nullatenus, uel propediri, uel retardari de-

clarcinus; At hæc omnia corporea sunt, nec uere ut concipimus in Angelis insunt.

Ex tertiò capite uix solidi aliquid habemus, nam fateor, ad sunt probatę Angelorum historiæ, sed illę, ut plurimum circa apparitiones occupantur, ex quibus nullum planè nobis commodum, ad rem, de qua agimus obuenit.

Ex quartò capite, impedimur, non iuuamur. Adeo enim turpiter persæpe de Angelis prophani scriptores oblocuti sunt, ut indignum etiam sit, quod ad ipsorum scripta oculos conuertamus.

Hinc igitur colligamus necesse est, illud ipsum pio lectori prę-standum esse, quod primo. Ethic. cap.3. monuit Aristoteles, ut in hac tractatione, Mathematicas non sitiat demonstrationes, esset enim hoc immoderati omnino ingenij, si eandem certitudinem omnibus in rebus expeteret; Contentus sit igitur firma quidem ratione, apertaque auctoritate. Illam lætus excipiat, hanc deuotus meditetur. Quantum enim hæc tractatio certitudinis defectu deprimitur, tãtum obiecti dignitate extollitur. Quod si Aristoteles propter cœli maximam dignitatem, dixit nobilius esse modica scire de cœlo, quam exatissimam rerum quæ his inferioribus clauduntur, scientiam habere; Cur non Angelorum tractatio longè præstantior erit iis omnibus, quæ nobis in naturalis phylosophiæ contemplatione innotescere possint?

Qualis debeat esse huius tractatiõis lector.

DISPVTATIO II.

Vtrum dentur Angeli.



Rateolus lib.4. de sectis hæreticorum cap. 3. refert, quendam Dauid Georgium negasse, Angelos reperiri, & cap. 16. in eodem errore citat Dositheum quendam hęreticum lib. 10. cap. 4. docet idem docuisse Libertinos, & Sadduceos; De Sadduceis id etiam habetur ex Matt. cap. 3. ex gentilibus etiam plurimi, spiritus omnes negarunt.

Hic tamen est apertissimus error. A nobis tamen hic confutari non potest, Angeli enim sunt primarium nostræ tractationis obiectum: de obiecto autem præcognoscendum est, quod est, primo post. tex. 3. ideo hoc negotium remittatur ad eos, qui controuersias scribunt. Nobis satis est, ex scripturis & patribus præsupponere Angelos repperiri. Nec dicas, auctoritatem Aristotelis ueram esse de obiecto adęquato; non autem de obiecto partiali, constat enim de obiecto partiali posse demonstrari, quod est, ita Aristoteles primo Phys. probauit, dari materiam primam obiectum autem principale semper est aliqua pars obiecti totalis respondeo enim uerum esse, quod de obiecto partiali potest demonstrari, quod est, nõ tamen de principali, sed hoc non est huius loci.

De obiecto præsupponendum est quod est.

DISPV-

DISPVTATIO III.

Vtrum Angeli sint creati a Deo.

ALphonsus Castrensis lib. 2. aduersus hæreses uerbo Angelus, ex Bernardo de Lucemburgo in catalogo hæreticorum, & Prateolus lib.8. de sectis hæreticorum capitu. 10. referunt. Hermannum Rassuic hæreticum, qui anno 1512. uiuus combustus est, dicentem, Angelos non esse à Deo creatos, qui in hoc secutus est errorem gentilium, quorum aliqui æterna non habere causam sui esse, nec esse a Deo producta censuerunt. Fundamentum huius Hermanni erat; quia nullibi in sacris litteris habemus, Angelos esse à Deo creatos. Nec Moses, cum tamen rerum omnium creationem descripserit ex professo, creationis Angelorum ullam plane mentionem fecit. Sed hæc est apertissima hæresis, pro cuius confutatione sit.

Cóclusio Angeli sunt a Deo creati probat primo Ex scripturis, Ioan. primo. Omnia per ipsum facta sunt, quem locum accuratissime explicauit Apostolus Colos. primo dicens: Quoniam in ipso, & per ipsum facta sunt omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso, condita sunt. Psalmo. 148. Laudate Dominum omnes Angeli eius, laudate eum omnes uirtutes eius, qm̃ ipse dixit, & facta sunt, ex quo loco Athanas. q. 1. ad Antiocum probat, Angelos a Deo esse creatos, Iob. 40. Ecce beemoth quem feci tecum, ex quo loco Sanctus Gregorius libr. 32. moral. capit. 9. probat Angelos a Deo factos, Cyrillus Alex. lib. 3. contra Iul. idem probat ex illo Ioan. primo & ex Ps. 103. Qui facit Angelos suos spiritus. In Cantico trium puerorum inuitantur omnia opera Dei; Ad laudandum ipsum Deum, & inter illa Angeli primo loco ponuntur, Benedicite Angeli domini domino, benedicite oẽs uirtutes domini domino: Psalmo. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Psalmo. 103. draco iste, quem formasti ad illudendum ei, cui loco concordat illud Iob. 40. Ecce beemoth, quem feci tecum, ipse est principium uiarum domini septuaginta dixerunt, hoc est initium figmenti eius, quod fecit Dominus, ut illudatur ei ab Angelis eius. Ezechiel 28. Tu signaculum similitudinis eius &c. Ecclesiastici 18. Qui uiuit in ęternum, creauit omnia simul, gręce dicitur κοινῆ ut sit sensus, qui uiuit in æternum, ipse etiam est, qui communiter omnia creauit.

Secundò. Hæc ueritas definita est in sac. Conc. Nicæno primo in Symbolo factorem cœli, & terræ uisibilium, & inuisibilium. Conc. Constantinop. 6. actione 11. dicit Intellectualia omnia, & inui-

inuisibilia, & uisibilia omnia per unigenitum filium Pater in spiritu Sancto fecit. Conc. Lateranése sub. Innoc. III. refertur extra de summa Trinitate, & fid. Cath. capit. Firmiter dicit Pater, Filius, & spiritus Sãctus, unum uniuersorum principium, creator omniũ, uisibilium, & inuisibilium, qui sua omnipotenti uirtute, simul ab initio temporis utranque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam uidelicet, & mundanam. Adde, quòd in omnibus sacris Concilijs Occumenicis saltem quo ad sensum semper præmittitur confessio fidei, & Symbolum Nicænum, quòd nouissime in sac. Sancto Concil. Tridentino sessione 3. obseruatum legimus.

Tertiò ex Sanctis Patribus, Sanctus Martialis unus ex 72. discipulis Christi Domini Epistola ad Tolossanos, cap. 12. Ibi sunt ordines multitudinis laudantium Deum, Angelorum, & virtutum, quæ per ipsum Verbum, per quod omnia facta sunt, creatæ, in laudibus creatoris sui quiescunt.

Sanctus Antonius Abbas Ægiptius insignis ille Dæmonum profligator in Epistola 5. (Habentur quinque eius epistolæ in Micropresbitico) dicit: Vt sciatis, quod cœli sancti, siue Angeli, siue Sedes, siue Sol, siue Luna &c. s̃m principium creaturę sunt omnes. Et ne in re clarissima referendis patrum sententijs diutius immoremur, sufficiat indicare loca Patrum. Isidorus lib. primo de summo bono cap. 12. Nazian. oratione 2. de Pascate, & oratione de Natiuitate, Clemens Romanus libro 2. recognitionum post medium. Damasc. lib. 2. cap. 3. Chrisost hom. 22. in Gen. Cassianus collatione 8. cap. 2. Hilarius lib. 12. de Trinitate circa finem, & lib. contra Auxentium, Epiphan. Hæresi 65. Sanctus Augustinus sepissime, sed præcipue tractatu in Io. ibi, Omnia per ipsum facta sunt, & lib. de Gen. imperfecto cap. 3. & 5. lib. primo de Gen. ad litt. cap. 9. lib. 2. cap. 7. Gregorius 32. moral. cap. 9. Athanasius q. prima ad Anthiocum. Cyrillus Alexandrin. lib. 3. contra Iulianum Apostatam.

Ad fundamentum Hermanni patet esse falsum. An autem Moses descripserit creationem Angelorum, patebit infra.



DISPV-

DISPVTATIO IIII.

SECTIO I.

Vtrum Moyses Angelorum creationem scripserit.

PRima sententia est Origenis Hom. prima in cap. primum Geneseos, qui dicit esse descriptam a Mose, cum dixit, In principio creauit Deus cœlum, per cœlum dnt intelligi omnem spiritualem substantiam. Eandem explicationem secutus est Sanctus Augustinus lib. de Gen imperfecto cap. 3. lib. primo de Gen. ad litteram, cap. 9. & lib. 12. confessionum cap. 9. Rupertus Abbas lib. primo de Trinit. & eius operibus cap. 11. Preterea si Angelorum creatio nō sit à Mosè descripta per cœli productionem; saltem docent esse descriptam, cum dixit Deus, fiat lux, per lucem enim intellexit naturam Angelicam, ita Sanctus Augustinus libro de Genesim imperfecto cap. 5. & lib. 2. de Genesi ad litteram capit. 7. lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 7. & 29. lib. 12. confessionum. cap. 9. & 16. Rupertus Abbas libro primo de Trinitate, & eius operibus, cap. 10. Isidorus libro primo de summo bono cap. 12. Florianus Nannius in Cathena argentea in Genesim conclusione 9. Iodocus Clictoueus in comm. Damascen. libro 2. capit. 3. in fine, & hæc sententia modernorum auribus suauiter arridere solet.

Secunda sententia est, à Mosè prætermissam esse Angelorum creationem hæc sententia est Sanctorum Patrum, quos infra afferemus; Quare consequenter negant, per cœlum, uel lucem, intelligi Angelos. *Moyses Ge. primo non scripsit Angelorum creationem.*

1. Conclusio unica, Decisiua, Moyses non descripsit Angelorum creationem in cap. 1. Geneseos probatur.

Primò, S. Athanasius quæstione prima ad Anthiocum dicit creationem Angelorū prætermisit Moyses, sic uolente Deo, quia nouerat Deus, Iudæorum corda ad Idola propensa, quod tamen sint creati, audi prophetam dicentem. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes uirtutes eius; quia ipse dixit, & facta sunt &c.

Basilius lib. de spiritu sancto cap. 16. dicit. Quare præteritus est silentio modus creationis celestium uirtutum, & a sensibilibus solum opificem, ac conditorem declarauit.

Chrisostomus hom. 3. in cap. primum Geneseos dicit Moyses nihil de inuisibilibus uirtutibus differit neque dicit, In principio fecit Deus Angelos, uel Archangelos, non simpliciter neque temere, hanc nobis doctrinæ uiam parauit. Iudæis enim loquebatur, qui toti rebus præsentibus inhiabant; Deinde subdit, & aliam

cau-

causã, si enim ea, colebant, quæ facta esse uidebant, multo magis coluissent, & Angelos, & Chrisosto. hom. in Psal. 8. ibid. Quoniam uidebo cœlos dicit. Quare nihil dicit de potestatibus incorporeis? Respondet, ut ipsi discerent, ex ijs, quę uidebantur; ideo pater eius, cum sus, deque Iudęis loqueretur, non dicit. Ego feci Angelos, & Cherubim; sed ego extendi cœlos. Cum.n. essent crassiores, magis ducebantur ijs, quæ uidebantur, quam ab ijs, quæ sub uisum non cadunt. Propterea Paulus quoque regrediens, & concionans ducit exordium à creatura, quę uidetur dicens. Deus qui fecit cœlum, & terram. Si enim dixero Deũ fecisse Cherubim, duo mihi erunt probanda, & quòd sint Cherubim, & quod ea fecerit Deus.

Epiphan. hæresi 65. initio, nusquam clare indicat scriptura tempus creationis Angelorum. Cyrillus Alexandrin. libro 3. contra Iulianum paulo post medium.

Secundò, Quia alii patres per cœlum, & lucem, non intelligunt Angelos, sed uerum cœlum, & ueram lucem, ita glossa ordinaria sufficiat aũt hic breuitatis causa indicare loca Patrum. Sanctus Dionysius capit 4. de diuinis nominibus Ambrosius libro primo in Hexameron cap. 2. 4. 6. lib. 2. cap. 1. Basil. hom. 1. in Hexameron, & hom. 3. & 9. reprehendit metaphoricam illam expositionem, & uocat somnia, & fabulas aniles. Beda in Hexameron. Vgo de Sancto Victore in annotationibus elucidatoriis in Genes. cap. 3. & 9. Aegidius Romanus 2. q. Hexameron. Magister cum Scola. 2. d. 12. Diuus Thom. prima parte. quæstio. 67. Hieronymus Vielmius lectione 6. & 7. in Gen. Cathechismus ad Parochos in expositione Symboli articu. primo in expositione tertii præcepti decalogi inter alias rationes; cur pro Sabbatho, diẽ Dominicũ colamus, dicit, quia eo die lux facta est. Symbolum Nicęnũ prius dicit, factorem cœli, & terrę; deinde subdit uisibilium omnium, & inuisibilium. Huc accedit usus Ecclesię in hymno ad uesperas. Lucis creator optime &c.


Tertiò, Quia ipse Sanctus Augustinus, quem alii tamquam caput illius sententię sequuntur, expresse fatetur, se non asserendo, sed quærendo dixisse, quę dixit, & ignorare, an figurate, an secundum historiam fuerit interpretatus. Ideo ueritus, ne in explicatione figurata, à ueritate longius aberraret, initio lib. de Genesi imperfecto statuit certam fidei professionem esse pręmittendam; & cap. 3. dubitatiue loquitur, An nomine cœli, & terræ intelligatur omnis natura, per cælum superiores substantię, per terram inferiores. Audi, quæ scribit lib. primo de Gen. ad litteram cap. 20. librum Geneseos inquit; multipliciter quantum potui enucleaui, protulique sententias de uerbis ad exercitationem nostram obscure positis, non aliquid unum temere affirmans, cum præiudicio alterius expositionis, forte melioris; ut pro modulo suo eligat quisque, quod capere possit, lib. 8. de Gen. ad litteram cap. primo dicit.

dicit. Narratio in ijs libris, non genus locutionis figuratarũ rerũ est; ficut in Cantico Canticorum, & ifta docet ad litteram, pro ut fonat effe intelligendum Genefeos librum, dicens. De proximo ergo attendant hanc præfumptionem quo tendat, & conentur nobifcum cuncta primitus, quę gefta narrantur in expreffione proprietatis, accipere. Sanè fi nullo modo poffent falua fide ueritatis, & quę corporaliter hic nominantur, corporaliter etiam accipi, quid aliud remaneret nifi, ut ea potius figurate dicta intelligeremus, quam fcripturam fanctum impie culparemus? fed præterea idem Sanctus Auguftinus eodem lib. cap. 2. fe ipfe accufat quòd prius figurate explicauit hunc librum dicens. Nam, & ego duos confcripfi libros recenti tempore conuerfionis meę cito uolens Manicheorum confutare deliramenta, Et quia non mihi tunc occurrebant omnia; quemadmodum propriè poffent accipi, magisque non accipi poffe uidebantur, aut uix poffe, aut difficile, ne retardetur quid figurate fignificarent, ea quæ ad litteram non potui inuenire, quanta potui breuitate, & perfpicuitate explicaui, Hæc ille, Quare maximopere miror eos, qui fibi ducem proponunt D. Auguftinum hæc loca non attendere, ipfumque ueræ, ac litteralis explicationis ducem non fequi. Regula optima explicandi facras litteras.

Quartò, Accedat optima ratio, quia Genefeos liber hiftoricus eft, funt igitur ea, quæ dicit uere, ac proprie explicanda. Bene dixit Sanctus ille Bafilius ubi fupra. Ego cum audio Mofen dicentem, cœlum, terram, aquam, fænum, nihil aliud intelligo nifi cœlum, terrã, aquam, fænum; Ideo etiam optime Vgo Victorinus in annotationibus elucidatoriis in Gen. cap. 3. monet, Mofen fuiffe hiftoriographum, & prophetam; ideo duo in ipfo effe attendenda, ueritatem rerum geftarum, formamque uerborum. At obiiciunt nobis doctores primę fententię. Ergo ne Moifes nobiliffimę creaturæ productionem fubticuit? de hoc dicam in fequenti fectione. Egregia Sãcti Bafilij fententia.

SECTIO II.

Cur Moyfes creationem Angelorum non defcripferit.



Florianus Nannius in fua Cathena Argentea in Genefim conclufione 9. vt probet Angelorum creationem, à Mofe explicatam effe, cum dixit. Fiat lux; uel Si ibi non fit defcripta, quòd fequatur ex hoc, quod Angeli ante mundum corporeum fint creati, dicit. Nouem effe rationes, cur fcripturæ aliqua filent, & propter nullam iftarum caufarum dicit, Angelorum creationem a Mofe prętermitti potuiffe. primam effe ꝙ nullam cognationẽ habeant cum re de qua loquuntur; At hoc de Angelis dici non poteft, quia funt principalior pars uniuerfi, cuius Moyfes creationem defcribit. Nouẽ caufę. Cur interdum nõnulla in facris litteris filentio obuoluãtur.

Secunda, Propter mysterium, sicuti natiuitatem, & progenitores Melchisedech Apostolus in epistola ad Hebræos cap. 7. siluit; ut esset illustris Christi figura. At quod misterium esse potest, si Angelorum reticeat creationem?

Tertia, Propter impios & derisores, ne tradant sanctum canibus. At nullus impius Moysen irrideret, si Angelorum creationem descripsisset, Imo uituperatur a Iuliano, quia non scripsit.

Quarta, Quia notissima sunt. At notius erat reperiri celū, & terram, quam Angelos, & multi negarunt, Angelos esse creatos, & tamen illa descripsit.

Quinta, Propter aurium sanctitatem mallens intelligi, quam proferre. At quæ turpitudo in Angelis apparet? Quæ fescennia?

Sexta, Quia uult Deus, quędam uiua uoce explicari, non autem scriptis mandari, dantur enim traditiones scriptura antiquiores, sed neque hac de causa prætermissa est, alioqui in alijs scripturæ locis de ipsa non ageretur quod tamen est falsum; Laudate eum omnes Angeli eius &c. Quoniam ipse dixit, & facta sunt &c.

Septima, Propter incapaces, qui non possunt altiora mysteria capere Io. 17. multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo.

Octaua, Quia si dicerentur, offendiculo essent ita Paulus Heb. 7. repetens historiam Melchisedech, prætermisit panis, & uini oblationem; sed hæ duę causæ non sunt admittendæ, quia Gen. cap. 3. Collocatur Cherubim, & flammeus gladius ante paradisum. In eodem libro describuntur tres Angeli obuii Abrahæ, & duo Loth, Iacob agmina, & castra Angelorum obuia fuerunt; & ipse cum Angelo luctatus legitur, & alibi sæpe in Pentateuco leguntur Angeli.

Nona, Quia falsa sunt, scripturæ autem a Spiritusancto dictatę mendaces esse non possunt. At hoc dici non potest, est enim de fide, Angelos esse à Deo creatos. Ex iis concludit, non esse prætermissam a Moyse Angelorum creationem, ergo est descripta, cum dicit. Fiat lux. Quæ nouem causæ prius à Hyeronimo Vielmio lectione 7. in Genesim descriptæ erant. Cum ergo ex superiori nostra sectione ex sanctorum Patrum doctrina constet, Angelorum creationem esse prætermissam, Videndum est quænam huius omissionis causa fuerit.

Hierony. Vielmius ubi supra dicit hanc esse causam, quia erat prorsus aliena a scopo suo, qui corporalibus ceremoniis, & legibus Iudaicum populum ad Christum reparatorem disponere satagebat. Si autem de Angelorum creatione meminisset, oporteret etiam eum plura alia de Angelis explicasse, forte etiam Dæmonum peccata &c. Hanc responsionem impugnat Nannius ubi supra ostendens, habuisse cognationem cum Mosis narratione, quia sunt præcipua pars orbis secundo quia de auibus scripsit, & animalibus quorum tamen Christus redemptor nō est. Sed Nan-

nii

nii acutissimi doctoris sapientiam plurimi semper facio, sæpe etiam admiror hac tamen in re non possum illi acquiescere; quia Vielmii ratio, est ratio à Sanctis Patribus allata, qui docent consilium, institutumque Moysis fuisse, explicare creationem rerum sensibilium, ut doceret eas esse creaturas, & ab earum cultu Iudæorum corda ad idololatriā propensa ad ueri Dei cultum retraheret, ut explicata Dei optimi excellentia, qui mundialis huius machinæ, cuius pulchritudinem tantopere iudęi mirabantur, auctor, atque creator esset, eorum corda ad unum Deum summopere colendum alliceret, ita scribit Sanctus Hieronymus epistola 109. Chrysostomus, Basilius ubi supra, Theodoretus epithome diuinorum decretorum cap. de creatione, Isidorus, Epiphanius ubi supra. Athanasius q. prima ad Antiocum.

Libet autem nouem illis rationibus decimam addere, Quæ est. Quia duplex sapientiæ genus uoluit olim Deus in Sinagoga, & etiam nunc in Ecclesia repperiri. Alterum quidem, quod communiter omnibus, tam dignis, quam indignis traderetur. Alterum autem sanctius, quod altissimorum mysteriorum intelligentiam, & sacrarum literarum reconditos sensus patefaceret; & hoc secundum sapientiæ genus, tantum apud sanctos probatosque uiros, eosque potissime qui Deo colendo uacarent residere uoluit; fidem huic nostræ doctrinæ faciunt, quæ scribuntur lib. 4. Esd. cap. 14. Nec dicat quis, Vt quid mihi 4. Esdræ librum, apocryphum, quemque sac. Conc. Tridentinum sess. 4. cap. primo a Canonicorum librorum catalogo reiecit affers? Profer ex Canonicis scripturis indubitata testimonia; Nam respondebo, non esse quidem Canonicum eum librum; maxime tamen auctoritatis esse in Ecclesia, quę ex cap. 2. eiusdem libri desumit introitum ferię 3. post Penth. Accipite iucunditatem &c. ex eodem etiam libro desumit responsorium pro Apostolis, Modò coronantur, & accipiunt palmam; & Sanctus Ambrosius laudat eum librum, tamquā maxime confirmantem resurrectionis fidem; faciet igitur auctoritatē iis, quæ dicentur à nobis. Ibi ergo scribuntur hæc Reuelās (inquit Deus) reuelatus sum Moysi. In monte synai, & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem, & præcepi ei dicens. Hæc in palam facies, & hæc abscondes. Cum uero scripturę sacræ Babilonica captiuitate essent combustę, soluta autem captiuitate, uellet denuo ab Esdra rescribi, & restitui sacrosanctam scripturam, præcipit Deus, ut in desertum locum abiret, ibique multis comparatis tabellis & buxis, 40. dies maneret dicens ei. Ego accendam in corde tuo lucernam intellectus &c. tūc tradidit illi calicem plenum liquore aqueo, sed colore igneo & in eo cum bibissem inquit Esdras cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increscebat sapientia, nam spiritus meus conseruabatur memoria, & apertum est os meum, & nō est clausum amplius Altissimus etiam dedit intellectum quinque uiris, qui

Decima causa additur cur quędam in scripturis subticeātur.

Duplex sapientiæ genus in Ecclesia.

Quantæ auctoritatis sit in Ecclesia liber quartus Esdræ.

Esdras sacrarum scripturarum restitutor.

Mirabilis potio.

ſcribebant, & ſcripſerunt, quæ dicebantur exceſſiones noctis, quas neſciebant. Nocte mand ucabant panem. Ego autem per dię loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti ſunt autem per dies quadraginta libri ducenti quatuor. Et factum eſt, cum compleuiſſent 40. dies locutus eſt altiſſimus dicens. Priora, quæ ſcripſiſti uolumina, palam pone, legant digni, & indigni, nouiſſimos autem 70. conſeruabis, ut tradas eos ſapientibus de populo tuo. In his enim eſt uena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumem. Et feci ſic. Atque hoc modo uigebant traditiones apud Hebræos, quibus occultiora ſcripturæ miſteria poſteritati tradebantur, & hæc ſcientia ſolum apud ſeniores conſeruabatur. Virtute harum traditionum quædam ſcripturæ loca explicantur, ut cum dicit Dominus Luc. 4. Quando clauſum eſt cœlum, annis tribus, & menſibus ſex. in lib. autem 4. Reg. cap. 17. ſolum numerantur anni tres. Item epiſtola ad Hebræos cap. 9. habetur in arca domini fuiſſe incluſam legem, manna, & uirgas Aaron, & Moyſis; Nullibi autem in ſac. ſcriptura inuenimus in arca fuiſſe uirgas; Item illud in epiſtola Iudæ, quòd in arca Domini octo animæ ſaluatæ ſint, hæc igitur per iſtas traditiones, & per occu ltā expoſitionem ſcripturarum cognoſcebantur atque hæc doctrina olim celeberrima erat, & uocabatur Cabalah. ita Xiſtus Senen. in bibliotheca ſancta lib. 2. uerbo Thalmud. & Ioan. Picus Mirandulanus in ſua Eptaplo, Petrus Galat. lib. primo de arcanis ſacræ ſcripturæ; atque de hac doctrina putant aliqui, locutum eſſe Dominum Lucę. 11. cum dixit: Væ uobis legis peritis, qui tuliſtis clauem ſapientiæ, & ipſi non introiſtis. Hoc etiam nobis indicat inſigne illud Rationale quod ſummus Pontifex Hebræorum, gerebat in pectore, de quo Exodi 28. in quo infixi erant duodecim lapides, in quibus inſcripta erant nomina duodecim tribuum Iſrael, in quo præter lumen naturale lapidum, erat etiam aliud myſterioſum lumen, ꝙ auctore Nicolao de Lyra appellebatur a Iudæis אורים & תומים Vrim & Thumim ſcilicet manifeſtatio, & ueritas, de qua etiam Ioſeph loquitur lib. 3. antiquitatū cap. 11. & Magiſter hiſtorię ſcolaſticę hiſtoria in exodum cap. 64. Lyranus in cap. 28. Exodi Chriſoſtomus oratione 3. contra Iudęos, quod lumem aliqui dicebant, oriri ex ſubinſcripto lapidibus nomine Dei ineffabili יהוה alii ultimo dicabant oriri ex repercuſſione luminis gemmarum ad inſtar circuli lactei. In illud Rationale iudicii, quotieſcunque grauis aliqua cōtrouerſia proponebatur ſummo ſacerdoti; oculos coniiciens illuminabatur de ueritate ſoluendę qōnis. Hic uō̄ fulgor ceſſauit ducentis annis ante euerſionem Hieruſalem: ita Ioſeph. lib. 3. antiquit. cap. 13. De mirabili fulgore horum lapidum ſcribit Philo Iudæus, libro Biblicarum antiquitatum paul o ante medium, hac ratione, lapides illi prætioſi erant, de terra Euilat, quorum prætium ineſtimabile erat, quia per noctem ingredientibus ijs, non erat neceſſarium lumen lucernæ; ita ſplendebat genuinum

Origo traditionum apud Hebręos.

Λόγιον.

Pretioſi lapides incōparabiles.

nuinum lapidum lumen. Inter quos tamen plus lucebat ille, qui in modum Diatridis sculptus de setis emundabatur. Nam, & si quis de Amorręis cæcus erat, ibat, & ponebat oculos suos super eum, & recuperabat lumen, & infra plurima alia maxima admiratione plena scribit, sed apochrypha, sed, ut unde discessit, eodem nostra recurrat oratio, Constat, & in nouo testamento maxima in ueneratione haberi Apostolicas traditiones, & sanctorum Patrum dogmata, quos eo, quod uiua Dei templa fuerint, spiritus sanctus docuit veritatem, ideo tantopere à sacro Sancto Concilio Tridentino comendantur. Propter rationes igitur supra explicatas, censeo Sanctum Spiritum dictasse Moysi, ut in describendis rerum initijs, Angelorum creationem silentio obuolueret, in Ecclesia tamen uiua sanctorum patrum uoce explicandam. Admirabilis pretiosorũ lapidũ fulgor.

DISPVTATIO V.

SECTIO I.

Quando fuerint Creati Angeli.

Origenes hom. 8. in Iosue, & hom. 18. in Ioann. explicans illud Ioann. 8. quo ego uado &c. hom. 13. in Hierem. lib. 8. in epistola ad Rom. libro primo περὶ Α'ρχῶν cap. 6. & 8. secutus philosophos, ponentes mundum æternum cum ipsis, & Angelos, & hominum animas, docet esse ab æterno creatas. Qui error fusius à nobis confutabitur in dist. 6. & in dist. 12. cum de opere primæ diei. Inter eos autem, qui fatentur, Angelos non esse æternos est.

Prima sententia Sancti Gregorii Nazianze. in oratione de natiuitate, & oratione secunda de pascate, quē citat, & sequitur Damascen. lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 3. Basilii hom. prima in Hexameron, Hilarii libro 12. de Trinitate circa finem, & lib. contra Auxentium, Ambrosij libro primo Hexameron capitulo 5. Cassiani libro octauo collationum, qui dicit suo tempore, fuisse communem omnium sententiam. Isidori libro primo de summo bono, cap. 12. dicit omnes Angelos, ante cęlum fuisse creatos, & Luciferum ante alios Angelos, sed deinde se explicat, ꝙ de anterioritate dignitatis, non durationis loquatur. Conãtur nonnulli hanc sententiam Sancto Hieronymo impingere, quia in epistola ad Tit. capit. 1. dicit: Sex millia nostri temporis nundum complentur annorum. Et quantas prius æternitates, & quanta tempora, & quantas seculorum origenes prius fuisse putandum est, in quibus Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes seruierunt Deo, absque temporum uicibus, & mensuris? Alii conantur

Chri-

Chrisostomum in hanc sententiam trahere, quia hom. 22. in Genesim dicit. Antequam conditus esset homo, cæcidisse de cęlo Luciferum, sed, & hoc docēt communiter Patres, & est uerissimum quia homo conditus est sexta die, Diabolus autem peccauit, uel prima, uel saltem secunda die, sed de hoc d. 6.

Hanc tamen sententiam de creatione Angelorum ante mundum corporeum, nouissime suscitauit Ambrosius Catharinus Opusc. de Angelorum bonorum gloria, & casu malorum, & in principio in Genesim. Florianus Nannius in Cathena argentea conclusione 9. conditionate loquitur, quod si nomine lucis non intelliguntur Angeli, sequitur Angelos ante mundū corporeum esse creatos; ideo conatur soluere auctoritates, quas pro nostra sententia afferemus. Hæc autem sententia probatur.

Primo ex scriptura in libro Ecclesiastici dicitur primo omniū creata est sapientia, hoc enim non potest intelligi de sapientia Patris, quę est increata, ergo de Angelis, Iob. 38. Vbi eras, cum me laudarent astra matutina.

Secundò, Moses subtilissime describens mundi productionem, tñ de Angelis nō meminit, ergo prius debuerunt esse creati.

Tertiò, Deus auctor ordinis, omnia summo ordine perfecit, & compleuit, cum ergo Deus sit summe simplex, entia materialia sint corporea, debuit à summa puritate, ad materialia per Angelos deuenire; alioquin transisset ab extremo ad extremum sine medio.

Secunda Sententia est eorum, quos refert Diuus Thomas de potentia q. 3. articulo 19. dicentium, non solum Angelos, non esse creatos ante mundum corporeum, sed nec potuisse quidem creari, fundamentum est; quia putabant non posse Angelos esse, nisi aliquo loco continerentur, at ante mundum non fuit locus, ergo sed bene aduertit Diuus Thomas ibidem, hunc errorem ex erronea omnino sententia processisse, scilicet ex defectu imaginationis ipsorum, quippe qui non possent Angelos nisi corporeos concipere, quare ijs determinatū locum putabāt esse concedendum.

Tertia Sententia est, fuisse creatos simul cum mundo. Hæc sententia communis est omnium aliorum.

Prima conclusio Angeli potuerunt ante corporeum mundum creari; patet, quia plane nihil obstat; non ex parte Dei, quia etiam ante mundum corporeum erat omnipotens, non ex parte Angelorum, quia eodem modo fuerunt in potentia obedientiali, antequam uel ipsi, vel mundus crearentur, & dum creati sunt, & ipsi, & mundus. Non ex parte creationis, licet enim multi negent, hanc potuisse esse ab æterno, nullus tamen unquam admittētium creationem, negauit posse esse in durationis alicuius finitæ initio, siue illa duratio sit ęui, siue temporis: Non ex parte medij, vel loci, quia, nec ad creationem, nec ad esse Angelorum conseruationem requiritur corporalis locus.

Secun-

Secunda conclusio Angeli fuerunt creati initio temporis probatur primo, Genesis primo: In principio creauit Deus cœlum, & terram. ꝗ si Angeli prius fuissent creati, ergo non in principio fuissent creati Angeli, idem habetur psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti Ecclesiastici 18. qui uiuit in æternum, creauit omnia simul. Iob 40. Ecce beemoth quem feci tecum. Coloss. primo. Condita sunt omnia, siue quæ in cęlis, &c.

Secundò, Quia constat inter Theologos, quod mali Angeli paulo post creationem peccarunt. At tunc erat cęlum, & peccarũt in cęlo. Es. 14. In cęlum conscendam. Ideo factum est prælium magnum in cęlo Apocalipsi 12. Et draco cęlo pulsus est, & non est inuentus locus amplius in cęlo. Lucæ 10. Videbam Sathanam, sicut fulgur de cęlo cadentem.

Tertiò, Quia hæc ueritas expresse habetur in sacro Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur de summa Trinitate, & fide Catholica capitulo Firmiter. Creator omnium, uisibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti uirtute simul, In principio temporis utrâque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & spiritualem, angelicam, & humanam. Propter hoc testimonium exorta est apud doctores noua controuersia, qualisnam censeri debeat opinio asserens Angelos esse creatos ante mundum, an sit hæretica nec ne.

SECTIO II.

An opinio asserens, Angelos esse creatos ante mundum, sit hæretica.



Conueniunt omnes scolastici Doctores, opinionem dicentem, Angelos esse creatos ante mundum corporeum, esse non solum falsam, sed etiam nostra tempestate temerariam, tum propter testimonia scripturæ, ex quibus hæc ueritas deducitur, Tũ propter auctoritatem patrum, quos infra citabo, Tum quia esset contra omnes scolasticos quod sufficit ad faciendam opinionem esse temerariam. Quamuis Paulus Grisaldus in decisionibus uerbo Angeli numero 10. dicat non esse temerariam dubium est, an sit etiam Hæretica.

Ferarr. in commentario Diui Thomæ, libro secundo contra gentes capitu. 83. dicit aliquam opinionem posse esse hæreticam dupliciter, scilicet directe, & indirecte. Directe, si formaliter sit contra id, quòd est determinatũ de fide, ut ꝗ filius nõ sit consubstantialis Patri. Indirecte vero est id, ꝗ reuera non est directe, & formaliter contra fidem, sed consequenter, Verbi gratia qui negaret

Aliquid de fide dupliciter directe uel indirecte, & quid horum utrũque.

ret canem Tobię adulatum fuisse cauda Tobiæ non diceret revera aliquid contra fidem, quia ad fidem parum refert, an canis adduletur cauda, nec ne; Tamen quia in scriptura habemus, canem cauda adulatum, ideo quia negans canem cauda adulatum, licet non neget aliquid, quòd ad fidem attinet, negat tamen id, quod scriptura dicit, quare consequenter fidem adimit a scriptura, ideo hæc propositio canis Tobiæ non adulabatur cauda Tobię, esset hęretica indirectè.

His positis dicit, quòd licet ante illud Concilium, nullo modo fuerit illa propositio de creatione Angelorum ante mundum hæretica, licet fuerit falsa, tamen, si quis modo eam assereret, esset hęretica saltem indirectè.

Communiter tamen alii Thomistę negant, esse hęreticā quia, licet illud habeatur in Concilio, tamen Concilium id directè non intendit determinare tamquā de fide, cum Concilium directè contra hoc non sit congregatum, sed, uel contra errores Abbatis Ioachim circa Trinitatis mysterium, uel contra errores origenis asserentis, Angelos, & animas nostras ab ęterno esse creatas, & mundum hunc occasionaliter ad punienda peccata Angelorum, esse creata. lege Xistum Senen. ubi supra.

At quid modo dicendum erit? cum in sac. Conc. Constantinopol. 6. sub Agathone Papa actione 11. dicatur. Non tantùm uisibilia, sed etiam inuisibilia unus Deus condidit, Pater, filius, & Spiritus sanctus, illa sempiterna natura, quæ nescit exordium, & ex non existentibus protulit, vt existerent. Omnia enim per unigenitum filium, Pater in Spiritu Sancto fecit, quæ, & sapienti prudentia continet, ut Deus suis operibus præsidens, principiumq; omnibus temporale constituens; sensibilia quidem temporali fini supposuit, intellectualia uero, &c. Posset fortassis responderi, quod hæc nō est determinatio, sed epistola Sophonij, sed contra, quia licet sit epistola, tamen hoc ipso, quod in Concilio publicè legitur, & approbatur, maximam auctoritatem accipit, secundo responderi posset, quòd dixit, quòd omnibus temporale principiū constituit, at non dicit, quod idem principium constituit, sed contra, nam hoc ipso, quòd constituit omnibus temporale principium, hoc autem unum est, sequitur quod idem principium constituat.

Equidem hac in re (ingenue fatebor quod sentio) perplexus hæreo. Certum est autem mihi, quòd nisi in oppositum adessent Patrum, quos supra citaui sententiæ communiter assererent doctores, hanc esse sententiam de fide, propter auctoritates Conciliorum citatorum, præcipue tamen Lateranensis, in quo illa auctoritas habetur in ipsis Decretis, non per modum opinionis, neque per modum rationis expressa; sed ita, ut per modum dogmatis, atque Decreti exprimatur. Et illa responsio, quòd sacrum illud Concilium congregatū non sit, ad hoc determinandum, sed

uel cõtra errores origenis, uel Abbatis Zoachimi, non plene men tem satiare uidetur. Sacra enim Concilia sæpe ad aliquod unum dogma confirmãdum, oppositamque hæreseos pestem profligandam congregantur. At postquam cõgregata fuere spiritu sancto dictante, atque assistente, cum eo dogmate, aliud etiã dogma con firmant. Præsto nobis ad hanc rem confirmandam adsit Nicænæ secundæ synodi exemplum. Hæc enim congregata fuit contra Ικονομαχοῦς καὶ Ικονοκλαςας idest, cõtra imaginum impugnatores, & destructores, ut scilicet confirmaretur. Vsus imaginum, tamquam pius, atque Catholicus, non autem, ut definiretur, Angelos esse pingẽdos; Cum tamen ibi definitum sit, Angelos esse pingendos, hanc omnes communiter tamquam determinationem de fide approbant, & admittũt: Illud tamen, quia corporei sunt, & quia aliquando in propria forma apparuerunt: Quia non asseritur a Concilio per modum Decreti, uel dogmatis, sed per modum rationis, non est de fide. Ergo ne Patres supra citatos, tamquam dãnatæ sententiæ sectatores, uel damnabimus, uel auersabimur? Absit, Quod ergo Consilium nobis capescendum erit? Attende. Nam quid mihi hac de re sæpius cogitãti, atque apparẽtem hanc sanctorum Patrum a sacri Concilij sententia dissidentium deploranti, locaque. Patrum attentius consideranti, in mentem uenerit, explicabo, Censeo multorum Patrum ex ijs, quos supra citaui mentem, a Concilij mente non discrepare, sed sanctos Patres commode posse explicari, quod nõ de proprietate, seu anterioritate durationis, sed uel dignitatis, uel excellentiæ, uel naturæ, uel intẽtionis prioritate esse locutos. Scio futurum, ut hæc explicatio prima facie, vt noua, ita nonnullis, uel ceruicosior, uel violenta iudicetur. Mihi tamen maxime moderata ac rationalis esse uidetur. neque hoc tantum, sed etiam ab omnibus rationabiliter admittenda.

Dicas quæso benigne lector, Quanam ratione omnes planè, quotquot asserunt, Angelos simul cum orbe esse creatos, explicent illud Ecclesiastici primo.

Primo omnium creata est sapientia? Certe omnes dicunt, primo prioritatis dignitatis, excellentię naturæ, intentionis, non durationis. Cõmunis ergo doctorum omnium explicatio auctoritati sacræ scripturæ applicata non iudicatur, neque ceruicosa, ne que uiolenta, Ceruicosa ergo uidebitur applicata Patrum aucto ritati? Absit. Quid si ipsos Patres seipsos hac ratione explicantes audires, num illos ceruicosos, uel uiolenter seipsos explicantes diceres? minime. Audi igitur illos, sese eo modo, quo dixi explicantes.

Explicantur Sancti Patres & osten ditur eos cũ dicunt Angelos ante mundum esse creatos nõ loqui de temporia anterioritate sed de anterioritate dignitatis.

Isidorus libro primo de summo bono, cap. 12. habet hæc uerba. Ante omnem creaturam mundi creati sunt Angeli, & ante omnem creationem Angelorum Diabolus conditus est, sicut scriptum est. Ipse est principium uiarum Domini. Quid iudicas, cum

uelle, cum hæc uerba, uel legis, uel audis; non ne quod uelit Angelos uere ante mundum, ideſt antequam mundus fieret, eſſe creatos, ita plane uerba ſenſum hunc facere uidentur. Et tamen audi illum ſuam ſententiam explicantem ſubdit enim. Diabolus prius creatus extitit, ordinis prælatione, non temporis quantitate.

Nazianz. qui tamen oppoſitæ ſentétiæ princeps, cenſetur, hac ratione commodiſſime explicari poteſt. In oratione prima de pace dicit. Primum animaduertendum eſt, eorum, quę ſunt pulcherrimum, atque excellentiſſimum eſſe Deum, ſecundum locum tenent, quæ à Deo primam originem ducunt, ac circa eum uerſantur, nimirum Angeli, & cæleſtes copiæ, quæ primum lumen haurientes &c. Tertium locum mundus &c. Hæc ſententia non intelligitur de primo loco, quo ad durationem, ſed quo ad excellentiam & perfectionem, & Dei cognitionem, Hæc explicatio mea non eſt, ſed Nycetæ Sertorij in ſcholiis prædictæ orationis ſcolio 17.

Idem Nazianz. oratione de Natiuitate dicit: Quoniam ſummo illi bono nequaquam ſatis erat, ſua ipſius contemplatione moueri, ſed bonum illud diffundi, ac propagari oportebat. Primum Angelos moueri, & cæleſtes ſpiritus cogitauit, atque illa cogitatio opus erat, quæ Verbo conficiebatur, & ſpiritu complebatur (ſubdit deinde) Poſteaquam autem primas creationis partes præclare conſtitutas uidit; alterum mundum cogitauit, materia conſtanté & aſpectabilem, nimirum hanc ex cœlo, & terra cõſtantem coagmentationem &c. Hanc ſententiam non eſſe de prioritate tẽporis intelligendam, teſtatur Nycętas in ſcolio, dicit: Intellectilis mundus creatus eſt primo ordine, & hæc explicatio ex ipſis Nazian. uerbis colligitur, quia illud primo, & poſtea, ponit in cogitatione Dei, quæ unica eſt, & ipſam cogitationem, dicit eſſe ipſum opus, ergo ita prius, ac poſterius eſt opus, ſicut cogitatio, cogitatio autem eſt ſimul, ergo ẽt opus ſimul erit, ideo prius erit noſtro modo intelligendi, prioritate ordinis, & naturę.

Idem Nazian. oratione ſecunda in paſcate, Eadem fere uerba repetit. Ideo Nicætas Fidus illius ſcoliaſtes explicat, ut ſupra, & cũ ipſo etiam nos. Hæc autem loca ſunt, quæ in oppoſitam ſententiam citantur.

Sanctus Io. Damaſc. lib. 2. de fide orthodoxa, nihil aliud dicit niſi, quòd dicit Sanctus Gregorius Nazian. dicit enim nonulli porrò dicunt, ante omnem creaturam factos Angelos, ut diuiniloquus dicit Gregorius, & primum quidem Deum excogitaſſe Angelicas, & cæleſtes uirtutes, & cogitationem eius opus fuiſſe, Alij autem poſt primum cælum factum. Ego uero Deiloquo Gregorio accedo; nam par fuit primum intellectualem ſubſtantiam creari, atque ſic ſenſibilem, ex tunc, ex utriſque hominem. Ecce eodem plane modo loquitur quo Sanctus Gregorius, ergo eodẽ modo intelligendus. Sed ad omnem ſcrupulum euellendum, ne-

quis

quis dicat, licet fateatur, se idem dicere, quòd Gregorius, putabit tamen, Gregorium de durationis prioritate esse locutum, attende quid Iodocus Cletoueus acutissimus, & eruditissimus Damasceni commentator de mente Damasc. & Gregorij simul, in fine commen. eiusdem capitis dicat. Ait enim De eo autem, quòd disquirit auctor, quænam creaturæ primo fuerint à Deo factæ, an spirituales, an corporales, potius standum est sententiæ sacratissimi Gregorij Nazian. uidelicet, primo omnium factos esse Angelicos spiritus, secũdo loco creaturas corporales, quinque dierum interuallo à Deo dispositas, Tertio uero hominem, ut utriusque extremorum medium. Nẽpe prius natura, & præstantius est spiritus, quam corpus; ideo prius debuit produci. Quod satis innuere uidetur scriptura dicẽs. In principio creauit Deus cœlum, & terram, nomine cœli intelligens Angelos, nomine terræ elementa, & mixta, & quod hæc explicatio sit ad mentem Damasceni patet ex iis, quæ Damascenus eodem lib. capitulo. 6. dicit quod cœlum est circumductio uisibilium, & inuisibiliũ, intra ipsum enim intellectuales substantiæ, & corporales concluduntur, & ipso ambitu determinantur, si ergo non extra cœlum, ergo non ante cœlum.

Beda in libello quæst. separatarum quæstione 9. Eodem fere modo loquitur, quo Isidorus, & se ipse explicat, sicut Isidorus. Quare est nobis regula explicandi cæteros.

De sententia Sancti Augustini du bitari non potest, licet enim lib. 11. Ciuit. Dei cap. 11. permittere uideatur, ut unusquisque sentiat, quicquid uelit, tamen semper ipse constantissime docuit, Mundum in tempore esse creatum, hoc indicabunt loca, quæ inferius ponemus.

Theodoretus q. 3. in Genesim dicit, si quis Angelorum turbas, ante cœlum, & terram conditas esse dixerit, nõ offendet uerbum pietatis. Ipse quidem superius cum orbe conditos dixerat, si tamen quis dicat, esse creatos ante, uel natura, uel duratione non offendet uerbum pietatis, quia adhuc oppositum in fide determinatum non erat.

Sanctus Basilius necessario eget explicatione dicit enim hom. prima in Hexam. Moyses hanc uocem proposuit dicens, In principio fecit; quia etiam ante hunc mundum erat (ueluti uerisimile est) aliquid, quod intelligentia quidem nostra contemplari licet; Verum id narrare omisit, quod iis, qui introducuntur adhuc, & infantibus, parum apta ea cognitio existit. Erat sane status quidam mundi generatione uetustior, abstractis illis à concretione materiæ potentiis, mundo præstantioribus conueniens, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum; ac sempiternus, hoc est nulli umquam subiectus corruptioni, ac destructioni. Opificia autem in ipso omnium conditor perfecit rationales, & inuisibiles naturas, & omnem intelligibilium ornatum, quæ nostram in-

telligentiam excedunt, quorum neque nomina inuenire possibile est. Hæc enim inuisibilis mundi essentiam complent, ueluti nos docet Paulus dicens. Quod in ipso sunt condita omnia, siue uisibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, siue potentiæ, siue Angelorum exercitus, siue Archangelorum præfecturę. In principio igitur dicit quod est iuxta tempus post inuisibilia, & intelligibilia, uisibilium horum, & sensu apprehensibilium, principium originis enarrans. Attende in hac sententia illa uerba, status mundi generatione uetustior, æternus, ac sempiternus, in quo conditor perfecit rationales substantias, non potest hic status accipi, neque pro statu temporis, nec æui, ergo est status diuinæ bonitatis, in qua condita sunt omnia, ut dicit Apostolus, siue uisibilia, siue inuisibilia, siue quæ in terris, siue quæ in cælis & cum uisibilia crearit in tempore, consequens est, ut in tempore etiam inuisibilia crearit; Quare ex ijs uerbis nihil plane colligi potest pro prima sententia; supersunt alia uerba, Post inuisibilia creatus est mundus, quod de anterioritate naturæ, uel dignitatis commode potest intelligi.

Idem Basilius hom. 2. in Hexam. dicit, cōsideremus quòd quicquid erat ante sensibilis huius mundi constitutionem, in luce nimirum id erat, neque enim Angelorum dignitates, neque cælestes uirtutes in tenebris erant, sed in luce, & in omni spirituali lętitia sibi ipsis conuenientem statum habebant, Hæc uerba non ita facile explicantur; Quare Basilium fateamur, in ea fuisse sñia.

Sanctus Ambrosius lib. primo Hexam. cap. 5. uidetur paulo difficilius posse explicari dicit; factus est ergo mundus, & cœpit esse, quòd non erat. Verbum autem Dei in principio erat, & semper sed Angeli, Dominationes, ac potestates, & si aliquando esse cœperint, erant tamen quando hic mundus est factus. Posset dici, qđ quia Angeli naturę ordine facti sunt, ante mundum erant, quando factus est mūdus, ueluti natura priores. Alter locus ex D. Ambrosio in pręfatione Psalmi primi facilius explicari potest, dicit, laudant Angeli Dominum, & ante ipsum mundi initium cherubim, ac seraphim cum suauitate canebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus; posset hic locus explicari de naturæ prioritate, quòd quia cognitione matutina prius ordine cognoscebant, quæ fiebant, ideo laudabant Deum.

Sanctus Hieronymus dum dicit sex millia nostri temporis &c. ex ijs uerbis non possumus colligere, Diuum Hieronymum in ea fuisse sententia sed tātum retulit sententiam Origenis, licet suppresso nomine, quod sępissime facere se solitum esse, testatur ipse sanctus pater in apologijs cōtra Ruffinum. Cum enim Ruffinus multorum errorum pientissimum ac Religiosissimum Hieronimum insimularet, ipse se hac ratione purgauit, se aliorum tantū sententias referendo dixisse; Quare hæc debet esse regula in dictis Hieronymi explicandis, alioquin, cum passim errores referat

Regula explicandi dicta B. Hieronimi.

Orige-

Origenis, si ijs alligatum Hieronymum diceremus, oporteret de Hieronymi doctrina idem dicere quodquod de Origene dixit Gelasius Papa dist. 15. cap. Sancta Romana Ecclesia, Origenem cũ doctrina damnamus. ideo qui scripsit indicem in Hieronymum monet hoc Ὀριγενικῶς esse dictum. Ideo initio li. quæst. Hebraicarũ in Gen. dicit. In principio, idest ante omnia, antequam quicquam faceret, creauit cœlum, & terram.

Sanctus Hilarius uere explicari non potest, dicit enim tum lib. 12. de Trinitate, tum in lib. contra Auxentium, Angelorum origo, terræ creatione reperitur antiquior.

De Origene non est laborandum, connumeretur, & hoc inter reliquos ipsius errores.

De Cassiano vere, neque ipse explicari potest. At de Cassiano dicit Gelasius Papa Cassiani Presbiteri opuscula apochrypha; Tñ non puto esse hunc Cassianum, qui collationes scripsit, neque enim fuit præsbyter galliarum, sed Monacus Heremita. Ecce igitur quomodo exceptis Origene, Hilario, Cassiano, forte Basilio, & Ambrosio reliquos facile in nostram sententiam explicamus. Quibus concordant Sanctus Augustinus in locis omnibus citatis in disputatione 3. sectione prima. Rupertus Abbas libro primo de Trinitate, & eius operibus, cap. 10. Isidorus, & Beda ubi supra, ibi habes ipsorum uerba. Insignis est sententia Epiphanij libro secundo aduersus hęreses hæresi 65. Factum cœlum, & firmamentum cœli, & terrę, & cum his omnibus Angeli facti sunt. Et infra, Clare indicat diuina scriptura, quod neque post sydera facti sunt Angeli, neque ante cœlum, & terram, cum palam intransmutabile hoc dictum sit, Quod ante cœlum, & terrã nihil erat ex creatis, nam in principio fecit Deus cœlum, & terram, ut principium sit, & nihil ex creatis, ante hoc principium sit.

Cassianus damnatus a Gelasio Papa non est Cassianus q Patrum collationes scripsit.

Greg. lib. 27. mor. cap. 24. Angelici spiritus condsti sunt in cœlestibus, & lib. 32. moral. cap. 9. Quem sub beemoth nomine, nisi antiquum hostem significat? sed cum de Deo scriptum sit, quia fecit omnia simul, cur hoc animal simul cum homine fecisse se indicat, dum cuncta, quia simul fecerit constat. Sanctus Cyprianus libro de zelo, & liuore dicit Diabolus inter initia statim mundi, & periit primus, & perdidit Cyrillus Alexandrinus in principio Geneseos, Cælum ait, & terram omnipotens conditor, ante omnia alia creauit Athanasius sermone 3. contra Arrianos, ut probet filium non esse creaturam factam ante alias, dicit nullam creaturã factam esse ante alias. hæc sunt uerba illius. Quæ creaturarum talis est? qualis alia? ut hoc tamquam eximium de Christo prędicetis, siquidem tota rerum natura intra sex dies cõdita est, et ex hoc infert necessario filium, uel collocandum esse in classe creaturarum cum aliis creaturis, uisibilibus, & inuisibilibus, uel cum creatore Deo, & opusculo de uirginitate initio. Ipse Deus inquit Pater omnium fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in

cis

eis sunt. Lege Xist. Senen. lib. 5. bibliothec. sanctę annot. 5. qui in hanc sententiam citat Acacium, & Diodorum.

His tandem addo duo egregia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ lumina, S. Thom. hic, & p. p. q. 61. art. 3. De potentia q. 3. art. 18. & 19. & Sanctum Bonauenturam hic, & Magistrum cum scola.

Illud etiam monuerim, quod si cui minus placerent conciliationes illæ Sanctorum Patrum, quas supra retuli, meminerit eius modestiæ, atque obseruantiæ in sanctos Patres, Nazianzenum, et alios, quorum tanta est auctoritas in Ecclesia, quam scolasticorū princeps D. Th. adhibuit, & ab ea non recedat.

Ad argumenta in contrarium, Ad illud Ecclesiastici primo. Primo omnium creata est sapientia, dictum est supra, ex Patrum sententia illud intelligi de prioritate naturæ, uel dignitatis. Illud uero Iob 38. Vbi eras &c. non habet difficultatem loquitur enim ad Iob, qui tam multis seculis post Angelorum, & orbis creationem conditus est.

Ad secundum patet ex dictis in disputatione 4. sectione prima, & secunda.

Ad tertium, Respon. summum ordinem a Deo Opt. Max. esse seruatum, quia enim totus mundus est magnus quidam homo, constans ex corpore, & spiritu, ita homo, est paruus quidam mundus, a Græcis dictus μικροκόσμος, Sicut ergo spiritus parui mundi, nobilior est corpore, simul tamen producitur cum corpore, ita Angeli, qui spiritus sunt, simul cum toto orbe produci debuerūt.

DISPVTATIO VI.

Vbi creati sint Angeli.



Onueniunt Sancti Patres, & scolastici omnes, creatos esse Angelos in cœlo empireo, ita Strabus, & Beda communiter relati, tamquam primi auctores cœli empirei Alcuinus, Basil. hom. 2. in Hexam. Rabanus, Lyranus, Tostadus, Hugo de Sancto Victore. Magister cum scola in hac d. 2 & communiter recentiores. Ab hoc tamen uniuersali catalogo expungendum moneo, pręter Caietanum, qui negat empireum cœlum, Rupertum Abbatē, qui libro primo de Trinitate, & eius operibus, cap. 11. scribit hæc uerba, Numquid putamus, quod de cęlo facti fuerint Angeli, & non potius hic facti, & postea in cœlum translati. Nempe nō magis Angeli facti sunt in cęlo, quam homo plasmatus in paradiso. Plasmatus namque fuit homo extra paradisum, & positus in paradiso, sicut scriptum est Plantauerat autem Dominus Deus paradisum uoluptatis, in quo posuit hominem, quem formauerat. Ita nimirum, & Angeli extra paradisum conditi, & in cælum translati, nō

natura,

natura, sed gratia, cælum inhabitant. De cælo namque nemo uenit, nisi qui super omnes est. Hæc ille, sed a communi doctrina nullo modo recedendum est. oppositam enim merito Paulus Gryfaldus in decisionibus uerbo Angelus numero undecimo uocat temerariam.

DISPVTATIO VII.

De Cælo Empyreo.

SECTIO I.

Vtrum detur Cælum Empyreum.

CAietanus empirei cœli hæreditatem nobis eripere conatus est. is enim in illud 2. Cor. 12. Raptus usq; ad tertium cœlum, negat empyreum cœlum reppeciri, Hoc autem conatur pluribus nobis persuadere, sed potissimum his argumentis.

Primò, in sacris litteris, nullibi fit mentio empyrei cœli, ergo. Secundo, quia potius sacræ litteræ contradicunt. Ἐμπυρον. n. Græce, vnde Ἐμπύριον ignitum significat unde constat, quod ἀπὸ τοῦ πυρὸς dicitur, hoc est ab igne; At in scripturis cœlum dicitur ab aquis Hebraice enim dicitur שמים, At hebraice מים aquas significat. *Empyreum cœlum unde dicatur.*

Eugubinus in sua Cosmopœia, tractans illa uerba, In principio creauit Deus cœlum, & terram, triplex partitur cœlum, primo in id, quòd est sedes Dei, 2. in sydereum, 3. in ęreum, & illud primum dicit esse empyreum, sed dicit, illud esse æternum, & increatum; Atque ideo hęreticæ opinionis notatur a Catharino, in Gen. a Ludouico Molina disputat. 3. de opere sex dierum, a Floriano Nannio in Cathena argentea, in explicatione illius uocis, cœlum, & ab alijs recentioribus, dicentibus, esse contra fidem, quod aliquid extra Deum ponatur increatum, & æternum. *Eugubinus hæreticæ opinionis notatur.*

Verum pace tantorum uirorum dictum sit, non uidentur percepisse, quæ docuit Eugubinus. Is enim docuit quidem; cœlum empireum increatum esse, & æternum, sed cœlum empireum, docet esse ipsam diuinam claritatem, quæ uere non est extra Deum, sed Deus ipse, ideo tantæ infamiæ nota pungi non debuit. Eius uerba hæc sunt. Est enim cœlum empireum claritas diuina, quam semper fuisse cum Deo, necesse est. Et in opusculo de rebus incorporeis, & inuisibilibus, de hoc cœlo loquitur, ut ostendat, non fuisse ante mundum uisibile cœlum, quia si fuisset illud ante hoc *Eugubinus ab hæreticæ opinionis nota uendicatur.*

nostrum,

nostrum, non fuisset factum in principio, proinde, si est debere esse immortale, immortales habés ciues, ac propterea increatum, & alludit ad uerba Basilij, qui hom.1.in Hexam.ita loquitur. Erat sane status quidam mundi generatione uetustior, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum, ac sempiternus; hoc est nulli umquã subiectus corruptioni, ac destructioni, de quo supra locuti sumus in disputatione præcedenti, in explicatione sententiæ Basilij. Quare fatendum quidem est, Eugubinum male explicasse cœlum Empyreum, pro ipsa claritate diuina, eius tamen mens ab hæreticæ opinionis labe remotissima fuit.

Contraria tamen sententia est omnium aliorum, qui Empireum cœlum admittunt & ad illius possessionem anhælant, Strabus, Beda, Alcuinus, Lyranus, & alii supra citati, & communiter Neoterici doctores.

Cœlum Empyreum naturali ratione cognosci non posse.

Prima conclusio Lumine naturali Empyreum cœlum non potest certo, & demonstratiue probari, probatur conclusio unico argumento. Quia numerus cęlorum, orbiumq; distinctio nõ alias nobis innotescere potest, quam per motum astrorum, uel orbiũ, uel ex aliqua necessaria illatione, ex motu desumpta; sed hac ratio ne cœlum empyreum demonstrari non potest, ergo: Minor patet; suppono enim ex ijs, quæ traduntur a doctoribus quæ nos inferius ponemus, cœlum empireum non moueri, nec lumen eius a nobis percipi posse. Maior probatur quia fundamentũ astrologorum sunt τὰ φαινόμενα, & obseruationes motuum, tum orbiũ, tum astrorum, Tum quia non alia ratione distinctionem octauæ sphęrę, & reliquarum septem inferiorum (si ipsis credimus) deprehenderunt; Id ipsum dicendum est, de distinctione orbium, in excentricos, concentricos, & epicyclos; quæ hac solum de causa excogitata sunt, ut saluari possent phænomena, & apparentiæ; Dixi in maiore, uel ex necessaria aliqua illatione, Quia hac ratione excogitarunt pręter motus orbium ab oriente, in occidens, & e contra ab occidente in oriens quendam alium motum, quem uocant titubationis, uel trepidationis; sed pręterea, quia hac ratione firmissime probatur, admittendum esse primum mobile, quod est nonum cœlum; licet enim omnino careat astris, tamen ex motu dignoscitur. Cum enim septem planetarum orbes, & et octauum cœlum, quod stellatum cœlum, seu firmamentum dicitur, uiderent ab occidente in oriens, inęqualibus tamen motibus cieri, E contra quotidie eosdem cœlos conspicerent ab oriente spatio quatuor, & uiginti horarum ferri in occidens. Motum raptus, ac nonum cœlum, quod primum mobile dixerunt, excogitarunt. Sublato ergo motu, omnis ratio distinctionis, uel multiplicationis orbium est sublata. Cum ergo motu careat cœlum Empireum, ideo naturaliter demonstrari non potest.

Quæ sit uera uia de orbiũ constitutione disputandi.

Motus trepidationis in cælo.

Motus raptus.

Obiicit tamen Petrus Cardinalis Aliacen. in quæst. 3. in sphęram Ioan. de sacro busto, posse ex eo cognosci, quod corporibus debe-

debetur locus, oportet igitur ut.8.sphæra, quam supremum cęlum arbitrabantur antiqui, sit in loco, non erit autem in loco nisi superponatur aliud corpus scilicet Empyreum cœlum, Quid si quis retorqueret argumentum & diceret, supra cœlum Empyreum, est ne alia sphęra, nec ne? si est, quęro, an supra illam, sit alia, nec ne?& si semper supra quamcumque sphęram, aderit alia circumambiens, dabitur processus in infinitum; si non aderit, Ergo tandem ad unam detinenietur, quæ cum non habeat aliam superiorē, non erit in loco; ipse respondebit ex Aristotele, locum requiri propter motum, cœlum autem Empyreū motu carere, ideo nil mirum, si non sit in loco, omnes autem cęlestes sphęrę infra cœlum Empyreum, cum concitatissimo motu ferantur, necessario debēt esse in loco. Sed cōsideremus placita phylosophorum de loco octauę sphęrę, & uidebimus, an naturaliter possit demonstrari. Aristoteles, & uniuersa Peripateticorū scola, aperte negat esse in loco, Alii conantes locum assignare supremę sphęrę, dixerunt esse in loco per partes, alii rōne corporis contenti, Alii rōne centri. Si ergo nulli umquā philosophorum hoc uenit in mentem, Cur dicemus, naturaliter posse cognosci?

Secunda conclusio, Propter patrum auctoritatem, omnino admittendum est cœlum empyreum; Aliqui putant hanc veritatem esse Apostolicam traditionem, quod etiam apud me certissimum est, quia in epistola secunda Sancti Anacleti post Sāctum Petrum Papæ IIII. quæ legitur in primo tomo Conciliorum, habentur hæc verba. Dominus ex cælesti aula, ac empireo domicilio &c. Hæc conclusio satis ex relatis Patrum testimonijs probata sit. Cœlum Empyreum dari est traditio Apostolica.

Ad argumenta Caietani. Ad primum Respondeo non sine ratione admitti, quod propter auctoritatem Patrum admittitur, etiam si in sacris litteris non habeatur expressum.

Ad secundum Respondeo, Ex Francisco Georgio in sua harmonia mundi Cantico 3.tono.8.cōcētu. 2. Empyreum cęlum dici ab igne, non propter naturam ignis, sed propter splendorem, quod etiam puto uoluisse Magistrū, cum dicit empyreum dici, nō ab exarsione, sed a fulgore. Siue ergo hebraicę deriuetur ab aquis, siue non, parum refert. Sol enim licet sit pars cœli, eiusdemque forte naturæ cum cęlo, quare si cęlum sit aqueę naturæ, etiam Sol naturæ aqueę erit, & tamen fulgentissime splendescit, & dicitur naturæ igneæ ex lumine, ita etiam empyreum ab igneo splendore denominabitur. Empyreum cœlum quomō ab igne denominatur.



SECTIO III.

Vtrum cœlum empyreum sit illud, cuius creationem Moyses descripsit, Genesis primo.

Beda Strabus, Alcuinus, Rabanus, Tostadus, Lyranus, Cattarinus, Florianus Nannius, in Genesi primo. Ludouicus Molina disputat. 2. de opere sex dierum. Gregorius Valentia q. 2. de creaturis corporalibus puncto primo, putant nomine cœli Gen. 1. intelligi cœlum empireum.

Fundamenta huius sententiæ præcipua sunt, primo auctoritas Clementis Romani; libro primo recognitionum, qui dicit. Quod cum fecisset Deus cælum, & terram, quasi domum unam, aqua quæ erat intra medium, in medio primo illius cœli, terræque spatio, quasi gelu concreta, & christallo solida distenditur, & huiusmodi firmamento; uelut, intercluduntur media cœli, terræque spatia.

Secundo, Quia hac de causa cœlos putant dici Hebraicè שמים ab aquis. Et forte hac de causa, licet uox Hebrea sciamaim pluralis sit, tamen Latinę redditum est cœlum in singulari.

Contraria sententia est communior apud Sanctos Patres Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Basilium Nazianzenum, Cirillum. Quæ sententia uerissima est.

Conclusio decisiua. Nomine cœli Geneseos primo non intelligitur cœlum Empyreum, excludendo cœlum uisibile. Primo ex alijs locis scripturæ, in quibus fit mentio de cœlo, & terra, semper intelligitur cœlum uisibile. Ps. 71. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, Ipsi peribunt, Cum ergo cœlum Empyreum numquam sit interiturum, non potest intelligi in hac auctoritate. Gen. 2. Igitur perfecti sunt cœli, & terra, ponuntur cœli in plurali, & alibi sæpius longum enim, & odiosum esset singula scripturæ loca referre, in quibus simul iunguntur cœlum, & terra tamquam a Domino facta, in quibus constat cœlum uisibile debere intelligi.

Secundò si nomine cœli, intelligitur tantum cęlum Empyreũ, excludendo alios cœlos uisibiles, tunc sequitur, quòd uisibile cœlum formaliter creatum non sit. quare hæc propositio, Deus creauit cœlum uisibile, erit falsa, at hoc est hæreticum, ergo sequela maioris probatur quia ipsi dicentes, nomine cœli intelligi tantum cœlum Empyreum, dicunt deinde, uisibile cœlum explicari nomine firmamenti, & dicunt ex aquis esse factum, ideo dici שמים, quòd ex aquis, ueluti ex materia factum sit, Minor probatur, quia in scripturis uisibile cęlum dicitur creatum, ideo Deus uocatur

uocatur creator cœli.Es.65. Ego Deus creo cœlos nouos. Coloss. primo. In ipso creata sunt omnia, siue quæ in cœlis, Ecclesiastici primo: Vnus est altissimus creator omnium.cap. 20. Creator omnium; Psalm. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Quo loco utuntur patres ad probandum, tum filium, tum spiritum Sanctū esse Deos, quia crearunt cęlos, per cœlos autē in plurali non intelligitur empircū, quod unū est 2. Macab. 7. Peto nate, ut aspicias cęlum, & terram, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus. Adde in Simbolo Apostolorum dicitur: Creator cœli, & terræ, & explicatur de cœlo uisibili a Catechismo, & forte in Simbolo Niceno, dum dicitur, Cœli, & terræ, & statim uisibilium &c. Et certe intollerabile uideretur, quòd cum primus articulus fidei sit, quod Deus sit creator cœli, & terræ, & hic articulus desumptus sit ex Geneseos primo capite, quod numquam fuisset, usque ad nostra tempora in Ecclesia explicatio huius articuli. Quia numquam Ecclesia hoc determinauit, & ualde mirabile esset, quod neque Apostoli, neque Patres hoc explicassent. s. nomine cęli, nō intelligi celū uisibile, sed aliud superius, quod empyreum dicitur. Quare tot seculis latuisset Ecclesiam uerus sensus litteralis a Spiritu sancto intentus, primi articuli fidei nostræ. Et quod grauius esset, quod etiam usque ad nostra tempora esset indeterminatū, quid credere deberemus in hoc articulo. Quare Caietanus negās cęlum empyreum, consequenter negat, Deum esse creatorem huius cęli, sequitur, ergo quod hac tantum de causa damnaretur, quia negasset ueritatem articuli primi fidei propter hoc cælum empyreum, quod est intollerabile. Nec dicas, plurima alia sunt in sacris litteris, quorum litteralis sensus hucusque indeterminatus est, forte etiam adhuc est incognitus, uel saltem controuersus est inter doctores. Hoc enim libenter concedo quidem: ita tamen, ut moneam, illa loca scripturæ non esse illa, quæ sunt articuli fidei. Lege Catechismum in explicatione primi articuli de mente sacri Concilij Tridentini editum.

Tertiò, quia ut supra dixi in disputatione 4. sectione prima. Intentum Mosis fuit, tradere populo auctorem rerū, quas uidebant, & quorum pulcritudine adeo alliciebantur, ut in ipsarum rerum adorationem prolaberentur, ut ab idolatriæ cultu eos auocaret. Nisi ergo cōstituisset ijs, quòd cęlum esset creatura, adorassent facilius Solem, quam uitulum aureum. Debuit ergo eis indicasse creatorem cęli uisibilis, lege Benedictum Pererr. acutissime in lib. suo in Gen. hæc prosequentem. Et certe, ut dicitur Eugubinus in Cosmopœia in hunc locum, uerisimile non est, Mosen rerum uisibilium, & corruptibilium origenes describentem, ab inuisibilibus incohasse sermonem, & cum reliqua historia sit naturalis, & physica, principium esse Theologicum esset enim humano capiti ceruicem iūgere equinam. Videor mihi hic iure optimo. Sancti Ioannis Chrisostomi sententiam usurpare posse, qui hom. in

Intētio Mosis in libro Geneseos.

Psalm.8. ibi. Quoniam uidebo cęlos tuos, dicit scripturam non explicasse creationem Angelorum, & subdit Paulus etiam ingrediens, & concionans, ducit exordium a creatura, quę uidetur dicens, Deus, qui fecit cælum, & terram, si.n. dixero, Deum fecisse Cherubim, duo mihi erunt probanda, & quod sint Cherubim, & quod ea fecit Deus. Idem de Mose dici posset, si intellexisset de cęlo empyreo, duo sibi probanda supererant, & quod cęlum empyreum esset, & quod a Deo creatum esset.

Secunda conclusio. Cœlum empyreum est creatum a Deo. Huius tamen Moses creationem non descripsit; prima pars conclusionis est de fide, quia cœlum empyreum est reale cęlum a Deo distinctum, sicuti aliæ creaturæ, & non est sola Dei claritas, ut dicebat Eugubinus. Secunda pars conclusionis probatur ex ijs, quæ diximus supra, cum explicaremus causas, cur Moses non scripserit creationem Angelorum eadem enim quoad hoc est Angelorum, & huius cęli ratio. Potest tamen intelligi etiam illud cælum, sed non exclusiue quoad alios, ita ut ad litteram intelligatur omne cęlum, siue uisibile, siue inuisibile. Hoc ornatissime expressit Gulielmus ille Parisien. in prima parte primæ partis de uniuerso, cap. 35. dicens: Cęlum illud prius creandum fuit inter cœlos, & locus ille primo creandus inter loca, Mundus enim est uelut domus regia, habens omnes sibi congruentes officinas, in domo autem regia principalis uisio, aula est, seu palatium, & propter hoc primo ędificanda, deinde aliæ officinæ. Primo, ergo creatum fuit quantum ordine naturæ, ita sentit Hieronymus Vielmius, lectione 3. in Genesim.


Ad argumenta primæ sententię, ad primum respondeo, locum illum D. Petri explicari cõmuniter de media aeris regione, quę distinguit cęlum superius ab inferioribus: ab alijs explicatur de toto spatij tractu, qui intercipitur a terra, usque ad cęlestia corpora, quę explicationes bonæ sunt, sed non est huius loci ista fuse explicare.

Ad secundum, Respondeo sicuti Deus creauit aquas, ita creare potuit cœlos aqueos, sicuti si crearet hominem, crearet illum carneum, ita ab aquis cęli denominari possunt.

SECTIO IIII.

Quid, & quale sit cælum empyreum.

Cœlum empyreum nobilissimum.



Vlielmus Parisien. ea, qua solet suauitate sermonis, sic elegãter describit cœlum empyreum. Est cœlum empyreum, uelut amictus splendoris totius mundi, & uelut tectum pulchritudinis, præclari palatij Dei, ac dominatoris omnium seculorum, uelut operimentum speciosissimum templi ipsius, quod utique totus mũdus est,

est, & est habitaculum gloriæ ipsius penetrale, ac intimum, quia quod extimum est in mundo, hoc est intimum, ac nobilissimum in eodem,& alia comparatione,velut sacrarium est in eodem templo, quod est mundus. Sacrarium dico continens, & recipiens, quæcumque in toto uniuerso sancta, uel sacra sunt, & dignitate tam nobilis habitaculi digna,& ipsum est cœlum,quòd cælat & continet omnia, tam uisibilia, quam inuisibilia, & propter hoc potissimum cœli nomine dignissimum. Hæc ille.

Colliguntur etiam hæ proprietates ex Strabo, Beda, & alijs supra citatis.

Primò, Quod sit supremum.

Secundò, Quod contineat omnia.

Tertiò, Quod sit immobile, & immutabile.

Quartò, Quod æuo mensuretur.

Quintò, Quod sit splendidissimũ splendore tñ graui, qualis est claritas beatorũ,nõ qualis est materialis lux solis, effundẽs radios.

Sextò,Quod distinctę materię sit,a materia horum inferiorum.

Septimò, Quod astris careat.

Octauò, Quod dierum, noctiumque uicissitudines non experiatur.

Nonò, Quod sit beatorum sedes.

Decimò,Quod denique ijs dotibus,ijsque delicijs scateat,quales decet statum illum omnium bonorum aggregatione perfectissimum, sed dubium est inter doctores, an sit solidum an uero fluidum.

SECTIO V.

Vtrum cœlum empyreum sit corpus, solidum, an fluxibile.



Espondeo,hoc ego nescio.Moyses non scripsit,Christus non docuit, Deus non reuelauit, Angelus non explicauit, beatus non retulit, Theologus non cognoscit,philosophus non demostrat.

Et tamen ualde probabile, esse corpus fluxibile accedens, sicut aer, ut inseruiat motui locali beatorum maxime post resurrectionem, ac locutioni ipsorum.

Item ne detur perpetuą corporum penetratio;Tamen hæ rationes solum probabiles sunt, ac congruentes, non autem necessariæ.Quare si quis uellet,posset oppositam sententiam tueri,dicẽs, beatorum corpora incorruptibilia, non egere inspiratione, uel respiratione, neque enim indigent cordis refrigeratione, cum actiones elementorum contemperatissimæ sint in corporibus gloriosis. Neque propter localem motum indigent beati fluido

medio, cum propter admirabilem agilitatis dotem omnia penetrare possint. Quod si corpus potest aliud corpus penetrare, multo magis uox diffundi, atque obaudiri poterit. Poterit igitur, & hæc sententia defendi, probabilior tamen mihi uidetur prima.

SECTIO VI.

Vtrum cælum empyreum aliquam habeat influentiam in hæc inferiora.



Idetur aliquam habere influentiam probatur primo. Cęlum empyreum est nobilissimum, & præstantissimum, sed nisi influeret, non esset nobilissimum, & quoad hoc nobilitate vinceretur ab aliis cęlis inferioribus, quia influūt, ergo. Secūdo inductione patet.n. quo aliquod corpus est nobilius, eo & nobiliorem operationē habere. Imo nobilitas corporis naturalis, ex nobilitate desumitur operationis, sed cęlum empyreum est nobilissimum, ergo.

E contra uidetur non influere, nam omnis influentia cęli est per motum, & lumen, at cęlum empyreum non mouetur, & licet sit lucidissimum, lux tamen eius non est radians, qualis est lux solis, sed est lux quædam grauis in seipsam effulgēs; Quo ad hoc fuit duplex sententia.

Prima sententia est dicentium cęlum empyreum nullam plane habere in hæc inferiora influentiam, quia, nec propter hæc inferiora est factum, sed tantum habere influentiam in beatos, propter quos est factum, & ad quos ordinatum est, ut eos contineat ipsis luceat, ipsis quiescat, &c. In ordine uero ad Angelos, etiam influat, quia eos locat, licet non ita proprie, ut corpora, & licet naturaliter non influat, saltem quatenus est ordinatū a Deo, ut sit locus, in quo Deus gloriam suam beatis manifestat; hanc probabilem putarunt Diuus Thomas hic quæstione secunda, artic. 3. & quodlib 6. quæstio. 11. Alen. quæstio. 47. in principio. Et ex hac sententia solui possunt argumenta supra allata.

Ad duo argumenta primæ sententiæ simul, Respondeo cęlum empireum esse nobilissimū, & nobilissimas habere affectiones, & proprietates, & hac de causa influere in beatos, quæ nobilior erit influentia, quam si influat in hæc inferiora.

Secunda sententia est Diui Thomæ prima parte, questio. 66. articulo 3. ad secundum, qui sententiam mutauit, ut ibi aduertit Caietanus, qui dicit tenendum esse quod hic dicit D. Thomas Ric. distinctione secunda, quæst. 3. Durand. quæst. 2. Egid. quæst. 2. arti. 4. Floriani Nannij in cath. argentea in Gen. in quam propendet D. Thomas 2. distinctio secunda, quæst. secunda dicit habere influen-

influentiam,& quidem nobilissimam,quæ disponat ad susceptionem animæ rationalis, Cum enim triplex sit animæ gradus,uegetatiuus,sensitiuus, & rationalis. Cęlum stellatum agit ad dispositionem susceptionis uegetatiui, cęlum christalinum ad susceptionem sensibilis, cælum uero empyreum ad susceptionem rationalis. Varię cælorum influentiæ.

Quare ad argumenta contra influentiam dicent, cęlum empireum,uel influere ad moderationem aliorum cęlorum inferiorum, quæ continet, uel etiam in hæc inferiora per lumen occultum, sicut stellarum lumen occulte penetrat intimas terræ uisceras,& influit ad generationem mineralium, seu fossilium.

Placet mihi maxime quòd dicit Bonauétura loco citato, solum Deum nosse, quod, & quantum uirtutis illi tribuerit, nec posse influentiam, uel non influentiam illius cęli conuinci, uel per uiolentiam auctoritatis, vel per efficaciam rationis; Illud tamen dico uix posse auctores secundæ sententiæ explicare, quænam,& qualis sit illa influentia, quæ cooperetur ad susceptionem rationalis animæ. Quare utraque sententia probabiliter potest sustineri. sed prima est probabilior.

SECTIO VII.

Quare excogitatum sit cælum empyreum.



Varię huius rei rationes afferri solét. Prima est illa,propter quam Strabus, & Beda in glossa ordinaria in illud Genesis primo. In principio, &c. quia Angeli dicuntur facti in cęlo empyreo. Firmamétum autem legitur secunda die esse factú,ergo supra firmamentum debuit esse aliud cælum, in quo facti fuerint Angeli, hoc autem est, quod empyreum dicimus.

Secunda Basilij, ne, ut Manichei calumniabantur, diceremus Deum opus suum a tenebris incępisse, dicere debemus incępisse a lumine. creauit.n. cælum empireum luminosum,sed has rationes ostendit esse friuolas, Diuus Thomas prima parte quæst.66. articulo ter tio.

Tertia est,quam ibi explicat D.Thom.ut ab initio esset creatura, tam corporalis, quam spiritualis destinata ad gloriam, debuit etiam locus aliquis corporalis fieri beatorum corporibus excipiendis, hoc autem est empyreum. Tres etiam rationes affert Bonauen. hic,& sit.

Quarta propter perfectionem uniuersi. Cum enim in uniuerso detur cęlum difforme propter astra, in ipso existentia debuit

etiam

etiam dari aliquòd cœlum uniforme sine astris, hoc autem est empyreum, sed huic rationi obijci potest, illud cœlum dari quidem, non tamen esse cœlum empyreum, sed primum mobile; sed responderi potest, debere dari cœlum uniforme quiescens, & luminosum totum, cum detur cęlum, & difforme, & uniforme, sed non totum luminosum, nec quiescens.

Quinta propter motum omne enim mobile circa aliquod immobile mouetur, & cum omnia fere elementa circulariter moueãtur ad motum primi mobilis, sicut de Oceano etiam quidam referunt, tamen terra quiescit, & est circa immobile, ergo etiam oportebat, supra cœlum esse aliquod corpus immobile; ut ad locum moueri posset ultima sphæra. locus enim propter motum quæritur.

Sexta debet beatis assignari aliquis fælicitatis locus, bonorum omniũ aggregatione perfectus. Hoc autem est cęlum empyreum. Plures huiusmodi congruentes rationes assignari poterunt, nulla tamen necessaria, præter illas, quæ sanctorum auctoritatibus innitentur.




ECCE

ECCE OSTENSVM E S T.

DISTINCTIO III.

EXPONITVR INTENTIO MAGISTRI.



Eterminatis conditionibus extrinſecis creationis Angelorū, ſcilicet temporis, ac loci, in diſtinctione ſecunda. Hic incipit agere de conditionibus intrinſecis ſubſtantiæ ipſorum Angelorum, docetque quattuor in Angelis repperiri, ſcilicet perſonarum diſtinctionem: ſubſtantiæ ſimplicitatem: ſapientiam: & libertatem arbitrij. Quorum primum denotat numerum Angelorum; ſecundum ſubſtantiam; tertium formam; quartum poteſtatem. Primum eſt cauſa dubitandi de cæteris. An quemadmodum ſunt Angeli ſuppoſitali differentia diſtincti, ita etiam quoad ſubſtantiam, ſapientiam, ac liberum arbitrium diſtinguantur.

Docet ergo creatos esse Angelos differentes quo ad substantiam, quia unus est alio perfectior, subtilior, immaterialior, &c. Quo nobiliorem autem substantiæ dignitatem consecutus est Angelus, eo etiam nobiliorem, illustrioremque sapientiam, potestatem, atque arbitrij libertatem docet esse adeptum. Quo fit, ut quo ad naturalia, alij Angeli sint superiores, alij inferiores, Quoniam autem gratia supernaturalis data est Angelis, secundum proportionem, & mensuram naturalium; & in naturalibus unus est alio dignior, & perfectior: ita etiam dignior dignioribus, et perfectior perfectioribus gratia, ac sanctificatio data est. Ostendit præterea, Angelos non esse creatos a Deo malos, sed bonos, nec in eodem instanti, quo creati sunt peccasse, sed morulam quandam, inter creationem, & lapsum fuisse interceptam: soluitque obiectiones in contrarium, ita tamen, vt videatur docere, Angelos non esse creatos in gratia. Hæc Magister.

DI-

DISPVTATIO I.

SECTIO I.

Vtrum Angeli differant numero, & an sint in maximo numero.



Onet Cęlius Rodiginus lib.2.antiquarũ lectionum, cap.1. cum de numero Angelorum agimus, non de eo numero esse sermonem, qui discreta est quantitas, ex continui diuisione prouenions; sed numerus sumitur, quatenus est discreta quantitas, ex formarum sectione resultans, ut quæ substantiis distinguuntur, numero quoque differre dicantur. Sit ergo. Quid Angelorũ numerus.

Conclusio unica, Angeli inter se numero distinguũtur, & numerus eorum maximus est. prima pars conclusionis patebit ex probatione secundæ partis, si enim constet Angelos in maximo numero esse, constabit etiam, numerum inesse in Angelis. Quod autem Angeli sint in maximo numero probatur.

Primò ex scripturis Iob cap.25. Numquid est numerus militum eius (en nonum ἐπίθετον Angelorum) Psalm. 66. Currus Dei multiplex, millia lætantium &c. Daniel 7. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, alia lectio legit, decies millies, centena millia assistebant ei, Matt.4. Lucæ 8. Expulit Christus ab obsesso legionem dęmonum, quantus autem numerus sit legio, habebis in sectione sequenti. Matth.26. An putas quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum. Lucæ 2. Facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus. Heb.12. Accessistis ad montem Dei, & ad cælestem Hierusalem, & multorum millium Angelorum frequentiam. Apoc.5. Audiui uocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium. In scripturis leguntur exercitus Angelorum, Apoc.9. & 19 Ideo Deus, Deus Sabaoth dicitur, hoc est exercituum. Sunt autem exercitus numerosissimi Apocalip.9. Et erat equestris exercitus uicies millies, dena millia, Apoc.19. Exercitus, qui sunt in cęlo sequebantur eum in equis albis. Quod si equestris ordinis, tam multi describuntur Angeli, pedites, quorũ semper in exercitibus copiosior pars esse solet, quot nam erunt? Quid igitur mirum, si prælia multa legantur in cælis, ubi militiæ princeps Michael fortitudine, ac rerum strenue gestarum magnitudine, reportatisque de triumphato hoste uictoriis clarus habetur? Hinc colligere poteris, quam atrox fuerit illud bellum, quòd Apoc.12. describitur, dũ dicitur, factum est prælium magnum in cælo, in quo uniuersæ Angelorũ, tam bonorum, quã malorum phalanges in aciem prodeuntes, summo uirium conatu digladiatę sunt.

Secundò probatur rationibus, Quarum prima ea fit, quæ in sanctorum patrum testimoniis fundatur, quos uidere poteris in distinctione 11. disputatione secunda, qui dicunt, singulis hominibus, singulos Angelos custodes designatos esse. Alii uero duos assignant, alterum bonum ad tutelam, alterum malum ad impugnationem. Si ergo tam multi sunt homines, quot nam erunt Angeli? neque enim credere fas est, omnes plane Angelos, hominum custodiis esse destinatos. Adde, & illud, Angelos hominum tutelares, ex infimo tantū ordine desumi. Si ergo tanta est Angelorum infimi ordinis numerositas, quid de aliis ordinibus dicendum erit? Quod si illud quoque addamus, non solis hominibus, sed singulis etiam regnis, Monarchiis, Prouinciis, Potentatibus, Vrbibus, atque Ecclesiis præpositos esse Angelos; sicuti in prædicta distinctione ostendemus, in infinitum excrescet Angelorum numerus. Mitto hic testimonia Patrum, sufficiunt enim scripturæ loca iam adducta, in quorum explicatione Sanctos Patres, si libuerit, consulito.


Tertiò probatur ratione Diui Thomæ prima parte quæstio. 50. articulo 3. Quo aliquid est nobilius, eo etiam in copiosiore numero a Deo producitur, Angeli sunt substantiæ perfectissimæ, ergo minor est euidens, maior probatur exemplo. Quia enim cęli nobiliores sunt elementis, ideo plures cęli, quam elementa producti sunt. Sed tamen alii hanc maiorem propositionem negant, Quam ut tueantur Thomistæ, ut Banes, Caietanus, Ferarr. dicunt non intelligi de indiuiduis sub eadem specie, hæc enim maxime in uilioribus multiplicantur, ut patet in muscis, & cyniphicibus, & cynomiis, in granis arenæ &c. sed intelligi debere de iis, quæ specie ab inuicem distinguuntur, in iis enim maior perfectio cernitur, quia indiuidua per accidens intendi putant, ad conseruationem speciei tantū, quod indicauit Aristoteles secundo de anima tex. 36. Theodoretus epithome diu. decret. cap. de Angelis, ut quod in indiuiduo conseruari non potest, conseruetur in specie. Reuera illa propositio difficile defenditur, sed tamen probabilis est ualde, Cum enim causa creationis sit sola Dei bonitas, quæ se communicare creaturis intendit; quo maius erit bonum creaturarum, eo etiam magis se ipsa diffundet, cum autem Angeli sint nobilissimi creaturarum, ideo probabile est, in maximo numero esse productos.

Quartò, Quia Deus uniuersum mundum regit ministerio Angelorum, mundus autem in se ipso, infinita plane continet, quæ eximia cura, ac prouidētia egent, maxime quæ ad hominum statū spectant, ideo probabilissimum est, Angelorum numerum hac de causa refertissimum esse debere.

SE-

SECTIO II.

Quot ſint Angeli.



FVit quorundam deliramentum ſtultitiæ pleniſſimũ quos refert D. Tho. ubi ſupra, dicentium, unicum tantum eſſe Angelum, dici tamen plures Angelos, ex pluralitate officiorum, quæ per ipſum Angelum fiebant.

Huic non abſimilis fuit ſententia Rabbi Moſis, quem referunt Alb. & D. Tho. dicentis, tot numero eſſe Angelos, quot orbes cęleſtes, & neque plures, neque pauciores, ſecutus in hoc Phorum ſententias, ad quorum mentem ſacrarum litterarum teſtimonia explic re tentabat, dicens, Quod ſi interdum in ſcripturis plures leguuntur Angeli, id fieri, quia in ſcripturis homines Angeli dicebantur.

Philoſophi uero cum ad circumuoluendos tantum orbes, intellegentias admitterent, tot præciſe intelligentias, quot orbes ponebant. Quare Ariſtoteles 12. met. cap. 7. per totum inueſtigat numerum orbium, & intelligentiarum, refertque ſententiam Eudoxi & Callippi, quorum alius plures, alius pauciores orbes admittebat, ipſe uero unicuique in ſua arte credendum docet, & ſe utroſque diligere, & ad hærere certioribus uelle. Philoſophorum deliramẽta de numero Angelorum.

Cælius Rodiginus libro ſecundo antiquarum lectionum cap. primo refert ſententiam quorundam gentilium, dicentium, tot eſſe Angelos, quot ſtellas, & alios ponentes fatum, plures dęmones ſtellarum miniſteria exequentes, fingebant.

Natalis Comes lib. primo Mithologiæ cap. 10. ſcribit, Heſiodum docuiſſe dæmonum eſſe triginta millia, Ar Iamblicum, Tris megeſtum, & Pſellum, plures poſuiſſe, quia cęlos & aera dęmonibus plena eſſe dicebant.

Bartholomęus, Caſſaneus 3. parte catalogi de gloria mundi, conſideratione. 6. Ioannes de Combis lib. 2. cap. 13. dicunt, Nouem ſunt ordines Angelorum, quilibet ordo habet ſuas legiones, legio continet ſex mille ſexcentas ſexaginta & ſex unitates. ideſt 6666. tot autem in ſingulis ordinibus ſunt legiones, quot in legione ſunt unitates. Quem autem numerum efficiunt omnes Angeli, ſi iuxta prædictam diſtributionem fiat ſupputatio, explicat Franciſcus Georgius in ſua armonia mundi, Cantico 3. tono. 8. concentu primo, dicens: Opinantur non nulli, ſe adinueniſſe numerum Angelorũ dicunt enim in quolibet choro, qui nouem ſunt, tot eſſe legiones, quot unitates legio ipſa compléctitur; quadrando numerum legionis. Legio autem continet ut aiunt ſex millia ſexcentas ſexaginta ſex; ita Riccardus de Sancto Victore lib. 4. de Trinit. cap. ultimo, qui numerus ſi quadretur, & ducatur in ipſum

reddit

reddit 44435556. & sunt quadraginta quattuor millia millium, & quadringenta, & triginta quinque millia quingenta & quinquaginta sex. Sed collecti ex omnibus nouem choris essent 399920004. qui sunt trecēta, & nonaginta nouē millia millium nōgenta uiginti millia, & quattuor. At Cornelius Iansenius prima parte concordiæ Euangelicæ, cap. 31. dicit. Legionis numerus est duodecim millium ducentorum & quinquaginta, id est 12250. non autem ut multi putant 6666. Nam legio in decem diuiditur cohortes; cohors uero, in quinquaginta manipulos; Manipulus in uiginti quinque milites. Ita etiam legionem diuisit Varro libr. 4. de lingua latina. At Paulus Manutius in additamentis ad Calepinum, legionem diuidit in triginta, & eo amplius centurias, secundum ordinem triariorum, principum, & hastatorum, exceptis uelitibus Quare incerta res mihi uidetur.

Numerus Angelorum secundum aliquos doctores quantus sit.

Legio quot unitates cōtineat.

Sanctus Dionisius Areopagita cap. 14. de diuinis nominibus dicit, Angelorum numerum excedere multitudinem, & uarietatem omnium rerum materialium. Quia tamen non explicat sese, an loquatur de numero specierum, an indiuiduorum, ideo uarie a doctoribus exponitur, D. Tho. exponit de speciebus, Durandus de indiuiduis, Charthus dicitur, consultius esse id Deo relinquere, quam temere aliquid, & inconsulte definire; quod etiam mihi placet. Probabiliorem tamen censeo sententiam D. Thom. Quia optime monet Caietanus adeo magnum esse numerum arenæ maris; ut coniunctæ cum numero indiuiduorum quæ sunt in aliis speciebus, uix uideantur, ab Angelorum numero posse superari.

Quomodo numerus Angelorum excedat numerum rerum naturalium.

Sanctus Athanasius q. 2. ad Anthiocum refert opinionem quorundam, dicentium, tot esse Angelos, quot homines, propter illud Deut. 32. Constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorū Israel. Septuaginta interpretes uerterunt iuxta numerum Angelorum Dei, quam lectionē ibi ipse sequitur, & Euseb. Cęsar. lib. 11. de præparatione Euangelica cap. 14. imo fere communiter Patres.

Idem ibid. refert sententiam aliorum, dicentium, Angelorum numerum esse nouagintanouem partibus maiorem, quam hominum, propter illam parabolam decem dragmarum, & pastoris, dimittentis nonagintanouē oues in deserto, ut quærat ouem perditam, cuius expositioni fauere uidentur Patres, Gregorius, Cyrillus, Chrisostomus, Ambrosius, Diues inquit pastor, cuius nos centesima ouis sumus. Quamuis autem Beatus Gregorius hom. 34. in Euangelia uideatur tanto huic Angelorum numero derogare, docens, tot homines esse saluandos, quot Angeli perstiterunt. Ex quo inferri posset, Angelos numero, multo inferiores esse numero hominum, si omnes, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt, simul accipiantur: quia constat saluandorum hominum numerum, minorem esse numero damnandorum. Si ergo tot homines saluan-

Quot homines sint saluandi.

saluantur, quot Angeli perstiterunt, aperte infertur homines saluandos simul cum reprobis sumptos, esse multo plures Angelis, ex Angelis enim tertia tantum pars corruit, ut docent Patres illud Apoc. 12. mistice explicantes. Draco cauda traxit tertiam partem stellarum, idest Angelorum, Tamen legatur idem Gregorius lib. 17. moralium cap. 7. ibi enim dicit, esse pęne infinitam Angelorum multitudinem, docens etiam, plures esse Angelos ministrantes assistentibus, quia de illis indefinite dicitur, Millia millium, De ijs uero dicitur, Decies millies centena millia.

D. Augustinus in Enchyridion. capit. 29. dicit, tot homines esse saluãdos quot Angeli perstiterunt, forte etiam plures, ne cœlestis illa Hierusalem tristetur de perditione malorum Angelorum; sed letetur de salute hominum.

Beata Brigida in suis reuelationibus, dicit Angelos in tanto numero esse, ut etiam si omnes homines præsentes, præteriti, & futuri in unum colligãtur, sit tamen decuplo maior numerus Angelorum. Ex quibus omnibus infertur hæc.

Conclusio certissima, & euidentissima. Quod, quantus sit Angelorum numerus, Deus nouit, qui illos fecit. Norunt forte, & ipsi Angeli, nobis autem penitus incertum est; constat tamen, numerum esse maximum, ac pene infinitum. Quot sint Angeli nobis omnino incertum.

DISPVTATIO II.

Vtrum in Angelis sit aliqua compositio.



Notandum est, plura esse compositionum genera.
Prima, Ex essentia, & esse.
Secunda, Ex natura, & supposito.
Tertia, Ex genere, & differentia.
Quarta, Ex substantia, & accidente.
Quinta, Ex actu, & potentia.
Sexta, Ex partibus integralibus.
Septima, Ex partibus homogenis, & heterogneis.
Octaua, Ex materia, & forma.

Prima Conclusio, In Angelis non est compositio ex materia horum inferiorum, & forma. Hæc conclusio est contra Auicebronem, in lib. fontis uitæ, ut citat D. Tho. p. p. articulo 2. & Cælius Rodiginus lib. 2. antiq. lect. cap. 5. probatur. In Angelis non est compositio ex materia & forma.

Primò, Quia in dist. 8. ostensum est Angelos esse incorporeos, quod autem constat ex materia horum inferiorum &c. est corporeum, ut patet ex Physicis, ergo.

Secundò, Angeli sunt substantiæ immortales, ut probabimus infra: at omne qui est compositum ex materia horum inferiorum quæ habet potentiam contradictionis est corruptibile, quia ut docuit

cuit Aristoteles primo Phys. materia amore & odio formarum est causa transmutationis, & corruptionis, & generationis. melius autem probabitur hæc conclusio in conclusione secunda.

Obiicies primo. Vbi sunt proprietates materiæ, ibi est materia, sed in Angelis sunt proprietates materiæ ergo. Maior est euidens, quia passiones sunt inseparabiles à subiecto, minor patet, quia proprietates materiæ sunt recipere, & substare, qđ est in Angelis qui recipiunt, & substãt saltẽ accidentibus, ergo consequentia patet. Quia Boetius lib. de Trinit. dicit, formam simplicem nullius rei posse esse subiectum; Angelus est subiectum, ergo non est forma simplex. Est argumentum Auicebronis, ut refert. D. Thom. supra Respondeo: Recipere sola accidentia, illisque substare, non est propria passio materiæ, sed conuenit cuicunque enti creato, nam etiam anima rationalis substat, & recipit accidentia. Id autem, qđ est proprium materiæ, est esse subiectum, ex quo inexistente fit aliquid per se primo, & non secundum accidens, ut ex ipsa formę substantiales educantur, & cum ipsa, tamquam comparte compositum efficiant.

Obiicies secundo in Angelis est ratio generis, & differentiæ sed genus desumitur ex materia, differentia ex forma, ergo Resp nego min. gradus. n. metaphysici, quales sunt genus, & differentiæ, non desumuntur ex materia, uel forma, sed ex ipso toto, à quo fit abstractio. Est tamen uerum, quod docuit Porphyrius, in libro prædicabilium, & ante ipsum Aristoteles, genus esse proportionatum materiæ & differentiam formæ, quia sicut differentia genus, ita forma limitat, determinat, & contrahit materiam.

Secunda Conclusio. In Angelis non est ulla compositio materiæ & formæ siue sit materia diuersæ rationis, siue eiusdem cum materia horum inferiorum. Hæc conclusio est cõtra Diuum Bonauenturã d. 3. arti. primo q. prima, Ricc. ibid. q. prima art. 2. & q. 2. arti. primo quam ante ipsum defenderat Alensis 2. p. summæ, q. 20. in 2. arti. secundo in quam etiam pendet Alb. dist. 3. art. 4. probatur.

Primò, quia plurimi Patrum absolute loquuntur, dicentes, Angelos esse incorporeos, spirituales, immateriales, ergo ab omni plane materia debent esse seiuncti.

Secundò. Est de perfectione uniuersi, quod dentur aliquæ substantiæ intellectuales, omnino separatæ a materia ergo probatur antecedens, quia dantur substantiæ, quæ non abstrahunt a materia, nec re, nec ratione, ut formæ materiales, dantur aliæ abstrahentes rẽ, sed non ratione, ut anima rationalis, ergo debent dari aliæ abstrahentes, & re, & ratione, quę omnino sint immateriales; quæ Deo assimilentur in ratione effectus, ut dicit D. Tho.

Tertiò, Aristoteles posuit intelligentias, ab omni plane materia separatas.

Quartò, Anima rationalis est immortalis, & cõsequentur immaterialis,

materialis,& pure spiritualis,in clementina.de Trinitate, & fide Catholica, ubi definitur,eam esse posse spiritualem,& in Cōcilio Lateranensi, sub Leone X.sess.8. Sed Angelus est nobilior anima rationali, ergo.

Quod si diceres, animam rationalem habere etiam materiam spiritualem, sibi unitam, Contra, nam præterquam, quod esset contra eam Clementinam;tamen adhuc apparet,hoc esse falsum, quia tunc in anima esset duplex materia, scilicet materia spiritualis, sibi naturaliter unita, & materia nostri corporis, Cum autem anima cum materia efficiat compositum, ergo anima rationalis iam complete efficiens cum illa materia spirituali compositum, non appeteret materiam nostri corporis,imo nec cum ipsa posset efficere compositum,unum per se, sed efficeret ens per accidens. Ergo neque de Angelis dici id poterit.

Quintò, Si est materia in Angelis, vel est eadem materia omnium Angelorum,vel tot sunt materię,quot Angeli;primum esse non potest,quia tunc eadem materia esset eiusdē rationis in omnibus;quod autem diuiditur in partes eiusdem rationis,est quantum,& diuisio in partes homogeneas,est quantitatiua,& diuersę rationis,ergo differunt inter se genere,quomodo cœlum, & corruptibilia,differunt genere, si ergo genere differunt, quid conuenit ponere communem materiam?

Sextò, Angeli sunt substantiæ completæ; sed substantia completa non potest uniri materiæ,ita ut efficiat ens per se,quia ens completum,quod non habet intrinsecam potentiam ad aliud,išquam compartem,non efficit ens per se,sed per accidens.8.meta.18.

Septimò, Probatur ratione, D.Th.prima parte, quæstione.10. art.2.Non sunt attribuenda Angelis,nisi ea,quæ ipsorum Angelorum operationibus conueniunt, sed operatio propria Angelorum, quæ est intellectio, non eget corpore, ergo. maior est euidens, minor patet, quia ex Aristotele. intelligere nullius corporis est actus.

Obijces.Diuum Augustinum 12. Confessionum cap.20.& 21. dicere per terram inanem, quæ in principio fuit creata, intelligere materiam spiritualem Angelorum, Respondetur Diuum Augustinum de Angelis interdum docuisse cum Platonicis Angelos esse corporeos; licet etiam dicat sæpe non esse corporeos; quare etiam eandē explicans productionem posito, quod sint corporei,ponit materiam,ex qua sint facti.Atque ex hac secūda conclusione euidenter infertur hoc corrolarium,non esse in Angelis compositionē ex partibus, uel integralibus,uel homogenis, quia istæ omnes partes dependent à materia,& sunt corporeæ, & materiales,& quantæ,quales in Angelis esse non possunt. In Angelis non est compositio ex partibus integralibus.

Tertia conclusio. In Angelis est compositio ex genere,& dr̄ia, probatur. Quia Angeli reuera sunt in prædicamēto substantię,& quod est in prædicamento substantiæ hēt in se genus, quia sub eo

genere cōtinetur, & etiam differentiam, Quia de ratione generis est; ut contrahatur per differentias, ergo probo maiorē. Quia in Angelis sunt omnia, quæ requiruntur ad hoc, ut Angelus sit in prędicamento, omne enim ens, quod est ens finitū, reale, & per se siue primario, siue reductiue ponitur in prædicamento, ut patet ex tractantibus ipsa prædicta.

Quænā entia ponuntur in prædicamento.

Quarta conclusio. In Angelis est compositio ex substantia, & accidente, conclusio est certa. quia in Angelis plurima sunt accidentia, quæ abesse, & adesse, possunt, præter subiecti corruptionem. Verbi gratia intellectiones plurimæ uolitiones, species intelligibiles, sapientia bonitas, gratia habitualis, &c. Quæ omnia sunt accidentia.

Quinta conclusio, in Angelis est compositio ex actu, & potentia, conclusio ex dictis conclusionibus patet, nam hoc ipso, quod in eis est compositio ex genere, & differentia, & genus se habet quodammodo per modum materiæ, differentia per modum formæ, & actus determinantis; & præterea accidentia sunt actus actuantes, & perficientes substantiam ipsorum, ideo in ipsis est compositio ex actu, & potentia.


Sexta conclusio. In Angelis est compositio ex esse, & essentia, ex natura, & supposito. hæc conclusio uidetur esse cōtra Diuum Thomam, quia in prima parte, quæst. 3. art. 3. Videtur absolute dicere, in non habentibus materiam, idem esse naturam, & suppositum. Tamen reuera, ut explicat Banes, non est cōtra D. Thomam, imo maxime secundum doctrinam eiusdem, probatur conclusio, quoad primam partem.

Quia Angeli, sicut aliæ omnes res, essentiam suam habent a se, & ab intrinseco; Quod enim homo sit animal rationale, non habet a Deo, sed a se, quia fieri non potest, ut homo non sit homo, & animal rōnale, quia hæ sunt propositionis ęternæ ueritatis, At uero quod homo, & Angelus sit in rerum natura, habet a Deo, à quo est creatus, ergo distinguitur esse ab essentia in rebus omnibus creatis.

Quo ad secundam partem patet, quia suppositum est completa existentia in se ipso, & ipsum suppositum addit naturæ, & supra naturam modum existendi in se ipso perfecte.

Atque ex dictis patet, falsam esse Aristotelis doctrinam, qui intelligentias putabat esse actus puros. solus enim Deus est actus purus.


Angeli non sunt actus puri.



DI-

DISPVTATIO III.

Vtrum quilibet Angelus constituat propriam speciem.


Ensus quæstionis est, an Angeli inter se differant omnes specie, an uero plures Angeli, possint esse in unica specie solo numero differentes. Dixi solo numero differentes, nam certũ est, quòd si differant specie, erunt etiã numero differentes, quia sicut unitas numerica infert unitatem specificam, & specifica genericam; sic e contra distinctio generica infert distinctionem specificam, & specifica numericam. Sunt autem inter scolasticos tres sententiæ principales.

Prima sententia est D.Thom. prima parte quæst. 50. arti. 4. & 2. distin. 3. quæst. prima art. 4. secundo contra gentes cap. 93. & q. de spiritualibus creaturis articulo nono de ente, & essentia capitu. 5. quem sequuntur sui Thomistæ, Capreolus, Caietanus, Banes, Ferarr. qui dicunt esse impossibile, quod plures Angeli eiusdem speciei repperiantur animaduertit tamen Ferarr. secundo cõtra gentes, cap. 93. dici impossibile, non in ordine ad absolutam Dei potentiam, sed secundum communem modum, uel modos notos apud Philosophos, quibus naturæ multiplicantur numero in eadem specie. Marcus Antonius Zimara Theoremate 97. Hanc probabilem censet Laurentius Opimus 2. dist. secunda, quæstio. 1. Sanctus Antoninus 3. p. tit. 31. cap. 6. §. 1. dicit non posse duos Angelos repperiri, solo numero differentes. Ioan. Gerson lib. 6. sum. tract. de gaudiis paradisi. Eandem sententiam sequuntur Egidius quodlibeto. 2. quæst. 7. & 2. d 3. q. 2. art. 3. Argent. d. 3. quæst. 2. art. 2. Heruæus 2. dist. 3. quæst. 2. art. 2. Citatur etiam Tostadus Abulen. paradoxo 5. cap. 34. & q. 29. in cap. 21. Numerorum, licet isti non dicant, esse impossibile esse plures Angelos in eadem specie, tamen dicunt, hoc esse probabilius. Fundamenta huius sententiæ multa sunt.

Primum est, quod deducitur ex doctrina D.Th. qui putat principiũ indiuiduationis, & multiplicationis numericę esse materiã primam. Est autem argumentum huiusmodi. Principium. & ratio indiuiduationis, & diuisionis numericæ est à materia, est ipsamet materia, at in Angelis non est materia, quia sunt incorporei, ergo probatur maior, Tum quia, quod diuiditur in partes, est in potentia ad illas; hoc autem est materia; Tum quia forma abstracta est uniuersalis. Tum quia in sola materia, quæ est tota homogenea, est ratio partiũ, & diuisibilitatis in plures partes eiusdẽ generis. Distinctio autem, quæ est à forma est formalis, distinctio autem formalis distinguit species.

Secundum est ex testimonio apertissimo Aristotelis 12. met.

text. 49. ubi dicit: Quæcunque sunt unum specie, & plura numero, habent materiam; quod etiam dixerat, licet obscurius, in primo cœli text. 92. 93. & 94. quod aliud est cœlum, aliud hoc cœlum quia habet materiam, sed Angeli non habent materiam ergo.

Tertium ex D.Tho.2.contra gentes, cap.53. nobilior est essentia, quam existétia, ergo maior perfectio erit Angelis, si fiat multiplicatio ipsorum quo ad essentiam, quam quo ad existentiam, sed multiplicatio quoad essentiam facit distinctionem specificam, quia essentiæ sunt, sicut numeri, 8.meta.10. ergo cum Angelis sit concedenda perfectio nobilior, debent singuli differre specie.

Quartum, Ordo, qui est secundū species, est multo præstantior, quam ille, qui est penes indiuidua, ut patet discurrenti per ordinē uniuersi, potius enim indiuidua confusionem pariunt; sed ordo nobilior est Angelis tribuendus, ergo.

Quintum, Angeli sunt actus quidam simplices, & perfecti, ergo non sunt plurificabiles secundum indiuidua, consequentia patet ex Aristotele 6.met. 49. dicit enim actus est, qui distinguit, & & separat, at diuisio, quæ est per actus, est specifica, ergo.

Sextum, Quo unum quodque perfectius est, eo minus multiplicatur secundum indiuidua, sed Angeli sunt perfectissimi, ergo maior patet, nam cæli, quia perfectissimi non plurificantur numero, sed singuli a singulis specie differunt. Item non dantur duo Soles, duæ Lunæ, duæ Stellæ, Veneris, Mercurij, &c.

Plurificatio indiuiduorum in eadem specie est propter naturæ corruptibilitatem.

Septimum, Plurificatio indiuiduorum in eadem specie est propter imperfectionem. Aristoteles 2.de anima text.36. Naturalissimū inquit, uiuētibus est generare sibi simile, ut quoad fieri potest, participent esse diuinum scilicet æternum, ut.s.quod perpetuari nō potest in indiuiduo, perpetuo conseruetur in specie; ideo etiam Dominus, postquam formauit Adamum, dixit, non est bonum, hominem esse solum, faciamus &c. Sed Angeli sunt perfectissimi, & cum sint immortales, possunt in vnico indiuiduo eiusdem speciei conseruari ergo.

Octauum, Quo unumquodque. Deo uicinius est, eo minus multiplicatur in indiuiduis, sed Angeli sunt maxime Deo uicini, ergo maior patet, quia Deus est maxime unus, tum quia cœlum, quia sedes est Dei, non plurificatur nisi secundum speciem.

Nonum, Vbi dant̃ extrema, ibi propter summum ordinem, debet etiam dari medium, sed in creatura pure rationali dantur extrema, scilicet natura indiuidua, quæ pluribus personis inest, ut diuina, Et dantur duæ naturæ in unica persona, ut in Christo, ergo debet dari aliqua natura, quæ nō sit multiplex in natura, nec in persona, uel quæ secundum naturas, & personas plurificetur, hęc non potest esse, nisi Angelica ergo.

Vltimum, Probatur ex doctrina Sanctorum Patrum, maxime ex Dionis. Areop. de cælesti hierarch i. cap. 10. 12.13. dicit enim Ange-

Angelorum alios esse superiores, alios inferiores, & inferiores illuminari, purgari &c.a superioribus, superiores intelligere per species uniuersaliores, plura clare, ac distincte, per quas inferiores intelligere non possunt. Vno dicit non solum Angelos distinctarum hierarchiarum, & ordinum, differre inter sese, sed etiam inter ipsos ordines, quia etiam Seraphim clamabant, alter ad alterum Sanctus &c. ut legitur Esaię.cap.6.ergo.

Secunda sententia est dicentium Angelos omnes esse unius speciei infimæ hanc sententiam, ut probabiliorem sequitur Iulius Syrenius lib. 3.de Vnitate naturæ Angelicæ a capit.16.usque ad 22.quod ante ipsum docuerat, esse probabile Alb.secunda parte summæ q.8.& Gulielmus Parisiensis in secunda parte, secundæ partis de uniuerso cap.116.probatur autem hæc sententia.

Primò, Ex Patribus Sanctus Basilius lib.3. contra Ennomium, Omnes Angeli, inquit, sicut appellationem unam habent, ita etiã naturam omnino eandem habent;& infra. In Angelis secundum ordinem, & dignitatem diuersitas est; secundum naturam autem communitas,& societas, nam,& stella à stella differt in gloria, natura autem omnium stellarum una est, & hoc exemplo utitur, ad probandam consubstantialitatem personarum in trinitate & in oblonga illa Epistola apologetica ad Cæsarienses, quæ est. 141. paulo ante medium, habet hæc uerba. Comparationem in ijs, quę eiusdem naturæ sunt proprię fieri scio, Angelum enim Angelo comparamus &c.

Sanctus Athanasius q. 4.ad Antiochum dicit una, & eadem est essentia Angelorum, sicut etiam, una tantum est essentia hominum, & in compendio de Spiritusancto dicit Angeli quoque inter se generis ratione conueniunt, & cætera omnia cognata sunt,& eiusdem naturæ.

Sanctus Hieronymus apologia prima contra Ruffinum dicit sicut inter homines ordo dignitatum, pro laborum uarietate diuersus est, & tamen omnes homines sunt, ita etiam inter Angelos diuersa sunt merita, omnes tamen in Angelica dignitate persistunt.

Didimus lib. de Spiritusancto loquens de Angelis dicit. licet non omnes singillatim inuisibiles creaturæ missæ sint, tamen quia aliæ eiusdem ordinis, & honoris missę sunt; ideo quodammodo etiam possibilitate ipsæ missæ dicuntur eiusdem consortij, & honoris cum ijs, quæ missæ sunt.

Sanctus Gregorius Nyssenus libro de creatione hominis cap. 18. Si quisquam inquit nos forte coarctet, inquirens modum ipsum, quo potuissent animæ fieri, si homo nuptiarum opera non quæsiuisset, interrogemus.& nos, qui modus sit institutionis Angelicæ, quomodo in infinitis millibus, & in una subsistere probentur essentia?

Theodoretus epithome diuinorum Decretorum cap. de Angelis,

gelis, Immortali, inquit, naturæ superuacanea est generis diuisio: loquitur autem de Angelis.

Sanctus, Anselmus lib. primo, Cur Deus homo cap. 21. dicit etiam si omnes Angeli sint eiusdem naturæ, non tamen sunt eiusdem ordinis.

Sanctus, Dyonisius Areopagita cap. 11. Cælestis hierarchiæ dicit Angelos omnes in tribus conuenire, in essentia, in uirtute, & in operatione.

Sanctus, Gregorius hom. 34. In Euangelia ex professo uenatur distinctionem in Angelis; & tamen nullam explicat, nisi in operationibus, & ordinum diuersitate quod etiam omnes alii fecerunt quos citatos leges in dist. 10.

Sanctus, Bernardus lib. 5. de consideratione. Ad quid, inquit, cœlestium nomina innotuerunt? Quæ significata eorum? nulla ne inter illos spiritus, qui simpliciter Angeli, & eos, qui Angeli nuncupantur distantia? Hanc igitur quærēs Sanctus Bernardus nullam assignat, nisi penes officia, quibus ordines distinguntur.

Sanctus, Gregorius Nazianz. in carmine uirginitatis sub initium de Angelis ita canit.

His neque connubium, nec cura, ægrique dolores.
Non motus turbas miseras, in corde cientes,
Non etiam membris dirimuntur, & ædibus omnes.
Inter se miro iungit concordia nexu.
Idem quisque sibi. Natura est omnibus vna.
Vnaque mens, similique Dei rapiuntur Amore. & infra.
His mens, & simplex, natura est, atque corrupta. &c.

Sanctus, Damascenus lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 4. loquens de dæmonibus ait. Eiusdē igitur naturę cum Angelis existentes, mali facti sunt ex lectione & in lib. qui inscribitur primæ institutiones cap. primo dicit: Vniuscuiusque spiritus una natura est, ut omnium Angelorum una est natura, & omnium hominum, & omnium bouum; & in eodem libro cap. 7. dicit essentiam appello, ut animū, ut Angelum, ut dæmonem, horum enim unumquodque species est infima, & paucis interiectis, Hipostases sunt, Michael, Gabriel, & reliqui, species autem eos complectens, est natura Angelica, & paulo post. Intelligendum est igitur ea, quæ sola individua continent species infimas uocari, eiusmodi est Angelus homo, equus, canis; sed quæ auctoritatum omnium maxima est, Hæc sententia expresse habetur in Concilio Florentino.

Conciliū Florent. sess. 20. dicit Angeli omnes, ut appellationis unius, sic etiam eiusdem naturæ sunt inter se. Et infra. Quemadmodum Angelorum alius est princeps, alius subditus, & tamen omnes Angeli natura sunt, Et in dignitate quædam diuersitas, in natura uero communitas est.

Secundò probatur ratione Omnes Angeli conueniunt in nomine Angeli, ergo etiam in natura, maior est Dionisi. lib. de cæle-

sti

sti hierarch.cap.6.consequentia patet, nam nomina significant id quod per definitionem explicatur 4.met.11.

Tertiò, Opinio asserens Angelos omnes esse eiusdem speciei, est magis consona sacræ scripturæ, ergo antecedens patet nam Gen.18.Angeli, qui apparuerunt Abrahæ, quando tres uidit, & unum adorauit, apparuerunt in eadem specie humana ergo erant eiusdem speciei, & capit.19. de Angelis Loth. Psalm. 8. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, quod de Christo explicat Apostolus Heb.2.si autem omnes Angeli essent specie diuersi, & Christus esset inferior omnibus, nimis esset demissus, & imminutus Matt.18.Angeli eorum semper uident &c. ergo si custodiunt homines eiusdem speciei, debent, & ipsi esse eiusdem speciei. Huc accedit, quod in scripturis sæpe nominantur legiones, & exercitus & militiæ Angelorum, ergo debent constare ex eiusdem speciei spiritibus.

Tertia sententia est dicentium. In Angelis esse plures species, & sub singulis speciebus esse Angelos solo numero differentes, licet nonnulli apud D.Tho. prima parte q. 50. art. 4. quibus consentit, & Argentina dñt, probabile esse distingui specie eos, qui sunt in distinctis hierarchiis, communior tamen opinio est, eos saltem specie distingui qui sunt in distinctis ordinibus, ita Alex. Alen.2. p q. 20. membro 6. art. secundo Ricc.d.5.art.5.q.7. Scot.d.3.q.7. Marsil. q. 3. Sanctus Bonau. art.2.q.prima qui uidetur notare primam sententiam prosumptionis, Raimundus de sabunde, in Thesauro diuinarum considerationem cap. 219. Cœlius Rodiginus lib.2.antiquarum lectionum capit. 3. Iacobinus Bargius q. prima prologi §. Alioqui uidetur. Hanc probabilem censet Franciscus Suarez in comm. 3. p.q.prima disp.4.sectione prima Molina q.5. art.4.Io.de Baccone.2.d.11. q.prima art.2. Gregorius de Valentia disp.de substantia Angelorum quæst.prima puncto tertio, Henricus Gand, quodlibeto 11.q.prima.

Prima conclusio. Quælibet ex dictis sententiis defendi potest, absque fidei detrimento, & nulla notanda est, uel scandali uel temeritatis, uel periculi, uel erroris, probatur. *Quoad species Angelorum nihil est determinatũ de fide.*

Primò, Quia nec in scriptura, nec in determinationibus conciliorum, Pontificũ, uel in communi Sanctorum Patrum doctrina, aliquid habetur, ex quo possit aliqua ex dictis opinionibus damnari, & quælibet opinio habet pro se graues doctores ergo.

Secundò, Damasc.lib.2.de fide Orthodoxa cap.3.de Angelis loquens ait siue æquales secundum substantiam sint, siue ab inuicem discrimem sortiti, nescimus; solus autem, qui fecit ipsos Deus scit, qui omnia nouit.

Idem S. Augustinus lib. contra Pricillianistas cap. 11.dicit esse sedes, principatus, & potestates in cælestib.apparatib. firmissime credo & differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo me cõtemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint,

sint,& quid inter se differant,nescio,neque ea ignorantia periclitari me puto,sicut si Domini pręcepta neglexero: Idem docuit in Enchiridio. cap. 58. Quid inter se distent quattuor illa uocabula, de quibus Apostolus &c. Ego me ista ignorare confiteor, idem repetit lib. 12. de Gen. ad litteram, cap. 29. Quot,& quantæ singulorum generum sint differentiæ,ut in unoquoque aliud alio gradatim superetur, ignorare me fateor.

Deus potuisset unius speciei omnes Angelos creare.

Secunda conclusio. Deus potuisset plures Angelos eiusdem speciei creare,solo numero differentes. Hęc conclusio est contra Caietanum qui dixit,ne per potentiam quidem absolutam,posse esse plures Angelos, solo numero differentes, ita Caietano hanc sententiam tribuunt Banes, Valentia, & alij. Ego tamen nunquam talem sententiam in Caietano legi, probatur autem hæc conclusio.

Quia nulla plane apparet in hoc implicantia, & multo plura potest Deus facere,quam nos intelligere possimus.

Tertia conclusio. In Angelis sunt ponendæ plures species probatur.

Primò, In scripturis sæpe numerantur spiritus diuersis nominibus, tamquam inter se diuersi Ephes. 3. Vt innotescat principibus, & potestatibus, & alibi non est nobis colluctatio aduersus carnem,& sanguinem &c sed aduersus principatus,& potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Coloss. primo siue principatus, & potestates, siue Cherubim, siue Seraphim &c. In Cantico trium puerorum: Benedicite Angeli &c. deinde dicit. Benedicite omnes uirtutes Domini Domino, deinde spiritus ps. 148. laudate eum omnes uirtutes eius, & Psalmus 103. Daniel. 7. Millia millium ministrabant,&c.& decies millies centena millia Heb. primo. Nonne omnes administratorij spiritus sunt. Dan. 10. Princeps regni Persarum restitit &c. Tobię 12. Ego sum unus ex septem spiritibus,qui astamus ante conspectum Dei Apoc. 5. Angeli Archangeli &c.

Dices, hæc esse nomina ministeriorum, quibus applicati, uel destinati sunt Angeli. Sed contra natura hæc ministeria inter gratuita connumerantur, sed Angeli gratuita amiserunt per peccatum,& solum naturalia retinuerunt; Retinuerunt autem hæc nomina,ergo signum est,esse essentialia nomina,quæ scilicet secundum essentiam illis conueniunt: retinuisse autem hæc nomina, patet,nam inter diabolos numerantur uirtutes,potestates,principatus,&c.ut supra: Non est nobis collactatio aduersus principatus & potestates, sed contra spiritualia nequitię in cęlestibus.

Sed cōtra,Quia in Angelis constat alios esse superiores,alios inferiores,& alios in gratia pręstātiores, & sanctiores,ut Seraphim sic dictos ab æstuanti charitate, Cherubim ab excellentia ingenij &c. ergo. Etiam est differentia,quo ad essentialia,nam ut dicit. Magister 2. d. 2. gratuita sunt data Angelis secundum proportio-

nem

nem naturalium. Vnde patet, non posse hoc argumentum eludi, si quis dicat, ex superioribus nihil colligi, quia etiam in Ecclesia militanti, alij sunt Prophetæ, alij Apostoli, alii Doctores, & Pastores &c. & tamen homines omnes sunt eiusdem naturæ, nam hęc gratuita hominibus dãtur, prout spiritus Sanctus uult, & ex beneplacito Dei, qui non dat spiritum ad mensuram, Io. primo: Angelis aũt data sunt gratuita, ſm proportionẽ naturalium. Quare hæc differentia in gratuitis, infert differentiam pęnes essentialia.

Quarta conclusio, probabilius est, dari, etiam plures Angelos, solo numero differentes in singulis speciebus probatur.

Primò, Ex scripturis dicuntur enim Angeli milites. Iob. Nunquid est numerus militum eius, & Deus dicitur Deus Sabaoth, id est, exercituũ, & in iis dicit Archangelus ex distincto scilicet ordine esse princeps, militiæ eius Daniel. 10. & Apoc. 12. Michael, & Angeli eius præliabantur &c. ergo probabile est omnes exercitus unius esse speciei, solo numero differentes.

Angeli milites dicuntur.

Secundò, Tobię 12. Vnus ex septem qui astamus, ergo est idem munus gratuitum, ergo eadem natura. Es. 6. uolauit ad me unus de Seraphim, Christus Dominus apud Matt. 5. Luc. 8. interrogat, quòd nomen est tibi, & nõ dixit, ex qua essentia, uel natura es; nomina aũt imponũtur ad distinctionem, ubi est pluralitas numerica naturarum. Quare optime Sãctus Attalus Martir. dum in tormentis esset, & quæreretur ab ipso, quo nomine appellaretur Deus Christianorum, respondit. Qui plures sunt, nominibus distinguuntur, Qui unus est, non indiget nomine, Ita refert Euseb. Cesarien. lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3.

Aurea Sancti Attali de Dei nomine sententia.

Tertiò, Pluralitas indiuiduorum in eadem specie, est aliqua pfectio infra, & extra perfectionem naturæ, sed omnis perfectio est ponenda in Angelis, quæ non repugnat illis, ergo maior probatur, nam dicit aliquod ens illa distincta existentia, omne autem ens dicit perfectionem, ergo. Hoc unicum argumentum, est fundamentum Gregorij de Valentia, quod tamen facillime solue tur ab aduersariis, dicẽtibus hoc dicere imperfectionẽ, sicuti, licet rationalitas dicat in nobis perfectionum non tamen ponitur in Angelis, quia repugnat maiori perfectioni, quę in Angelis est intelligere sine discursu. Ideo corũ responsio hac instantia diluatur, quia in unica Dei natura est multiplicatio personarum, quæ perfectionem infinitam dicit.

Quartò, Animæ rationales sunt immateriales, & tamen sunt plures solo numero differentes, ergo. Nec ualet dicere, animas rationales plurificari numero, quia sunt formæ diuersorum corporum: licet enim illud uerum sit; tamen ex hoc habemus naturam spiritualem, non solum posse, sed etiam de facto, esse multiplicatam secundum numerum in eadem specie, ergo.

Quintò, Addunt aliqui, quòd damnata est opinio contraria per articulos Parisien. sed parui momenti sunt illi articuli, cum tot

præconijs decorata sit Sancti Thomæ doctrina?

Principium indiuiduationis quid sit.

Sextò, Quia opinio D. Tho. prouenit ex duplici principio falso, primum est, quod principium indiuiduationis sit materia, cum tamen constet esse existentiam: scdm est, quod forma abstracta a materia, sit uniuersalis, habens totam perfectionem sui generis, quòd tamen est falsum, nam Angeli sunt singulares, non uniuersales, & cum Deus in sacramento Eucharistiæ separat actu accidentia a substantia, tamen illa accidentia sunt particularia, non uniuersalia, nec continent totam perfectionem suæ speciei, quia ex hoc, quòd separantur a subiecto, nulla plane additio fit illis accidentibus.

Septimò, Debet esse summa amicitia inter Angelos, sed naturale est, diligere sibi simile, ergo sunt eiusdem speciei.

Octauò, Principes maxime delectantur pluribus ministris, eadem trabea indutis, ita, & Deus Angelis eiusdem speciei.

Nonò, Si omnes Angeli specie differrent, sequitur multas naturas Angelorum integras lapsas esse, & periisse; quare frustraretur ratio illa Sanctorum Patrum dicendum, Deum uoluisse redimere hominem, non Angelum, quia tota natura humana perierat, non autem Angelica.

Decimò, Sepissime uisæ sunt maxime apparitiones potissime uero dæmonum, in quibus apparuerunt eiusdem speciei, & naturæ, quibus erat unus diabolus princeps quæ præcipue leguntur apud D. Gregorium lib. dialogorum, sed eadem est natura malorum, & bonorum Angelorum, ergo.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum patet solutio ex 5. argumento pro 4. conclusione.

Explicatur locus ille Aristotelis 12. met. tex 49.

Ad secundum Respōdet Gregorius de Valentia ubi supra, illud Aristotelis dictum ualere in rebus corporeis tantū. Sed pace sua sit dictum, non uidit textum, uel non perpendit: ibi enim Aristoteles loquitur de Deo, & probat, mundum esse unum, quia dicit si duo essent mundi, ergo principium uniuscuiusque erit specie unum, numero multa, At quæcumque sunt multa numero habent materiam, per principium autem ibi intelligit Deum, ut patet initio textus 48. principium scilicet motiuum. Secundo Respon. ex hoc textu colligere quosdam ab Aristotele poni intelligentias motrices cœlorum, esse formas, non assistentes, sed informantes, quia & ex analogia corporum inuestigat numerum, & quidditaté intelligentiarum, & quia dat semper exemplum hominis, sed neque hoc dici potest, quia potius contrarium colligitur, quia tāquam absurdum ducit, quòd habeant materiam. Aertio Respon. Scotus lib. 7. metaphysices q. 13. & 2. d. 3. ubi supra, Antonius Andreas lib. 5. metap. q. 5. quia secundo physic. tex. 26. materia, & forma opponūtur relatiue, quot autem modis dicitur unū relatiuum tot etiam dicitur & reliquū forma autem regulariter sumitur, pro forma partis, ut anima, & p forma totius, ut humanitas, ita ergo

etiam

etiam materia,pro materia partis, ideſt materia prima,& materia totius, ideſt proprietas indiuidualis eſt ergo ſenſus, quæ ſunt unum ratione, & plura numero, habent materiam,ideſt ſunt indiuidua ſingularia. ſed hæc explicatio eſt ſubtilior, quam ſolidior. Quarto igitur Reſp. cum Scoto,& Molina,non eſſe in hoc tenendam Ariſtotelis doctrinam,quam ipſe ſic aptauit,ut poſſet ex hoc ueluti principio deducere intelligentias eſſe præciſe tot,quot ſunt orbes, quia intelligentias poſuit ſolum propter orbium motus. Ideo ſicuti Theologus cogitur ab Ariſtotele diſſentire in concluſione, debet neceſſario diſſentire etiam in principio, ex quo falſa deducitur concluſio. Quod dictum licet impugnetur a Dominico Banes tamen in hoc non bene impugnatur, Ad alia loca Ariſtotelis citata in eodem argumento facillimum eſt rñdere,ꝙ Ariſtotelis optime dicit. Aliud eſt cœlum, Aliud hoc cœlum, quia habet materiam, ideſt quia eſt actu indiuiduum,non autem bene colligitur,quòd ratio indiuiduationis ſit materia.

Ad Tertium, Reſpon.in Angelis poni multiplicationem, tam ſecundum ſpeciem,quam ſecundum indiuidua,neque ualere modum illum argumentãdi, hoc eſt perfectius,ergo hoc eſt in Angelis;nam Deus potuiſſet omnes Angelos,inferiores creare ęquales primo Angelo, & primum Angelum, creare multo nobiliorem, & tamen non ita fecit.

Ad Quartũ,Reſpon.ſummum ordinem eum eſſe,qui conſiſtit, non ſolum in ordine ſpecierum,ſed etiam indiuiduorum.

Ad Quintum, Reſpon. quia etiam exiſtentia adueniens eſſentiæ aduenit illi in ratione actus, ideo poſſe ſeparare, diſtinguere, determinare,indiuiduare &c.

Ad Sextum,nego maiorem ad probationem.Reſpon.quicquid ſit de cœlis, dico unicum Solem; Lunam unam, tantum eſſe factam, non quia non potuerint effici plures, ſed quia non debuerunt effici.

Ad Septimum,Reſpon.plurificationem,quæ ſit per generationem phyſicam,eſſe propter imperfectionem,nõ autem eam, quę ſit per creationem,multæ enim animæ creantur a Deo,& tamen non ex corruptibilitate earum.

Ad Octauum, Reſp. quia ſuppoſita in Deo multiplicantur, in eadem omnino natura numero, ideo in Angelis debere multiplicari in eadem natura ſpecie.

Ad Nonum,Reſp.ex eodem Bon.naturam mediam eſſe quãlibet ſpeciem Angelorum, uel etiam hominum naturam.

Ad Vltimum, Reſpon ſicuti inter homines,qui ſunt maxime unius naturæ, tamen alii ſunt ſuperiores,alii inferiores,ita etiam eſſe in Angelis.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, ad primum Reſpond. cum Patres dicũt, Angelos eſſe unius naturæ,intelligunt de natura ſubalterna, ſicuti cũ ſolemus dicere, aliam eſſe naturam uolatiliũ,

aliam piscium, aliã quadrupedum, tunc sumitur natura generica non specifica, quia quęlibet illarum cõtinet sub se uarias species. Ad Damascenũ autem dicendum est eum aliud agentem in illis institutionibus de Angelis per modum exempli esse locutum: alioqui expresse contradicet sibi; quia in lib.2.de fide Orthodoxa cap. 4. dicit dæmonem esse eiusdem naturæ cum Angelis bonis: at in institutionibus cap. 7. dicit animum, Angelum, & dæmonem, esse species infimas.

Ad Theodoretũ, Responsio patet ex textu cum enim dicit superuacanea est generis diuisio, per genus generationem intelligit, ibi.n.de generatione loqnebatur, docens, eam necessariã non esse in Angelis, quia sunt immortales, quare illa auctoritas, non est ad propositum ad nostram sententiam impugnandam.

Ad Concilium Florentinum dicendum est, Quæ ibi referuntur, esse uerba. S. Basilij allata a concilio, non ad probandum Angelos esse eiusdem naturę, sed ad probandã spiritus Sancti cõsubstantialitatem, & processionem a patre, & filio. Quare cum per modum exempli, & ex sententia tantum. Sancti Basilij afferuntur, nihil est, quòd sententiam nostram pertimescamus sacro repugnare concilio.

Ad secundum, Respon. conuenire omnes in nomine Angeli & etiam spiritus, sed hoc nomen esse genericum.

Ad Tertium nego antecedens, ut patet ex tertia nostra conclusione.

Vnde attendendenda sit indiuidualis Angelorum distinctio.

Ex dictis omnibus colligo hoc euidentissime: distinctionem, siue plurificationem suppositorum, siue eorundem plurificationis magnitudinem, non ex intrinseca Angelorum quidditate, sed ex Dei beneplacito creante esse sumendam.

DISPVTATIO IIII.

SECTIO I.

Vtrum Angelus sit immortalis.



Conueniunt omnes plane, tum Sancti Patres, tum et Scolastici, imo etiam antiquiores Philosophi Angelos, siue Dæmones esse immortales, Et quidem quod ad Sanctos Patres, & Scolasticos Doctores, patebit infra. Quoad Philosophos Gentiles, Ex hoc solo facile constabit, quod prædicabilium arborem ordinantes, Rationale animal, adhuc diuidebant, in mortale, & immortale; ut hac sola ratione hominẽ, a dæmone distinguerẽt, quod hic immortalis esset, ille mortalis. Scio quidem a nonnullis Philosophis dæmones

mones dictos esse mortales nullum enim apud ipsos cōstans fuit dogma, sed ut plurimum illos immortales fecerunt.

Quod si Dæmonum mors apud Gentiles legatur interdum, sicuti apud Plutarcum in opusculo de oraculorum defectu; hæc non naturalem mortem, sed sublimius quoddam mysterium nobis aperiunt, quod, quia ad pietatis excitandos affectus, atque ad Christianæ Religionis ędificationem plurimum ualet, silentio pertrāsire, nec possum, nec debeo, nec uolo. Audias igitur quæ de magni Dæmonis morte scribat in opusculo mox citato Plutarcus. De morte Dæmonum audiui ego ad Emiliano rethore, uiro prudente simul, atque modesto: quem credo multos uestrum cognouisse: quod cum in Italiam pater suus nauigaret, circa insulas, quas Echinadas appellant, flatu uentorum deficiente noctu prope Paxas deuenisse; cumque omnes penè, qui simul nauigabant, attētiores uigilarent, repente a Paxis insula uocem magnam auditam fuisse, qua Thramnus quidam uocabatur, quæ uox nouitate rei omnes maximo pculit miraculo. Thramnus enim ille, qui uocabatur, homo erat Aegyptius, eius ipsius nauis gubernator, qui bis uocatus nihil respondit; tertio uero uocatus, morem gessit uocanti, atque respondit. Illum uero multo maiore uoce, sic exclamasse. Quando iuxta Paludem fueris, annuntia tunc Pana magnū mortuum esse. Qua re audita magno dicebat Epitherses (sic enim Aemiliani pater appellabatur) oēs terrore perculsos fuisse. Cumq; dubitarent, utrum obtemperandum esset illi uoci, an non, hoc Thramni gubernatoris consilium ab omnibus comprobatum fuisse. Si secundi quidem spirarent uenti, nihil esse dicendum, sin uero tranquillitas maris esset, & uentorum flatus, cum in eo loco essent, omnino deficerent, non esse reticenda, quę audiuere. Cum ergo iuxta paludem essent, quia nullus erat flatus uētorum, tunc Thramnum in mare pronum respicientem, magna uoce dixisse, quæ audiuit, MAGNVS PAN MORTVVS EST. Qua re nunciata magnus multorum gemitus, imo uero innumerabilium miraculo quodam commixtus, subito auditus fuerat, Et quoniam multi fuerant, qui ea in naui nauigabant, cito, ac facile cum Romam uenissent, huius modi rei rumores uniuersam urbem repleuerunt, & a Tiberio Cæsare, qui tum gubernacula reip. gerebat Thramnum accersitum fuisse; Cui rei tantam fidem Tiberius prębuit, ut Philosophis, qui tunc Romæ erant accersitis, diligenter quisnam esset ille Pan, ac curiose scrutaretur. Hæc Plutarcus, de magno Pana, qui deorum pater uocabatur scripsit. Cuius rei mysterium, si scire cupis, attende, quonam tempore hæc accidisse ferantur, ac nota Tiberij Cæsaris temporibus accidisse. Hoc igitur maxime pietatis mysterium est, Quod Christus Dominus, tunc cruci affixus, morte sua mortis auctorem Luciferum Dęmonum principem, ac parentem morte affecit, & de hac morte hoc intelligendum esse monet sanctissime Eusebius Cæsarien. lib. 5. de

Dæmones interdū mortuos esse.

Magni dæmonis Pan mors nunciatur.

Mira historiarum prophanarū cū catholica ueritate cōsensio.

de Præparatione Euangelica,cap. 9. Maneat igitur noſtra doctrina,quod etiam apud antiquos immortales dicebãtur Dæmones. Cõtrouerſia eſt,an Angeli debeant ſecundum naturam,an ſecundum gratiam, dici immortales.

SECTIO II.

An Angeli ſint immortales, ſecundum naturam, an ſecundum gratiam.



Illud in primis monendum cenſeo, quæ de Angelorum immortalitate dicentur,eadem etiam de animæ rationalis immortalitate eſſe intelligenda.

Prima ſententia eſt Doctorum Pariſien. ut refert Caietanus prima parte, quæſtio.9. articu. ſecundo, quibus adeo certum, exploratumque fuit, nullam plane creaturam, ſecundum naturam ſuam eſſe immutabilem,& incorruptibilem,ut oppoſitam ſententiam damnarint, tamquam erroneam. Hi igitur ea,quæ immortalia eſſent dicebant,non per ſuam naturam, ſed per gratiam eſſe immortalia. In hac ſententia fuit etiam Auicenna,relatus a D.Thom.in quæſtio.diſputatis.De potentia quæſt.5.art.3.Iulius Syrenius,lib.2.Promptuarij Theologici.cap.6. Hæc ſententia probatur.

Primò,Ex ſcripturis,Quæ immortalitatẽ Deo attribuunt,tamquam ἐπίθετον illius proprium,primæ Thimot.6. Qui ſolus habet immortalitatem, Regi ſeculorũ immortali,& inuiſibili &c. Pſalm.101.Ipſi peribunt,tu autem permanebis, & omnes ſicut ueſtimentum ueteraſſent,&c.Tu autem idem ipſe es,& anni tui nõ deficient.Iacobi primo : Apud quem non eſt tranſmutatio,nec uiciſſitudinis obumbratio,Malac.2.Ego Deus,& non mutor, Ideo Exodi 3.De Deo propriedicitur.Qui eſt,&c. Ego ſum,qui ſum, Ideo in Apocalipſi. Sæpe reperitur. Qui eſt, Qui fuit,ac qui erit. De creaturis autem dicitur, Pſalm.103.Dante te illis colligent,aperiente te manum tuam,omnia implebuntur bonitate,auertente autem te faciem turbabuntur,auferes ſpiritum eorum,& deficient,& in puluerem ſuum reuertentur, Puluis autem in ſcriptura pro nihilo,vel pro corruptibili ſæpe ſumitur.Pſal.102.Recordatus eſt,quoniam puluis ſumus, quia ipſe cognouit figmentum noſtrum.Ideo Eccleſia,ut ad mortis contemplationem homines inducat, eos cinere aſpergens dicit : Memento homo quia puluis eſt,& in puluerem reuerteris. Ideo poſt peccatum homini dixit Deus (& hæc prima fuit cõcio, quam poſt peccatum habuit Deus ad hominem)Terra es.Ideo Pſal.21. Dicitur : In puluerem mortis deduxiſti me. Rom.8. Vanitati enim ſubiecta eſt omnis creatura, non

Puluis i ſcriptura, quid ſæpe ſignificet.

Cur Eccleſia cinere capita hominum cõſpergat.

Prima cõcio Dei ad hominem poſt pctm̃ quæ ?

non uolens, & alibi passim ex scripturis suppetunt loca.

Secundò, Quia hæc sententia expressa habetur in sacris Concilijs, Concilium Constantinopolitanum 3. act. 6. Constantinus Imperator ait Angelos, & animas fateor incorruptibiles, & immortales esse, non quidem per naturam, sed per gratiam.

Sacrum Concilium Constantinopolitanum 6. actione 11. in Epistola Sophronij dicit: Intellectualia, & inuisibilia, non iuxta quod temporalia defluunt, atque pertranseunt, non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilē transeunt, sed gratiam eis elargitus est Deus, a corruptione ea, & morte coercentem, Sic hominum animæ, permanent incorruptæ, sic Angeli immortales perseuerant; non naturā reuera incorruptā, proprieq; immortalē habentes essentiam, sed gratiam a Deo sortiti sunt, quę immortalitatem eis largitur, & incorruptionem eis prouidet, Quid clarius?

Tertiò, Ex Sanctis Patribus. Damascen. lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 3. Angelus, inquit, ęst substantia intellectualis, semper mobilis, suę potestatis arbitrioque semper libera, incorporalis Dei ministra per gratiam, non natura, immortalitatem consecuta, & licet hæc sententia græce paulo aliter se habeat. dicit enim Κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει τὸ ἀθάνατον εἰληφῶα idest secundum gratiam in natura immortalitatem consecuta; tamen paulo infra, adeo clare se explicat; ut de eius mente dubitare nullus possit. Loquens enim de Angelo, subdit, Ἀθάνατος οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι, idest immortalis non natura, sed gratia.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 8. Thesauri capit. 2. Nam & si Angelus immortalis quædam res est, propter uoluntatem, & gratiam Saluatoris; sed tamen, quoniam ortum habuit, & esse cepit, occidere quoque potest, & non esse. Quare sicut ignis combustiuus est, sed non sine Deo, sic & Angelus immortalis quidem est, sed non sine Deo. Solus enim Deus proprie immortalis est, quia naturaliter id habet, cętera per gratiam, sicut creaturæ.

Sanctus Bernardus lib. 5. de Consideratione ad Eugenium Papam, Vocat Angelos corpore æthereos, immortalitate perpetuos, impassibiles, non natura, sed gratia.

Sanctus Isidorus libro primo de summo bono cap. 12. Natura Angelorū mutabilis est, quia illis inest mutabilitas in natura, sed facit eos incorruptos charitas sempiterna.

Sanctus Gregorius lib. 25. moral. cap. 4. Quia ex nihilo condita est ipsa anima, ex se nihilominus infra se tendit, nisi ad boni desiderij statū, artificis sui manu teneatur; uirtute namque propria in præceps ruit, & lib. 19. moral. cap. 8. dicit omnia in nihilum natuna conuertenda esse, nisi omnipotentis manus repararet, & lib. 4. moralium cap. 7. dicit. Humana anima, seu Angelicus spiritus, ita immortalis est, ut mori possit, ita moralis, ut morti nō possit, nam bene uiuere, siue per uitium, siue per supplicium perdidit.

Sanctus

Sanctus Ambrosius lib. 3. de fide cap. 2. Alia est immortalitas naturæ Dei, alia nostræ, non sunt fragilia comparāda diuinis. Vna sola substantia diuinitatis, quę mori nescit. Vnde, & Apostolus, cū sciret, animā, & Angelos immortales, quod solus Deus immortalitatem habeat prædicauit; nam, & anima moritur, anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur, Nec & Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in mente est creatoris. Neque ad pręiuditium trahas, quod non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Vriel, & in ipsis etiam naturæ capacitas, uitio obnoxia, sed non obnoxia disciplina, & infra. Ergo corruptelæ, & mortis etiam, si non moriatur, & peccet, capax tamen omnis creatura est &c.

Sanctus Augustinus lib. de fide Petrum cap. 3. Naturę omnes a Deo factæ proficere possunt, quia esse a Deo ceperunt, ideo deficere, quia sunt ex nihilo, & cap. 7. Firmissime tene, & nullatenus dubites, solam Sanctam Trinitatem, uerum Deum incommutabilem esse.

Sanctus Irenæus lib. 2. contra hæreses. Valentini cap. 65. Sūt qui hoc loco dicant, non posse animas eas, quæ paulo ante esse ceperint, in multū temporis perseuerare sed oportere, eas, aut innascibiles esse, ut sint immortales; uel si generationis principium acceperint, cum ipso corpore mori, Discāt quoniam sine initio, & sine fine, uere, & semper est solus Deus &c. perseuerāt autem omnia secundum uoluntatem factoris sui; & infra, sic igitur de animabus & de spiritibus cogitans, quis minime peccauit.

Sanctus Leo. in epistola decretali 91. in Concilio Arelatensi 3. Nimium superbi nimiumque sunt cæci, qui cum dicant, humanam animam diuinę esse substantię, non intelligunt, nihil se aliud dicere, quam Deum esse mutabilem.

Sanctus Hieronymus in caput primum epistolæ ad Titum dicit, Quomodo solus Deus dicitur habere immortalitatem, cum & Angelos, & multas creaturas fecerit rationales, quibus dederit immortalitatem, Ita ēt solus dicitur uerax, non quod & cæteri nō immortales, & ueritatis sint amatores, sed quod ille solus naturaliter sit & immortalis, & uerax. Cęteri uero immortalitatem, & ueritatem, ex illius largitione consequuntur. Et in tribus libris contra Pelagianos ostendit, omnia plane, quæ in nobis sunt, esse dona Dei.

Theophylactus in capit. 12. Epistolæ ad Hebræos Angeli sm naturam quidem, non carent fine, quandoquidem ne principio quidem carent, gratia autem diuina, quod non moriantur, & fine careant, sintque immortales acceperunt.

Tertiò eadē sententia rationibus probatur. Omnes enim creaturæ Dei indigent conseruatione, & ut bene Sanctus Gregorius ubi sup. nisi manus Dei defectus nostros sustentet, ruimus in nihilum, Ps. 103. Dante te illis colligent & infra auertente autem te

faciem turbabuntur, auferes spiritum eorũ, & in puluerem suum reuertentur.

Quartò, Nulli creaturę potest per se, & tamquam de intrinseco, & essentiali ipsius creaturæ principio, competere ipsum esse, sed accidentaliter de ipsa, & denominatiue tãtum prædicatur, de solo autem Deo essentialiter, & quidditatiue; Vnde dicimus, Deus est suum esse, De creaturis dicimus, creatura habet esse, sed non est ipsum suum esse; si ergo non est illi intrinsecum esse, ergo ab ipsa poterit auferri.

Quintò, Quicquid habet causam sui esse extra se ipsum, non potest per naturam suam esse incorruptibile, sed Angeli sunt huius modi; sunt enim a Deo facti, ergo. Maior probatur, quia, quod alicui intrinsecum non est, ab eo dimoueri potest, causa esse Angelorum non est illis intrinseca, quia Deus nulli est, ut de intrinseco, & quidditatiuo principio, ergo.

SECTIO III.

Exponitur & probatur sententia dicentium Angelos esse naturaliter immortales.



Ontraria sententia est communis omnium sanctorum, etiam eorum, quos in oppositam sententiam citauimus, & Scolasticorum, qui dicunt Angelos, & etiam rationalem animam, esse naturaliter immortales.

Conclusio decisiua, Angeli, & rationalis anima simpliciter, & quoad naturam dicendi sunt immortales, probatur hæc conclusio. Quæ de fide est.

Primò, Ex scripturis, præcipue ex plurimis illis testimonijs, quę a nobis citata sunt in distin. 6. disputatione prima, & nona cum ageremus de irremiscibilitate peccatorum Dæmonum, ibi enim, & præmia æterna, & supplicia æterna esse, tum in Angelis, tum in hominibus, ex scripturis, & Patribus fuse ostendimus. ibi igitur ea legere poteris, & certo inferre, quod si præmia, & pœnæ ęterno tempore, vel beatitudinem nobis conferunt; uel damnatione, nos cruciant, quod etiam ęterno tempore nos futuros esse necessarium est. Hæc enim consequentia est Leonis X. in Concilio Lateranensi, de quo infra.

Secundò, Quia hæc veritas definita est in Concilio Lateranen. sub Leone X. sess. 8. Nos sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectiuam mortalem esse.

Tertiò, Ex Patribus, Clemens Papa Romanus in libro Constitutio-

tutionum Apostolicarum capi.6.damnat hæresim Basmotheorũ, dicentium inter cætera, animam esse mortalem, & in eodem libro, cap.11. Animam incorpoream, & immortalem affirmamus, nec eam interire, veluti corpora, sed perpetuo manere, vti rationis participem, & libertate præditam.

Cassianus lib.8. collationum cap.6.dicit. Angeli mortales effici non possunt, qui ita creati sunt, ut mori non possint.

S. Aug.lib.de Ecclesiasticis dogmatibus, cap.12. immortales esse credimus intellectuales naturas, quia carne carent, & lib. de cognitione veræ vitæ, cap.5. Angelus, spiritus est, substantia incorporea, inuisibilis, rationalis, immortalis. & lib. uigintiunius sententiarum, dicit: Deus enim solus immutabilis est, & Angeli. Et libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap.15. Solum hominem credimus habere animam, quæ exuta a corporibus uiuit, & capitu.17. Anima sine corpore nõ moritur, lib.14. de Trinitate, Anima imago Dei non esset, si mortis termino clauderetur. lib. 6. de Genesi ad litteram, cap.25. Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit Deus: aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno uitæ, non de constitutione naturæ; mortalis enim erat ex conditione corporis, immortalis autem beneficio conditoris.

Adā non est a Deo conditus ut nõ posset mori, sed ita ut posset non mori.

Sanctus Athanasius lib. de communi essentia Patris Filij, & Spiritus sancti. Angelus est animal rationale, expers materiæ, immortalis.

Sanctus Petrus Apostolus apud Clementem Romanum, lib.3. recognitionum post medium, fuse probat animam esse immortalem; ita etiam Eusebius Cæsariensis, lib.4. de præparatione Euangelica, cap.6.& lib.6.cap. item 6.lib.7. cap.4.lib.11.cap.15.

S. Dionysius Areopagita, cap.4. de diuinis nominibus. Intellectuales substantiæ uitam habent sempiternam, quæ imminui non potest, ab omni interitu morte, materia, ortuque solutę, ac liberæ.

Sanctus Basilius concione in Psal.44.initio. Non enim Angeli mutationem suscipiunt, nullus enim illorum puer est, nullus senex, sed in quo ab initio creati sunt statu, in eo permanēt integra, & immutata substantia conseruata.

Theodoretus epithome diuinorum decretorum, cap.de Angelis assignans rationem cur Angelis generandi facultas data non sit, ait. Immortali naturæ superuacanea est generis diuisio, & infra. Quæ enim ab interitu aliena est natura, non eget incremento.

Quartò, conclusio hæc probabitur ea demonstratione quam acutissime conficit insignis ille miraculorũ effector. Sanctus Gregorius dictus Taumaturgus, ad demonstrandam animam rationalem esse immortalē, q̄ demõstratio facillime accõmodari potest Angelis. Ita igitur argumentatur in libello suo de anima. Nihil se ipsum corrumpit, sed omne, quod corrumpitur, ex contrarijs corrum-

corrumpitur, Quicquid corrumpitur, dissoluitur, Quod dissoluitur compositum est, Quod compositum est habet partes, habet ipsarum partium differentias. Anima ergo simplex, non est ex partibus, ergo non est composita, ergo non dissoluitur, ergo non est mortalis. Subsumas tu, pro anima Angelum, & cum ipso Angelũ immortalem demonstrabis. Egregia demonstratio immortalitatis aiæ facta a S Gregorio Taumaturgo.

Quintò, Nulla substantia est mutabilis quo ad suum esse, nisi habeat aliquod principium corruptionis sibi intrinsecum: in substantiis immaterialibus, & spiritualibus, nullũ tale potest assignari principium, ergo probo minorem. Nam si entia naturalia corrumpunt, ideo corrumpuntur, quia ex materia prima composita sunt, quæ cum appetitum inexplebilem habeat, appetatque semper nouas formas, sicut turpe pulcrum, & fœmina uirũ, ideo corruptionis causa est. Animalia ideo corrumpuntur, quod præter materiam, quam includunt, habent etiam in se calorem naturalẽ, qui semper humidum radicale depascit, atque consumit, ratione non admodum dissimili, qua ignis candelæ ceram, uel flamma lucernæ oleum: In Angelis autem, utpote incorporeis, hæc corruptionis principia assignari non possunt, ergo. Quæ sit causa cur animalia moriantur, & inanimata corrũpãtur.

Sextò, Nihil est in potentia intrinseca ad suum non esse; sed omnia, quæ corrumpuntur, ad corruptionem suam tendunt, per aliquod principium, quod per accidens subiecti sui sit corruptiuum, ut explicatum est in superiore argumento. Ergo ablato hoc principio a substantiis immaterialibus, non erunt amplius corruptibiles. Sed hoc principium iam de facto ab illis esse remotum, fateri cogimur, eo ipso, quod nullum tale principium in ipsis excogitare possumus, ergo. Dices, principium, quod in ipsis est, est illa perpetua indigentia conseruationis, qua a Deo in esse dependẽt, sed ad hoc respondeo, & hoc diligenter attendendum est, Quod aliud est Angelos, & rationalem animam, esse defectibiles, si generale Dei subtrahatur auxilium, siue concursus ille generalis, a quo cunctæ in conseruari dependent. Aliud est, quod posito illo generali concursu, adhuc res sint corruptibiles, sicuti homo, & reliqua entia naturalia, etiam supposito Dei uniuersali influxu ad huc corruptibilia sunt. Primum igitur uerum est; secundum autẽ falsum, & hanc differentiam assignauit Sãctus Augustinus lib. 6. de Gen. cap. 25. iam citato. Ideo annihilabiles quidem sunt Angeli, quia sublato generali influxu omnes ruerent in suum nihil, sed tamen non mortales, idest posito concursu numquam deficient, nec mori poterunt, sicuti reliqua entia naturalia. Supposito generali Dei concursu Angeli & rationalis anima dicũtur immortales. Angeli dici melius possũt annihilabiles, quam corruptibiles.

Septimo, Ex Caietano. Nihil inclinationem habet ad suum nõ esse, nisi inclinationem habeat ad aliquod aliud esse, quod, quia non se compatitur cum esse, quod iam habet, ideo per accidens corruptio præexistentis esse intenditur, sed non potest inueniri aliud esse, ad quod Angelus inclinationem habeat, imo etiam si daretur, non posset ad illud inclinationem habere ergo. Maior


patet inductione, Minor quo ad primam partem, patet ex eo, quod nullum tale esse excogitari potest, quo ad secundam partem adest consensus omnium fere scolasticorum, excepto Scoto, probantium, peccatum Luciferi non in eo fuisse, quod æqualitatem Dei in natura appetierit, & nos in d.6.disp.2.hoc fuse probauimus; & nunc etiam breuiter probatur, quia est contra naturalem rei uniuscuiusque inclinationem, ut sui ipsius conseruationem non expetat in eo, quod appetat suum non esse ut habeat aliquod esse nobilius. Et licet interdum, quis seipse occidat, hoc non est ex eo, quòd quis appetat suum non esse, sed quia appetit carere molestia, hoc autem carere molestia, appetit sub ratione boni sibi conuenientis quare etiam sub ratione entis, ideo in illo appetit suum esse.

Octauò, quia in hanc sententiam omnes Patres citati pro opposita sententia deueniunt. Vt autem melius explicetur, quomodo ab hac nostra sententia non dissideant, sit.

SECTIO IIII.

Conciliantur Patrum sententiæ, & ostenditur, quomodo omnes fateantur, Angelos esse immortales.

Creaturas in suo nihilo manere quomodo intelligatur.



Sciendum est, creaturas omnes, eo ipso, quod ex nihilo conditę sunt, nec omnem entis plenitudinem sunt consecutæ (ea enim Dei optimi propria est) in nihilo quodā permanere, q̄a omne illud quod intercipitur inter illū entitatis gradū, quē creatura a Deo accepit, & ipsam entis plenitudinem, quæ Dei est propria, suppletur per ipsum nihil. Quare tantundem ipsius nihil in se habet creatura, quantum a tota entis latitudine deficit. Hoc fusius explicatum legere poteris infra in d. 6. disp. prima, ubi quæritur an creatura aliqua naturaliter impeccabilis esse possit. Hinc est, quod a Patribus supra citatis, dicitur creatura manere in suo nihilo, & quantum est de se, grauitat creatura in ipsum nihil, in illud tendit, in illud ruit. Quod si actu omnino non deficit, illud non est ex parte creaturę, sed ex Dei causalitate, qui creaturam illam semper sustentat, detinet, conseruat, ac quodam modo manu tenet, in ea entitate, quam creaturæ in ipsius creatione elargitus est. Hanc conseruationem, & manutenentiam Theologi consursum generalem Dei, seu influxum Dei uniuersalem appellant, ad distinctionem eius particularis concursus, ac prouidentiæ, qua cum rationali creatura in ordine ad supernaturalia concurrit; Hunc concursum elegantissime Propheta explicauit, Ps. 103. dicens Dante

Concursus generalis Dei quid sit.

te.

te. f. Deo illis, scilicet creaturis, creaturæ colligent; aperiente te manum tuam per creationem, omnia implebuntur bonitate, id est entitate. Auertente autem te faciem tuam, per generalis concursus subtractionem, omnia turbabuntur, quia dissoluentur, & in puluerem suum, idest in ipsum suum nihil reuertentur. Hunc generalem concursum, quia Deus nulla lege tenetur creaturis præstare sed gratis dat, Sancti Patres gratiam appellarũt, iuxta illud Threnorum. 3. Misericordiæ Dei, quia non sumus consumpti, & illud primæ. Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti. Quicquid enim gratis datur, gratiæ nomine latius sumpto nuncupatur.

Concursus generalis Dei ubi in scriptura præcipue deletur.

Gratiæ nomine quid intelligatur.

Si ergo quæstionis sensus sit, An Angeli ita sint per naturam immortales; ut ne hoc quidem Dei concursu egeant, dicendum, est, non esse immortales. Sed quando sit nunc quæstio, An sint immortales, intelligitur præ supposito hoc Dei concursu. Et tunc dicendum est, esse immortales. Quod igitur Sancti Patres ea ratione explicandi sint, patet ex consideratione eorum, quæ in sententiis ipsorum dicta sunt, dum dicunt, solum Deum esse natura sua immortalem, quia immortalitatem non habet ab alio, Angelos uero, & rationalẽ animam immortalitatem habere ex alio, scilicet a Deo, præcipue attendenda sicut loca Sancti Augustini lib. 6. de Gen. cap. 25. Greg. lib. 25. moral. cap. 4. Leonis X. in Conc. Arelaten. quæ supra citauimus.

In quo sensu disputetur An Angeli sint immortales.

Plures etiam Patres ita intelligendi sunt, ut monet Cęlius Rodiginus lib. 2. antiquarum lectionum capit. 9. quòd nomine immortalitatis, intelligenda sit immutabilitas ad malum, quia idem est lapsus in Angelis, quòd mors in hominibus, & ita Iodocus Clitouęus explicat Damascenum & hæc explicatio maxime consona est auctoritati B. Amb. & Gregorij; & per hæc etaim patet responsio ad argumenta.

Ad primum, ex locis scripturæ. Ad secundum ex Conciliis. Ad tertium ex testimoniis Patrum, qui in hunc sensum explicant loca scripturarum.

Ad Quartum, & quintum Responsio patet ex dictis, quomomo dicantur Angeli incorruptibiles, non excludendo generalem influxum, de quo loquuntur argumenta.



DISPV-

DISPVTATIO V.

DE INTELLECTIONE ANGELORVM.


ST adeo proprium Angelorum intelligere, ut communiter tam philosophi gentiles, quam etiam Catholici Patres, ab ipso intelligendi actu, Angelos nominandos censuerint, quare illi quidem intelligentias, isti uero intellectuales naturas intelligentesque spiritus, ac mentes nominarunt. Cum ergo constat, intellectionem esse in Angelis, ideo quærendum est de ipsa, quid sit, de quibus sit; ac quomodo insit in Angelis.

SECTIO I.

An intelligere Angeli sit eius essentia.


Aec quæstio est etiam de uolitione uniuersaliter de quacumque operatione Angeli, & est maxime ad exercenda ingenia. Referunt autem Capreolus primo d. 35. q. prima arti. primo & secundo d. 3. q. 2. art. secundo. Gregorius Ariminensis 2. dist. 7. quæstio. 2. nonnullos dicentes, intelligere Angeli esse ipsam met essentiam Angeli; prout relationem habet ad obiectum, quod intelligitur.

Auerr. 12. met. tex. 51. dixit, intelligere Angelorum, seu intelligentiarum, esse ipsam substãtiam earundem, quia sunt sua actio in quibus idem est intellectum, intellectus, & actio, scilicet intellectio posset probari, quia intellectus agens est sua actio 3. de anima.

Contraria tamen sententia communis est, pro qua sit.

Conclusio. Nulla actio Angelorum est substantia eorundem, probatur.

Primò, Ex Dionysio Areop. lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 11. dicit In Angelis distingui ista tria, essentiam, uirtutem, & operationem. Leo I. Epistola 93. cap. 5. dicit solius Dei esse proprium, ut sapientia ipsius, non sit qualitas, sicuti in cæteris rebus.

Secundò, Ex D. Tho. magis distinguitur actio ab essentia Angeli, quam existentia, nam existentia est modus intrinsecus, qui immediate consequitur ipsam essentiam, & ipsam actuat quare reductiue ponitur in prędicamento substantiæ; actio autem est actus uirtutis productus ab ipsa potentia operatiua, sed nullius creaturæ substantia est suum esse. ergo nec sua actio.

Tertiò, Ex eodem D.Th. Actio est actualitas uirtutis, sicuti es-

actua-

se est actualitas essentiæ, ergo si essentia est actio; essentia erit sua actualitas; sed quod est huiusmodi, est purus actus: nulla autem creatura potest esse actus purus, quia hoc est propriũ solius Dei, ergo. Quod aũt essentia, quæ est sua actualitas, sit actus purus probatur. Quia actualitas potentialitati repugnat, & eam tollit, ergo quod est sua actualitas est omnino sine potentia, ergo.

Quartò, Ex eodem si intelligere Angeli esset ipsa subiecta Angeli, ergo hoc intelligere esset abstractum, & per se subsistẽs, quare contineret omnem perfectionem possibilem, ergo esset unũ, & non distingueretur a Deo.

Quintò, Ex eodem, & deducitur ex præcedenti, si illud esset, sequitur quod in intellectionib. Angeli, nulla esset aliis perfectior, quia esset unica, continens omnem plane entitatem, possibilem in eodem genere, hoc est absurdum, ergo.

Quæ, D. Tho. rationes maximam patiuntur difficultatem maxime uero tres ultimæ in quibus defendendis ualde desudat Caietanus hic, & ut uerum fatear, duas ultimas non puto esse ualdę solidas, deducuntur enim ex illo fundamento D. Tho. quod mihi non placet, de principio indiuiduationis & quòd formæ abstractę a materia continẽt omnem perfectionem, & entitatem possibilẽ in eodem genere ex quo principio etiam deduxit, ut supra uidimus, quoslibet Angelos inter se differre specie. Prima autem, & secunda ratio, sunt ualde bonæ, & obiectiones contra secundam soluit. Caietanus hic optime. Sed præter eas obiectiones, ad huc contra ipsam obiciit. Gregorius Valentia disput. de Angelis quæst. 5. puncto 4. quia inquit, hæc ratio solum probat, non posse substantiam Angeli esse omnem suam actualitatem, ita ut nihil habeat potentialitatis, non autem probat, non posse substantiam aliquam creatam esse illam determinatam actualitatem, quæ est operatio: licet enim esset sua actualitas, quo ad operationẽ posset tamen esse in potentia, quo ad alias actualitates, uel accidentia; Sed tamen hæc ratio D. Thom. est bona, Quia potentialitas, quæ esse potest in Angelis, cum non possit esse potentialitas materiæ, quia incorporei sunt, maxime esset potentialitas, uel quo ad esse, uel quo ad operari, uel quo ad formas accidentales, cum autem actio magis distinguatur ab essentia, quam esse ab eadem essentia, si actio identificaretur cum essentia ergo a fortiori, etiam ipsum esse identificaretur cum eadem essentia, quòd autem est sua actualitas, quo ad esse, & operari, est actus purus; quia hoc ipso, quòd non est aliquid in potentia ad esse, uel operari, neque est in potentia ad formas accidentales, quæ uel sunt, ut aliquid cõseruetur quo ad esse, uel ut sit principium agendi, uel patiendi. At quod est suum esse non indiget alio, ad sui conseruationem, nec etiam indiget formis accidentalibus, tamquam principijs agendi, quia est sua actio, nec patiendi, nam uel pateret passione aliqua perfectiua, ut cum aer illuminatur, uel destructiua, secundum dici non potest,

Obiectiones Gregorius Valentiæ cõtra D. Tho.

Defenditur ratio D. Th.

poteſt, quia, quod eſt ſuum eſſe, deſtrui non poteſt, nec etiam primum, quia, quòd eſt ſuum eſſe, habet totam ſuam perfectionem, ergo.

Sextò, Probatur ex proprietatibus actionum, nam quę actionibus conueniunt, non poſſunt conuenire eſſentię finitę, nam actiones aliæ ſunt immanentes, aliæ tranſeuntes aliæ naturales, aliæ ſupernaturales, actiones ſunt uariabiles, eſſentia inuariabilis, ergo.

Septimò, Angelus non poteſt eſſe ſua actio ſupernaturalis, neque naturalis, ergo. antecedens probatur primo de ſupernaturali, nam implicat, quòd ſit ſua actio ſupernaturalis, quia, alioqui illa actio ſi eſſet idem, quòd eſſentia Angeli eſſet illi naturalis, nō ergo ſupernaturalis. Secundo fortius probatur per Conciliũ Viennenſe, refertur in capit. ad noſtrum in Clem. tit. de Hæreticis, ubi definitur contra Begardos, & Beguinas, nullum per ſua naturalia poſſe eſſe beatum, nec Deum uidere, & patet ex Apoſtolo Ro. 8. Gratia Dei uita æterna, ſi ex gratia, non ergo ex natura.

Octauò, Eſſentia Angelorum etiam malorum bona eſt, actiones malæ. Eſſentia non eſt bona moraliter, actiones, ſunt bonæ moraliter, nullus per eſſentiam meretur, uel demeretur, actionibus autem meretur, uel demeretur. Eſſentia inuariabilis, operatio uariabilis. Vnde patet, non rectè a Valentia dictum eſſe, non poſſe naturalibus rationibus probari, Angelorum actiones non eſſe ſubſtantiam eorundem.

Ad argumentum reſpondet D. Tho. intellectum agentem dici ſuam ſubſtantiam, eſſe ſuam actionem non per eſſentiam; ſed per concomitantiam, ad differentiam intellectus poſſibilis, qui cum in potentia ſit, debet ad actum primum reduci per obiectum, abſque quo actu primo, operari non poteſt Intellectus autem agens, quia non indiget reuocari ad actum per aliud, dicitur eſſe ſua actio, quatenus ſemper operari poteſt, quæ expoſitio communis eſt, quòd illud dictum ſit ad differentiam intellectus poſſibilis, ita Auuer. Philoponus, &c.

SECTIO II.

Quomodo diſtinguatur intelligere ab eſſentia Angeli.

HAec dubitatio oritur ex dubitatione priori, ibi enim oſtenſum eſt, differre intellectionem ab eſſentia, quomodo ergo differt?

Thomiſtæ contendunt, diſtingui realiter, tamquam rem a re, quia intellectio eſt effectus potentię intellectiuę; idem etiam dicunt de diſtinctione ipſius intellectus ab

ab essentia, & de distinctione essentiæ ab existentia dicunt enim has omnes distinctiones esse reales.

Alijs autem magis placet, esse distinctionem formalem. Resp. tamen ego hanc esse quæstionem de mero nomine, & omnes in re ipsa conuenire, differre tantum in modo loquendi; quia Thomistæ appellant distinctionem realem eam, in qua repperitur aliquod ens ab alio ente, citra operationem intellectus distinctum.

Alij, autem non appellant distinctionem realem, nisi eam, quæ est penes distinctas existentias quando utrunque illorum per aliquam potentiam potest ab alio, & separari, & separatim existere. *Hæc quæstio de nomine in eo sensu quo a doctoribus tractatur.*

Hic igitur certum est, esse aliquam rem a re distinctam, quia in tellectio superaddit aliquod ens ipsi essentiæ, certum est etiam, non posse intellectionem separatam existere ab intellectu, quare libet eam formalem distinctionem appellare.

SECTIO III.

Vtrum intelligere Angeli sit eius esse.

Diuus Th. p. p. quæst. 54. art. 2. probat duabus rationibus, distingui intelligere Angeli ab esse Angeli.

Primò, Quia intelligere Angeli est quidam motus, ut dicit Sanctus Dynis. de diuinis nominibus cap. 4. esse non est motus ergo.

Secundò, Quia actionum (hæc enim ratio probat de omni actione quod non possit esse idem cum esse creaturę) aliæ sunt transeuntes, aliæ immanentes, esse non potest esse idem cum actione transeunte, quia actio transit in externam materiam, esse autem non transit; nec potest esse idem cũ actione immanẽte, quia actio immanens habet infinitatem quandam, uel simpliciter, uel secũdum quid, maxime uero intellectio ab obiecto, a quo specificatur obiectum enim intellectus est omne uerum, & omne intelligibile, quòd conuertitur cum ipso ente, secundum omnem suam latitudinem, & infinitatem. Esse autem creatum, est limitatum ad certam speciem, ergo esse, & intelligere distinguuntur.


Hanc autem rationem dicit Gregorius Valentia, non esse firmam, quia si esse identificaretur cum intelligere, licet esse esset in se finitum, posset tamen quatenus cum intelligere identificaretur habere obiectiuam infinitatem, sed tamen male impugnauit D. Tho. & ratio D. Tho. optima est, est enim desumpta, ex propria ratione esse creati, & intelligere, seu intellectionis, & ex hoc, quòd habent distinctas proprietates, & affectiones, ex propriis ipsorum rationibus; probauit D. Tho. unum ab alio distingui, quòd si Valentiæ ratio ualeret, posset eadem ratione eludi etiam tertium sequens argumentum quòd tamen est optimum.

Tertiò esse Angeli est à Deo, intelligere est ab Angelo, ergo si argumentum Valentiæ ualeret, posset etiam hoc argumentum infringere, dicendo, esse quatenus consideratur idẽtificari ipsi intelligere, est ab Angelo, & intelligere, ut identificatur cum esse, esse a Deo.

Quartò, Operationes Angeli sunt uariabiles esse Angeli est esse inuariabile; intellectiones incipiunt, & desinunt sæpissime, esse semel cępit, & numquam desinet: operatio est principium merendi, & demerendi; Esse non item; operatio est bona moraliter, & ab ipsa dicitur quodlibet moraliter bonum, uel malum, ab esse non item, ergo;

DISPVTATIO V.

An in Angelis sit intellectus agens, & possibilis.



Sciendum est, Aristotelem tertio de anima a tex. 17. & sequentibus, probare, dari in hominibus intellectum agentem hac ratione, quia omni potentiæ passiuæ debet correspondere potentia actiua cum ergo intellectus noster sit tamquam tabula rasa, & patiatur ab obiecto, ideo debet reperiri intellectus aliquis agens, qui omnia faciat, sicuti intellectus possibilis, omnia fit, cuius intellectus agentis munus explicat exemplo luminis, nam absente lumine, licet colores sint, tamen actu uisibiles non sunt, adueniente lumine, fiunt actu uisibiles; ita etiam præsentibus phantasmatibus, sunt quidem species potẽtia intelligibiles, sed non actu per operationem, ergo intellectus agentis fiunt species actu intelligibiles.

Necessitas autem huius intellectus agentis in homine duplex est, prima quia phantasmata sunt materialia. Scdo quida sunt particularia intellectus aũt uniuersalium est. Intellectus ergo agens hoc ipso ꝙ recipit spẽm abstrahendo à materia, facit spẽm immaterialem, & ẽt uniuersalẽ quare reddit illam intellectui possibili proportionatam, qua specie, ut sic proportionata informatus intellectus possibilis elicit, & producit intellectionem, ex iis igitur, quę explicata sunt de munere intellectus agentis, & possibilis, iudicandum erit an, et quomodo in Angelis ponendi sint isti intellectus agens & possibilis.

Necessitas intellectus agẽtis vñ sumatur.

Scotus 2. d. 3. quæst. 11. dicit In Angelis esse intellectum agentem, & possibilem citatur etiam D. Bonauentura 2. d. 3. articulo 2. q. prima sed ipse reuera non est huius sententiæ probatur autem hæc sententia a Scoto.

Primò,

Primò, quia potentia actiua, quæ non est imperfectionis, sed perfectionis in creatura aliqua, non est neganda Angelis, sed intellectus agens est huiusmodi, ergo.

Secundò, In Angelis est intellectus possibilis, ergo etiam est intellectus agens, antecedens patet, quia recipit intellectus speciem, & formam à se distinctam, ergo.

Tertiò, Si Deus concreasset cum intellectu nostro species omnium rerum, adhuc tamen nos haberemus intellectum agentem, & possibilem, quia est perfectio naturæ, ergo.

Quartò, Christus habuit intellectum agentem, & possibilem etiam si haberet species rerum omnium infusas, ergo. antecedēs patet, quia alioqui non fuisset perfectus homo. Idem dici potest de Adamo, & de Salomone, quibus maxima sapientia fuit infusa, consequentia probatur, quia non clariorem cognitionem habebant Angeli, quam Christus, qui omnia uidebat in uerbo a principio suæ Incarnationis.

Quintò, Quia fundamentum contrariæ sententiæ est falsum, quòd non distinguantur intellectus agens, & possibilis, nisi per ordinem ad phantasmata, nam distinguuntur inter se formaliter & extrinsece propter ordinem ad phantasmata.

Sextò, Necesse est intellectum, qui non habet in se obiecta omnium rerum, dependere ab ipsis, sed intellectus. Angeli est huiusmodi, quia scilicet non habet obiecta omnium rerum corporalium, ergo.

Septimò, Angeli cognoscunt etiam singularia, sed species non repræsentat singularia, ergo probatur minor quia species est ratio cognoscendi tantum quidditatem, ergo.

Contraria tamen sententia communis est, ita D.Thom.p.p.q. 54. articulo 4. & 2. contra gentes cap. 96. ratione 6. & dicit nullo modo esse intellectum agentem, possibilem uero esse æquiuoce, & Thomistæ, Caietanus, Banes, Ferr. Valentia de cognitione Angelo. q. 5. puncto 2. Gofredus, Bacconus, & Viguerius & alij quos citat ipse Scotus.

Conclusio unica. In Angelis non est ponendus intellectus agens. Hęc conclusio intelligitur ad mentem D.Th. ubi sup. probatur hæc conclusio.

Primò, tota ratio cur ponatur intellectus agens in nobis, est propter phantasmata, sed Angeli non intelligunt per phantasmata, sed per species, ergo maior patet ex discursu supra habito ex doctrina Aristotelis, qui omnem actiuitatem intellectus agentis posuit in ordine ad phantasmata, ergo.

Secundò, Angeli non accipiunt species a rebus, sed omnium intelligibilium naturalium species habent sibi ab initio concreatas, ergo.

Tertiò, Patet ex discursu supra a nobis explicato &c.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum Resp. quòd in-

Cur Angelis negetur intellectus agens licet dicat aliquam perfectionem in nobis.

tellectus quidem agens in nobis est perfectio, sed non perfectio simpliciter, sed mixta huic imperfectioni, quæ est intellectum nostrum esse tamquam tabulam rasam respectu intelligibilium, qui emendicare debeat species ab obiectis, ideo in Angelis non est ponenda hæc mixta, & imperfecta perfectio, sed perfectio longe maior, sicuti etiam discursus in nobis est perfectio maxima, per quam dignitate præstamus cæteris, tamen in Angelis negatur ista perfectio, quia ponitur alia longe maior, quæ est simplici intuitu res cognoscere, ideo idem dicendum est etiam de hoc intellectu agente.

Ad secundum Resp. In Angelis esse intellectum possibilem, uel æquiuoce, sicut dicit D. Tho. uel saltem diuerso modo, atque in nobis. In nobis enim intellectus possibilis recipit speciem a phantasmate depurgatam, in Angelis uero recipit speciem ex natura sua immaterialem, quæ non est producta ab intellectu agente, sed a Deo.

Ad tertium Respon. Posset quidem Deus in nobis producere species omnium intelligibilium, & etiam relinquere in nobis intellectum agentem, ut scilicet idem obiectum pluribus modis cognoscere possemus, tamen in Angelis negandus est, & ratio discriminis est, quia ex nostræ naturæ institutione omnis nostra cognitio ortum trahit a sensu; intellectio autem Angelorum non præsupponit in illis sensationem.

Ad Quartum patet ex dictis quia scilicet Christus id, quòd cognoscebat uisione beatifica, & per infusam scientiam respectu sensibilium, & eorum, quæ naturali prudentia cognosci poterant, Christus debuit cognoscere etiam scientia experimentali, iuxta illud didicit ex iis, quæ passus est obedientiam.

Ad quintum patet ex dictis.

Ad sextum Respon. Angelos non pendere a rebus in cognoscendo, sed habere species concreatas.

Ad septimum Respon. etiam particularia ab Angelis cognosci per species modificatas, ut infra latius explicabitur.

DISPVTATIO VI.

Vtrum Angeli intelligant discurendo.



Otandum est quod discursus, qui in tertia intellectus operatione consistit; proprie est indagatio alicuius ignoti, ex notis principiis. Et ideo ad discursum nõ sufficit, quod aliquid cognoscatur, tamquam causa alterius, alterum autem tamquam effectus sed necessario exigitur, ut cognitio unius sit causa cognitionis alterius, & ut dixit Aristoteles primo posteriorum tex. 5. Vt assensus

Quid proprie sit discursus.

præ-

præmissarum sit causa assensus conclusionis ita, ut id quòd cognoscitur per discursiuam illationem, habeat uere rationem effectus, sicuti scientia est effectus demonstrationis, quia cognitio discursiua est illa, de qua dixit Aristoteles primo posteriorū tex. primo, quæ fit ex præexistente cognitione.

Notan. secundo quòd ea, quæ ab Angelis cognoscuntur, alia quidē sunt naturalia, & naturaliter proportionata intellectui Angelorū, quippe quæ determinata sunt in suis causis, ut Ecclypses solis, lunę, generationes pluuiarum, grandinum &c. oppositiones stellarum, Varii ipsarum aspectus constitutiones, &c. Alia autem sunt, uel supernaturalia, ut quæ spectant ad mysteria gratiæ, uel futura contingentia; uel quæ profluunt a libera hominum uoluntate, ut cogitationes cordium &c. quæ improportionata sunt intellectui Angelorum. de utrisque est difficultas, an intelligantur ab Angelis per discursum, nec ne, & uariæ sunt sententiæ doctorum. Varia obiecta intellectionis Angelorum.

Prima sententia est eorum, qui omnem plane discursum in ordine ad quæcunque obiecta negant Angelis, maxime autem discursum formalem, ita D.Tho. p.p.q. 58.art.3.& q.85.art.5.& in secundo sent. d.3.q. prima art.6. De uerit.q.8.art.15.& q.24.art.3. lib. 3.con.gent. cap.44.& 91.12.q.89.art.4. Bartholamæus de spina flagello in secundum de Apologia Pomponatii. Alensis 2.p. suę summæ q.20.membro quinto. Alb. 2.p.q.9. Henricus quodlibeto 8.q.12. Aegidius. Bon. Capreolus, Ferarr. Banes Caietanus in suis comm. Greg. Valentia p. p. q. 9. de modo cognitionis Angelorum, puncto secundo probatur hæc opinio.

Primò, auctoritate Sanctorum Patrum D. Dionys. lib. de diuinis nominibus cap. septimo Angeli non congregant diuinam cognitionem a sermonibus diffusis, neque ab aliquo communi ad specialia simul aguntur.

Sanctus Augustinus lib.4. de Gen. ad litt. cap.29. dicit: Posset aliquis fortasse mecum disputando certare, ut dicat sublimium cęlorum Angelos, non alternatim contueri primo rationes creaturarum sed incommutabiliter inscribi Dei incōmutabili ueritate, ac deinde ipsas creaturas, & tertio earum etiam in se ipsis cognitionem, ad laudem referre creatoris, sed earum mentem mirabili fęlicitate, hæc omnia simul posse &c. simul ergo hoc totum possint simul, hoc totum faciant; possunt tamen, & faciunt, simul ergo habent, & diem, & uesperam, & mane.

Sanctus Bernardus sermone quinto in Cantica dicit super cęlestes spiritus absque adiutorio corporis, & absque intuitu, horum, quæ p corpus sentiuntur sola profecto sua uicinitate, ac uiuacitate naturæ sufficit apprehendere summa, & intima penetrare, & paucis interiectis. Quo is inuolutus carne, & terræ incola spiritus, ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodammodo paulatimque nititur peruenire eo ille cœlestium habita-

bitator (scilicet Angelus) ingenita subtilitate, ac sublimitate sua in omni uelocitate, facilitateque pertingit nullo utique sensus corporei adminiculo fultus, nullo corporei membri adiutus officio, nullo corporeæ cuiuscunque rei informatus intuitu, & patet etiam ex communi modo loquendi omnium, qui Angelos appellant naturas intellectuales, intelligentias, beatas mentes, & Sancti Patres uocant sæpe rationales, & etiam rationalia animalia, ut infra patebit, ꝙ maxime explicat cognitionem illorũ.

Secundò, Probat D.Tho. ex illo principio, quòd Angeli sunt sicuti corpora cœlestia, ideo enim dñtur cœlestes mentes, sed corpora cœlestia habent omnem suam perfectionem ab initio, & simul, ergo etiam Angeli.

Tertiò, Discursus dicit imperfectionem, ergo non est ponendus in Angelis. antecedens probatur, quia est indagatio ignoti ex noto, & prius dicit ignotam esse conclusionem, & notitiam illius produci a præmissis, ergo.

Quartò, Quia Angeli non pendent a phantasmatibus in cognoscendo, sed per species intelligunt, quę repræsentant effectum in causa.

Quintò, Discursus in nobis causatur ex debilitate luminis intellectualis, quòd proposito principio non cognoscit in ipso conclusiones, At intellectus Angelici lumen est perfectissimũ, ergo.

Secunda sententia est eorum, qui ponunt discursum in Angelis, Pomponatius opusculo de mortalitate animæ. Gregorius 2. d. 7. q. 5. Scotus 2. d. prima q. ultima. §. aliter dicitur, & in prologo q. Vtrum Theologia sit scientia, in qua dixit etiam beatos in uerbo discurrere per uisionem beatificam, quam sententiam citat in 2. d. 7. q. prima, & dicit non esse rationabile negare Angelis omnem discursum. Molina hanc sententiam quoad aliquid sequitur, dicit enim per accidens posse discurrere, quando quòd eliciunt non possunt simul uidere cum alio. Probatur hæc sententia.

Primò, Ex Scoto, quidditas subiecti. Verbi gratia lineæ, ubicunque ponatur, semper uirtualiter continet suas passiones, ergo prius est nota ipsa quidditas, quam passiones, saltem secundum naturam, ergo est ibi discursus.

Secundò, Ex Gregorio, Angelus intelligit unum per aliud, sed vbi est cognitio unius per aliud, ibi est discursus, ergo.

Tertiò, Angelus cognoscit multa successiue, & unum post aliud, & multa nunc non cognoscit, quę cognoscet postea, sed hoc esse non potest absque discursu, ergo.

Quartò, Vbi est aliquod notũ, & aliud ignotum, & illud ignotum cognoscitur per notum, ibi est discursus, sed in Angelis est cognitio ignoti ex noto, ergo probatur minor, quia si Angelus non cognosceret hoc modo, ergo posita mundi ęternitate, saltem a parte post, sequitur diabolum habere actu infinitas intellectiones, omnium, scilicet earum rerum, quas cognoscere potest, & de

facto

facto cognoſcet Angelus poſt finem mundi.

Quintò, Opinio D. Thom. non fundatur niſi in quadam perſuaſione, & probabilitate, & proportionalitate Angelorum ad corpora cœleſtia. Et in quadam auctoritate D. Dionyſij, quòd Angeli non congregant cognitionem a ſermonibus diffuſis,&c. quę auctoritas, & ratio non cogit, ergo.

Tertia ſententia eſt eorum, qui dicunt in Angelis eſſe diſcurſum reſpectu earum rerum, quas naturaliter non cognoſcunt, Verbi gratia reſpectu ſupernaturalium, & myſteriorum gratiæ. Ita Marſilius 2.q.6.concluſio.prima, quam probabilem, et iudicat Banes in comment.prima parte, quæſt.68.artic.3.dubitatione 3.& citat etiam quoſdam diſcipulos D.Tho.in hanc ſententiam,contrariam tamen dicit ſibi uideri probabiliorem. Pro deciſione igitur difficultatis ſit.

Prima concluſio. Angeli quoad ea,quæ naturaliter cognoſcũt, non egent diſcurſu. Hanc concluſionem optime probant argumenta pro prima ſententia, maxime uero auctoritatis eſt ſententia D. Dionyſij Areopagitæ lib.de diuinis nominibus. capit.7. ubi dicit.Ex ipſa ſcilicet diuina natura intelligibiles,intellectualeſque Angelicarum mentium uires, ſimplices, ac beatas intelligentias habent, nec in aliquibus diuiſibilibus, neque a diuiſibilibus, ſiue ſenſibus, ſiue rationibus diſcurrentibus cognitionem diuinam colligunt,&c.

Secundò probatur, ex illa ratione D.Thom. qui Angeli ſint ſicut corpora cœleſtia, quæ omnem ſuam perfectionem habent ab initio,corpora uero ſublunaria, perfectiones, per motum acquirunt. Quæ comparatio licet multas patiatur difficultates, tamen ille eſt ſenſus,quod ſcilicet Angeli habent lumen intellectus perfectum ab initio & perfectionẽ ſui intellectualis luminis per motum diſcurrendo non acquirunt.

Secunda concluſio.Neque Angeli,neque etiam homines beati in uiſione beatifica diſcurrunt. Hæc concluſio probabitur ſimul de Angelis,& hominibus, quia eadem de utriſque erit ratio in uiſione beatifica, quæ utriſque eſt ſupernaturalis, & omnes egent lumine gloriæ. probatur autem hæc concluſio.

Primò,Ex auctoritate Dionyſij citata in prima concluſione.

Secundò,Ex D.Auguſt.13.confeſſ.capit.15. Laudent,inquit,te Angeli,qui opus non habent legendo cognoſcere uerbum tuum. Vident enim faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſillabis temporum,quid uelit æterna uoluntas tua. Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum; quia tu ipſe illis, hoc es. *Præclara D. Auguſtini ſententia.*

Sanctus Bernardus ſermone 5. in Cantica de Angelis beatis loquens dicit. Cur inter corpora ſpirituales ſcrutetur ſenſus, quos in libro uitæ,& abſque contradictione legit,& abſque difficultate intelligit.

Tertiò, Ex illo Apoſtoli. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate,

mate, tunc autem facie ad faciem, & illud, nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.

Quartò, Ratione, quæ ex iiſdem auctoritatibus deducitur Angeli, & beati omnes uidẽt immediate ipſam Dei claram, nudamque ſubſtãtiam, ſicuti eſt in ſe, ſed ibi non eſt aliquid, quòd ſit cauſa, aliud uero, quod ſit effectus, ſed omnia unum ſunt, & licet adſint cauſæ uirtuales, tamen non ſunt ibi, in uera ratione cauſæ, ergo.

Quintò, Quia beati in uerbo habent omnem eam cognitionẽ, quæ ad ipſos ſpectat. Quid enim non uident, inquit D. Auguſtinus, & Gregorius, qui uidentem omnia uident? ergo non egent diſcurſu ad hoc, ut per ipſum acquirant cognitionem ſibi neceſſariam.

Tertia concluſio. Probabilius uidetur Angelos poſſe diſcurrere circa ſupernaturalia, & circa occulta cordium cogitamina, & etiam circa futura contingentia.

Diabolus ſacras ſcripturas legit.

Primo, Auctoritate D. Petri apud Clem. Rom. lib. 1. recognitionum poſt medium. Diabolus inquit, ex iis, quæ prædicta erant in ſcripturis, cognouerat impletum eſſe tempus Meſſiæ. Origenes D. Hierony. & apud ipſum Diuus Ignatius in cap. ſecũdum Matt. Chriſtus ex deſponſata naſcitur, ut partus Diabolo cælaretur.

Cur diabolus Chriſtũ tentauerit.

Scdò, Quia communis Patrum doctrina eſt in cap. 4. Matth. quñ Diabolus acceſſit, ad Chriſtum tentandum dicentium Dæmonis mentem fuiſſe perplexam, quia multa uiderat circa Chriſtum, ex quibus diuinitatem colligebat; ex altera parte, ex plurimis aliis ſignis, arguebat Chriſtum eſſe purum hominem; ut ergo ſe ab ea dubitatione liberaret, acceſſit dicens. Si filius Dei es, &c. Chriſo, hom. 13. in Matt. & hom. 5. ex uariis hom. in Matt. audierat inquit iam Virgini ab Angelo nunciatum, quòd eſſet paritura filiũ Dei, Viderat, & Magos, Viderat poſt baptiſmũ colũbã, &c. Tot igitur teſtimoniis perturbatus, exterritus, & conſternatus erat, quia audierat ueniſſe, qui tollit peccata mundi, ſed nundum plene uidebat. Vtrum ergo uera eſſent quę audierat pauidus, ac tremebũdus explorat, dicens: Si filius Dei es, &c. Quæ omnia fere repetit. Auctor imperfecti in Matth. hom. 5. Libet hic ſuauitate maxima refertum Sancti Andreę Hieroſolimitani Epiſcopi teſtimonium aſcribere, quod licet admodum magnam ad rem noſtram confirmandam uirtutem non habeat, habet tñ maximam, ad illuſtrandam. Is, igitur ſermone in ſalutationem Angelicam deſcribens aduentum Gabrielis Archangeli ad beatiſſimam Virginem ſalutandam, ſic illum apud ſe diſcurrentem facit. Cum inquit Nazareth iam perueniſſet, ad domum conſtitit, meditabundo nimirũ ſimilis factus; ac ſecum quaſi hæſitans, uariis proculdubio cogitationibus diſtrahebatur, Talia puto apud ſe animo uoluens. Vnde nam Dei exequi conſilium aggrediar? Veloci ne curſu ad Thalamum contendam? At animum Virginis ſic terrebo; tardius ergo

Suauiſſimus Angeli de Beatæ Virginis ſalutãdæ ratione diſcurſus.

go accedam? Verum ceu animo furandi ingressus puellæ iudicabor. Pulsabo ne igitur fores, sed quomodo? non enim illud consuetum Angelis est. Portam ne prius aperiam? sed, & clausa illa ingredi possum. Nomine eam uocabo? sed territabo iuuenculã. Quomodo autem ad Virginem accedam? aut quam aduentus mei causam primam dicam? num gaudii euangelium, aut domini meĩ inhabitationẽ, ac spiritus inuasionem, aut altissimi obumbrationem? sic etenim Virginem exhilarabo, Indicabo ei statim rem illam admirandam. Accedam ergo propius, & salutabo eã, acclamabo submisse. Aue. cõmodus mihi liberioris sermonis ingressus erit, salutatio; Nam unica hæc uox, Aue, nullum apud puellam metus locum relinquet, ac mẽtem eius prius demulcebit. Hęc ille. Glossa utraque scilicet Interlinearis, & ordinaria, & optime Nycolaus de Lyra in cap. quartum Matt. D. Cyprian. serm. de ieiunio, & tentatione Domini (si tamen est eius sermo) dicit. Quia cõ iunctio naturæ diabolum obcæcarat, duplicem inquisitionem sinuosa caliditate orditur, ut de Christo. Vtrum naturalis Dei filius sit certitudinem habeat, ut cum Deum confessus se fuerit, absurdum uideatur, quod Deus esuriat, & in quamcumque partem se responsio uerterit necessitas conclusionis recurrat. Astus diaboli.

Hilarius in hom. quadam in cap. 4. Matth. refertur à Bibliotheca patrum in Dominica prima Quadragesimæ. Haymo, & Christianus Druthmarus relatus in Bibliotheca Patrum, vbi supra dicit. Vidit Diabolus Chistũ esurientem, & reputauit eum Moyse, & Elia inferiorem, de quibus tale nihil refertur. Theophilactus, Audiuit inquit vocem cœlestem latro, Rursus videt eum esurientem, & dubitat; adhuc quomodo filius Dei esuriat; ideò tentat, vt discat; Euthimius Zygabonus in capit. 4. Matth. idem docet, ergo.

Tertiò, Diabolus ex scripturis, figuris, prophetijs, cognouit aduenisse tempus Messię, sed hoc nõ potuit esse sine discursu, ergo maior est certa, quia etiã si certo non cognouit, tamen sufficit mihi, quod saltem cognouęrit probabiliter probatur minor, nam aduentus Messiæ seclusis scripturis prophetijs atque figuris omnino erat Diabolo ignotus, ergo si aliqua ratione ipsi patuit aduentus Christi hoc fuit uirtute figurarum, & prophetiarum &c. Ergo ex notis ad ignota tetendit Diaboli cognitio, sed hic est discursus ergo.

Quartò, Probatur ex eo qđ Diabolus in Passione Christi apparuit uxori Pilati, obijciens ei plurima horribilia, vt mitteret ad Pilatũ dicens. Nihil tibi, & iusto illi: Tunc enim destructionem sentiebat vt dicit. Diuus Ignatius, in Epistola 5. ad Philippenses, cognoscebat ex scripturis se destructum iri à Messia. Sic igitur sensatam habebat maiorẽ quod ipse destrui inciperet, minorem nouerat ex scripturis, ergo ipse potuit inferre, ergo hic est Messias. Cur uxor Pilati misetit, qui dice rei Nihil tibi & iusto illi.

R Quin-

Quintò, Ex illo Danielis capit. 10 Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus, hic autem Princeps fuit Angelus bonus, ita D.Hieronymus & glossa ordinaria D.Gregor. 18. moral. Nicolaus de Lyra ibidem legẽdus est Incognitus in Psalm. versiculo. 17. Et Iulius Sirenius lib. 5. de fato cap. 5. Pugnabant ergo isti duo Angeli boni, quia alter putabat bonum esse, quod manerent captiui Iudei in Perside, alter liberationẽ procurabat. Et isti Angeli, contra mentem non contendebant, quia erant boni, ergo ex varijs rationibus adducebant, ad impediendum se mutuo. Angelus Persarum, quia vt dicit Gregorius ex mora Iudeorum in captiuitate, conuertebantur aliqui ex Persis, ideo ipse colligebat, bonum est manere in Perside, alter vero multos Iudeorum ad Idola deflecti cernens, dicebat malum est manere in Perside.

Sextò, fit inter Angelos preliũ, & lucta, ergo putãt se posse vincere, Et explorata ipsis non est victoria. Quod si Angeli boni præuideant certo victoriam in Verbo, tamen mali non præuident suum excidium, sed pugnãt sperantes se posse vincere propter suã potestatẽ, ergo ex noto colligunt ignotũ. Maior patet Apoc. cap. 12. & ex Ruperto Abb. libro de victoria Verbi Dei cap. 8. & 9. Fit inquit in campo institiæ, & in conflictu iudicij ipso Iudice, ac spectatore Deo, inter Angelos bonos, et malos pugna, malus pugnat accusando, bonus autem defendendo.

Septimò, Cogitationes cordium ex effectibus, & signis colligũt, sed hoc est per discursum, ergo maior patet ex D. Augustino libro de Ecclesiast. dogmat. cap. 81. & 82. dicit: Internas animæ cogitationes diabolum non cognoscere certi sumus, motibus tamẽ corporis, eas ab illo, & affectionum indicijs colligi, experimento didicimus. & lib. 2. retractationũ cap. 30. dixi dæmones internas animæ cogitationes, cum signa quædam, ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere &c. minor patet, quia ibi est discursus, vbi est indagatio ignoti ex noto.

Octauò, Potentia discursiua in rebus obscuris, ubi clarior non illucessit notitia, est perfectio, homo enim est perfectior bruto hac de causa ergo ista perfectio Angelis non est neganda. Dices est neganda illis, quia illis debetur clarior, & perfectior cognitio. Contra nã quando non est in illis clarior cognitio non est neganda, hæc obscurior.

Diabolus sæpissime decipitur.

Nonò, Angeli boni interdum, mali uero sæpissime dicipiuntur, sed hæc deceptio non potest esse nisi per discursum, ergo maior patet ex dictis. Minor probatur, nam in cognitione intuitiua non potest esse deceptio, si enim adest obiectum, & illud uidetur quomodo possunt dicipi? ergo decipiuntur in cognitione illatiua.

Decimò, Angeli sæpe iudicant de futuris contingentibus, & ducuntur maxime experientia, potissimum Angeli mali, qui hac de causa sæpissime decipiuntur, ergo est discursus, consequentia

tia probatur, nam ab exemplis illatio est discursus.

Vndecimò, His addi posset qd Sācti Patres interdum appellāt Angelos rationales. Damasc. lib. 2. cap. 3. D. Bernardus serm. quinto in Cant. D. Gregorius in ho. de Epiphania. Hominibus ratione utentibus Angelus idest rationale animal indicare debuit. Cōmuniter etiam Philosophi substantias intellectuales rationales uocabant, & hominem ab ipsis, per mortale secernebant dicentes, homo est animal rationale mortale. Quamuis hoc argumentum non videatur habere valde magnam vim, posset enim quis dicere confundi rationale cum intellectuali, vel Sanctos Patres abusos esse nominibus, quomodo, & D. Hieronymus in sua Regula ad Eustochium Angelos visus est appellare risibiles, dicens, Ne ad risum prouocentur Angelici spiritus.

SECTIO II.

Tolluntur, responsiones contra ea, quæ supra dicta sunt.



His rationibus tripliciter solent respondere Doctores primæ sententiæ.

Primò non indigere Angelos discursu propter supernaturalium cognitionē, quia Angeli quidē boni de supernaturalibus, quæ scire debent, illuminātur à Deo, mediate, vel immediate. Mali autem supernaturalia cognoscere non laborant, ita D. Tho. dicit de Verit. quæst. 8. artic. 15. Sed contra ex illo Dan. 10. patet nō semper reuelari Angelis bonis statim Dei voluntatem, ideo alteri alter resistit. Quoad malos patet, Dæmonem maxime laborasse, vt cognosceret, num Christus esset Deus.

Secundò, respondent. Quod licet. Angeli unum cognoscāt per aliud, non tamen discurrunt, quia etiam Deus omnia cognoscit per suam substantiam, nec tamen discurrit, ita Capreolus, Caietanus. Ratio autem cur nō discurrant est, quia causam vident in effectu, vel è contra; sed hæc responsio in multis quidem est vera, maxime in naturalibus, In alijs autem non placet vniuersaliter, nam dęmon in ieiunio Christi non vidit diuinitatem, quia etiam alij ieiunarunt quadraginta diebus & qnadraginta, noctibus, qui non erant Dij, vt Moses, Elias, Idem dici pōt de alijs signis, atque miraculis Christi, causæ enim supernaturales, quia cum effectibus, qui fiunt supernaturaliter quidem, sed in natura non sunt ita connexę, sicuti etiam naturales cum effectibus naturalibus. Huc accedit, quod plurimę dantur causæ indeterminatæ.

Tertiò, Respondent quo ad cogitationes cordium, si bonę sunt cognosci per meritum, si malæ qui demeritum, & hoc sine discur

ſu;quia unũ vident in alio,ita D.Thom.vbi ſupra, quæ doctrina optima,atque Angelica eſt,tamen ſubdunt D.Thom.& diſcipuli, quod abſtrahendo a ratione meriti, uel demeriti, vident cogitationes per ſigna,& in ſignis cauſas, ſed tantùm in genere.Quare ſaltem dęmon nõ contendet viribus omnibus, vt cognoſcat cauſas,etiam in ſpecie? vt poſt quam cognouerit malam voluntatem quoad obiectum conetur illum in peccatum illud actu perpetrãdum impellere. Dices non contendet, quia cogitationes cordiũ cognoſcere non poteſt.Sed contra nam dum emittunt ſigna sẽſibilia,poſſunt cognoſci, & ex illis effectibus argumentari poſſunt ad cauſas.

Ad argumenta primæ ſententiæ patet, quid ſit dicendum, quia confirmant noſtram primam concluſionem. Tamen quia tertium,& quartum uidentur impugnare,& noſtram ſententiã, ideo reſpondendum eſt. Quod diſcurrere quoad naturaliter cognoſcibilia, ſeu quoad naturalia dicit imperfectionem; tamen diſcurſus in rebus, quæ ſciri non poſſunt naturaliter dicit perfectioné, nam melius eſt quædam cognoſcere per diſcurſum, quã omnino non cognoſcere. De ratione autem diſcurſus non eſt, quod pendeat intellectus a phantaſmatibus, ſed ſatis eſt, quod ſit indagatio ignoti ex noto.

Quomodo diſcurſus etiam in Angelis dicat perfectionem.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ. Ad primum, Reſpon.non ſemper ubi ſunt duo,quorum alterum habeat rationem cauſæ,alterum uero effectus debent per diſcurſum cognoſci. nam Deus cognoſcit omnes cauſas,& omnes effectus,non tamen diſcurrit, nec ſufficit prioritas naturæ in diſcurſu; ſed etiã requiritur prioritas temporis, ut prius cognoſcantur præmiſſarum, aliquæ, & ex ui illarum deinde inferatur concluſio, vt explicatur in libro 1. poſt text. 3.

Ad Secundum patet ex dictis, & ſolutum eſt argumentum a D.Th. ubi ſupra.

Ad Tertium,Reſpon.ad diſcurſum non ſufficit,quod ſucceſſiue multa cognoſcantur,ſed requiritur, ut ex uno cognoſcatur aliud ſcilicet concluſio propter præmiſſas.

Ad Quartum, Reſpon. nego min.quo ad ea, quæ in natura determinata ſunt,& quæ naturaliter cognoſcuntur ab Angelis. Ad probationem Reſpon. ex Capreolo non ſequitur infinitas intellectionis,ſed tantum finitas;quia per eandem ſpeciem in ſua cauſa vident omnes Ecclypſes.

Ad Quintum patet ex dictis.

Non poſſẽt Angeli rebus ſibi primam operationẽ notis ad libitum diſcurrere.

Quærunt nonnulli, an ſaltem Angeli ad libitum ſuum, & pro ſua libertate poſſint diſcurrere de rebus naturaliter notis, quę alioqui intelligunt,ſine diſcurſu.Reſpondendum eſt non poſſe, quia licet de re nota conficerent, Verbi gratia ſillogiſmum,tamen ille non eſſet cauſa aſſenſus concluſionis.

Ex ijs etiam patet quoad ea,quę naturaliter cognoſcunt,& quę non

non cognoſcunt' diſcurrendo non egere compoſitione uel diuiſione. Quoad ea uerò quæ cognoſcunt diſcurrendo, poſſe componere, & diuidere, non quidem, ut propoſitiones uocales componant, neque ſillogiſmos in forma conficiant, iuxta Ariſtotelis regulas, atque precepta; ſed tamen mente plurima nota componere, quæ poſſint cauſaliter inferre notitiam concluſionis.

Quomodo in intellectu Angelorum ſit admittenda cōpoſitio uel diuiſio.

DISPVTATIO VII.

An in intellectu Angelorum poſsit ineſſe veritas, & falſitas.

Veritas duplex.

NOtandum eſt ueritatem eſſe duplicē aliā, quæ tranſcendentalis dicitur, ſeu incomplexa, quæ eſt paſſio entis. & hæc ſicuti eſt in omnibus rebus hoc ipſo, quod entia ſunt, ita etiam eſt ſemper in intellectu, tum Angelorum, tum etiam hominū hoc ipſo, quod iſti intellectus entia ſunt. Aliam autem, quæ eſt paſſio intellectus, quę maxime apparet in ſecunda operatione intellectus, quę complexa dicitur.

Hęc autem ueritas, quę eſt paſſio intellectus repperitur in omnibus tribus operationibus intellectus, ſeorſim ſumptis; ſed non eodem modo. In ſecunda enim operatione, quæ eſt compoſitio, ſeu diuiſio, maxime apparet per ſe ueritas, uel falſitas, quæ maxime eſt, ut dicitur 4.met.text.17. & 9.met.text.21.& 22.quando id de re enunciatur, quod eſt uel non eſt in re.

In prima operatione non eſt ueritas, neque falſitas complexa formaliter, quia ibi non eſt affirmatio, aut negatio, in qua cōſiſtit uerum & falſum formaliter. Eſt tamen ibi ueritas magis, quā falſitas, nam ut dicit Ariſtoteles 9.met.text.22. Circa quod quid eſt, quod pertinet ad primam operationem non eſt decipi, niſi ſecundum accidens. Veritas autem eſt, quia vere aliquid concipit, falſitas verò eſt, quia interdum aliter rem concipit, quam ſe habeat illa res; ideo dicitur ſecūdum accidens, ideſt, virtualiter, quatenus, vt doctores exponunt, per ſermonem complexum exponitur prima operatio, ſed mihi magis placet hæc expoſitio per accidens, ideſt, quatenus intellectus non attingit ipſam quidditatem, ſed eius loco aliquid aliud.

In prima operatione magis eſt veritas quam falſitas.

In Tertia, operatione ineſt veritas, & falſitas per deductionem concluſionis veræ, uel falſę, quia in concluſione, ineſt compoſitio, aut diuiſio; qua aliquid de ſubiecto affirmatur, vel negatur.

Notandum, Secundò. Quod aliud eſt quærere. An in intellectu An-

Angelorum ſit falſitas, aliud, an ſit in ipſis ignorantia. Et quia po-
Ignorantia duplex. teſt eſſe ignorantia, abſque falſitate. Duplex enim eſt ignorantia, alia ſimplicis negationis, quæ eſt neſcientia rerum, ſeu negatio cognitionis, & hæc ſinè dubio eſt in Angelis, quia ipſi de facto vniuerſa non cognoſcunt, nec etiam cognoſcere tenentur. Alia autem eſt ignorantia prauæ diſpoſitionis, quæ eſt in mala compoſitione, ſeu diuiſione, vel in mala deductione; & in hac ſecunda ignorantia ineſt falſitas, in prima non ineſt.

Notandum, Tertiò, quod quæſtio poteſt intelligi de veritate & falſitate intellectus practici, vel ſpeculatiui. Et quomodo infra cũ de peccato Angelorum erit quæſtio de practici intellectus falſitate, hic tantum de ſpeculatiua agemus.

D.Thom.p.p.q.58.artic.quinto diſtinguit, obiecta, quæ ab Angelis intelliguntur in naturalia, & ſupernaturalia, Rurſus diſtinguit, Angelos bonos a malis, Et dicit in intellectu bonorum Angelorum non eſſe falſitatem, quia res naturales intelligunt, per primã operationẽ de ſupernaturalibus aut nõ iudicant, niſi ſalua diſpoſitione diuina. Mali autem Demones decipiuntur iudicantes de ſupernaturalibus etiam ſecluſa diſpoſitione diuina, Quam doctrinam ſequuntur, Thomiſtæ, vt Caietanus (qui in expoſitione huius articuli maxime inconſtans eſt; duplicem enim ponit cõpoſitionem in operationib. intellectus, aliam ex parte modi cognoſcendi, aliam ex parte rei cognitæ; & dicit quallibet iſtarum ſufficere ad veritatem, vel falſitatem; infra verò aduertit in ſola compoſitione, ex parte modi eſſe veritatem, vel falſitatem proprie) optime explicat, quod etiam in intellectione, ſupernaturaliũ intelligunt per primam operationem, quia Deus illa reuelat, ſupernaturalia autem ipſi percipiunt, ſecundum naturalem modũ intelligendi.

Gregorius Valentia p.p.diſp.9.de modo cognitionis, Angelorũ puncto.4.dicit non bene aſſignatam eſſe rationem à D.Tho. quare in intellectu Angelorũ non ſit falſitas, ex, eo quod intelligunt per ſimplicem apprehenſionem, Quod probat.

Primò, Quia vt ipſemet D.Tho.dicit, etiam in prima operatione, poteſt aliquo modo eſſe veritas, & falſitas.

Secundò, Quia virtualiter cõtinet compoſitionem, aut negationem, quatenus explicari poteſt prima operatio per affirmationem, & negationem.

Tertiò, Quia in prima operatione eſt iudicium, uel ſaltem, eſſe poteſt, quod res talis ſit, qualis eſt concepta.

Quartò, Quia de facto non obſtante hac ſimplici apprehenſione, eſt tamen in intellectu Angelorum, quoad ſupernaturalia aliquando, falſitas, ergo.

Dicit ergo. Petendam eſſe rationem ex perfectione luminis Angelorum, ſeu ex perfectione ſpecierum; ſed tamẽ iſtæ rationes non tollunt difficultatem, primo, nam non obſtante hac perfectione

ne

ne luminis, & specierum, decipiuntur circa supernaturalia secundo. Quia D. Tho. vult Angelos cognoscere per primam operationem, ex perfectione intellectus, ipsorum, vt supra patuit. Per inde est igitur huius rei causā assignare, ex eo, qđ intelligit absq; discursu, & absque compositione, & diuisione, uel ex eo quod in intellectus ipsorum sit perfectus, nam vnum oritur ex alio. Vt autem nos ex nostra sententia quæstionem dissoluamus, sit.

Prima, cōclusio. In intellectu Angelorum bonorum quo ad ea, quæ naturaliter cognoscunt, non potest inesse falsitas: hanc conclusionem optime probat fundamentum D. Tho.

Secūda, conclusio. In intellectu Angelorum, quo ad ea obiecta quæ ab ipsis intelliguntur per discursum, ut supra diximus, potest inesse fasitas, probatur. Quomodo in Angelis possit esse falsitas.

Primò, quia Angeli maxime mali sępissime decipiuntur, temere iudicantes, tum de supernaturalibus, ut D. Tho. Tum de futuris contingentibus, quorum cognitionem sibi usurpant, Tum de cogitationibus cordium. lege D. Augustinum lib. de diuinatione dæmonum.

Secundò, Quia inter naturalia, & supernaturalia, non est necessaria, neque intrinseca connexio, ergo in deductione unius ex alio, possunt interdum decipi; Ita etiam in compositione. Verbi gratia dicentes, Christus non est Deus &c.

Tertiò, Ex illo Daniel. 10. Princeps regni Persarum &c. nam dum resistebat, putabat se benefacere, Alter etiam Angelus putabat se benefacere, & ita dicebat alter, debent in captiuitate manere; alter negabat; Alter ergo ipsorum decipiebatur.

His tamen addo rarissime Angelos bonos decipi; tum propter illuminationes frequentes, quas habent; Tum propter acumen intellectus, Tum propter bene ordinatam uoluntatem, quia in rebus ignotis iudicium suspendunt, nec præcipites, sicuti dæmones feruntur in determinatam rerum decisionem, quòd ita sit, uel non sit, & numquam pertinaciter contendunt.

Ad argumenta Valentiæ facile est respondere ex dictis.

DISPVTATIO VIII.

Vtrum Angeli cognoscant omnia per suam substantiam, an saltem aliqua, & quæ.



Aec quæstio est, ut exprimatur medium, quo Angeli res cognoscunt, unde patet distinctam esse hanc quæstionem ab ea. An intelligere Angeli sit eius essentia, De hac autem re agit D. Tho. p. p. q. 55. art. primo. Doctores uero in uarias sententias diuisi sunt, quos referemus in quæstione sequenti alij. n. dīt Angelos omnia cogno-

cognoſcere per ſuam ſubſtantiam, alij per ſpecies, alii ſpecies negant; alii dicunt Angelum cognoſcere ſeipſum per eſſentiam; Deum etiam per ſuam eſſentiam, alios autem per ſpecies.

Optima D. Tho. ratio. D. Tho. ubi ſupra probat Angelos non cognoſcere omnia per ſuam eſſentiã, hac ratione; Ad hoc, ut Angelus cognoſceret omnia, per ſuam eſſentiam, deberet eſſentia continere ſub ſe omnia illa, ad quæ ſe extendit potentia, ſed eſſentia Angeli non poteſt cõtinere ſub ſe omnia illa, ad quæ potentia ſe extendit; quia intellectus ſe extendit ad omnia, quia habet pro obiecto ens, & uerum: eſſentia autem non poteſt continere ſub ſe omnia; Tum quia eſt finita, Tum quia hoc eſt proprium diuinæ eſſentiæ. Maior probatur, quia id, quo intellectus intelligit eſt forma; ſi autẽ debet omnia intelligere per illam formam, illa forma debet explere potentiam, quòd probat exemplo potentiæ materiæ, quæ quia per nullam formam expletur, ideo ſemper appetit alias formas.

Hanc autem rationem impugnat Valentia q. 6. de medio cognitionis Ang. puncto primo tamquam infirmam.

Obiectiones contra rationem. D.Tho. Primo, Quia quemadmodum ſpecies intelligibiles unius rei, puta leonis explet intellectum reſpectu illius obiecti particularis, Verbi gratia leonis, etiam ſi neque formaliter, neque eminenter contineat leonem, quia ſpecies eſt accidens, leo eſt ſubſtantia, ſed ſolum habet modum quendam perfectionis, quo poſſit repreſentare leonem; ita poſſet aliqua ſpecies produci a Deo, quæ licet perfectionem omnium rerum, nec formaliter, nec eminenter haberet, tamen poſſet omnia repreſentare. Nec poteſt probari, quòd de facto non ſit talis effecta natura Angeli.

Secundò, Quia non videtur eſſe minus, imò maius, quod aliqua potẽtia de facto ſeſe extẽdat ad omnia, & quod poſſit omnia intelligere, quam quod poſſit dari aliquid, quod tamquam ſpecies repreſentet, ſed illud de facto datur, ſicuti potẽtia intellectiua, ergo etiam hoc dari poteſt.

Tertiò, Etiam ſi Angelorum eſſentia eminenter contineat aliquid, tamen non ſequitur, quod Angelus per eſſentiam ſuam illud intelligat, ergo non bene, D.Thom. ex eo quod non continẽtur omnia in eſſentia Angelorum, negauit Angelos intelligere per ſuam ſubſtantiam: antecedens patet, nam eſſentia Angeli eminenter continet aurum, argentum, plumbum, hęc autem omnia non intelligunt Angeli, per ſuam ſubſtantiam, ſed per ſpecies.

Quartò, exemplum D.Th. de materia non eſt ſimile, nam materia eſt, vt actu habeat ipſas formas ſubſtantiales realiter; non aũt, vt habeat perfectiones ipſarum, abſque formis; atque ideo non expletur eius potẽtia. Poteritia verò intellectus nõ eſt ad habendas perfectiores rerum intelligibilium realiter, & ſecundum ſe, ſed ad cognoſcendum illas per ordinem, quendam peculiarẽ, quem habet ad eas, vt potentiæ ad obiecta.

Et

Et ex ijs colligit, quod sufficeret illi, scilicet, intellectui species, aliqua, quæ non haberet perfectiones omnium, sed ordinē quendam ad omnia talem, qualis requiritur in specie intelligibili.

Sed Valentianus ille discursus in multis deficit.

Primò, Quia ipse nō attulit meliorē modū, quo possit id saluari. Defenditur ratio S. Th.

Secundò, Quia cum debuisset inferre, quod sufficeret essentia cum ordine tali ad omnia, qualem requirit species, intulit, quod sufficere posset species aliqua cum tali ordine, nam species intrinsece refertur ad ea, cuius est species, vt imago, & deinde refertur ad intellectum, vt actus primus illius.

Tertiò, Quia impugnat exemplum allatum à D.Th. de materia, quod quidem in omnibus nō est simile, neque vt tale à D.Tho. affertur, est tñ valde aptum ad rem declarandam, si non fm quandā uniuocationē, sed fm proportionem intelligatur. Quod sicut forma materiam actuat, tamen potentialitatem omnem non explet, quia maior est potētia materiæ, quam actualitas formæ. Ita etiam essentia, quæ deberet inseruire loco formæ intelligibilis, deberet explere totam potentialitatem intellectiuam, respectu omnium obiectorum, cōstituendo, scilicet ipsum intellectum in actu primo respectu omnium intelligibilium, hoc enim est explere illam potentiam intellectiuam. Non potest autem essentia in ratione formæ intelligibilis, constituere intellectum Angeli in actu primo respectu omnium intelligibilium, nisi in ratione ideæ repræsentet omnia. Essentia autem, quæ omnia repræsentat, debet continere in se siue formaliter, siue eminenter ea, quæ repræsentat. Pro cuius intellectione est diligenter considerandum, quod alia ratione philosophandum est de specie intelligibili, alia de essentia, quæ gerit uicem speciei. Nam speciei intelligibilis esse consideratur, in repræsentando magis, quam in essendo, & quoad hoc esse, species dicitur continere obiectum in repræsentando. Essentia, autem quia eatenus repræsentat, quatenus est essentia, idest quæ quoad entitatem suam etiam repræsentat, debet non solum in repræsentando, sed etiam in essendo continere, perfectionem obiectorum.

Nec valet dicere, potest illi essentiæ addi ordo ad obiecta. Nam nō potest intelligi, quomodo illi essentiæ realiter addatur hic ordo, qui est relatio, nisi reale aliquod fundamentum addatur ipsi essentiæ, quod si reale aliquod addatur, iam igitur essentia per illud reale repræsentabit, non ergo essentia, ut essentia obiecta repræsentabit. Quod si ille ordo intelligatur ordo rationis, & relatio rationis, uix explicabitur, quomodo essentia per aliquam relationem rationis tantum realiter repræsentet obiecta. Neque afferatur nobis instantia de ideis diuinis, quæ sunt relationes rationis, seu quę explicantur per relationes rationis; nam ratio, cur illæ relationes sint rationis, est summa simplicitas diuina, quę Angelis non competit.

S Quartò,

Quartò,Quia rationes ipsius friuolæ sunt,ideo.

Soluuntur obiectiones contra D. Tho.

Ad primam,Respon. Quemadmodum species,cuius esse præcipue consideratur quo ad repræsentationem; secundum hoc esse dicitur continere leonem representatiue, seu similitudinarie, quamuis non realiter; Ita essentia,quæ quo ad suum esse deberet representare, deberet etiam quo ad entitatem continere obiectum, scilicet eminenter, uel uirtualiter. Quod autem dicitur, quòd sufficeret ille ordo ad obiecta repræsentanda, patet ex supradictis,quod illa essentia,non ut essentia repræsentaret.

Ad illud autem, quòd dicitur,quòd non potest euidenter probari, quòd ita, non sit,Respon.nec ipse,non solum euidenter,sed ne probabiliter quidem ostendit, quòd ita res sit, Dico tamen satis euidenter,quamuis non demonstratiue colligi ex eo,quòd essentia quoad suum esse deberet esse species,ergo quoad suum esse deberet esse ordinata ad obiecta repræsentanda, quod autem ita est,quoad suum esse,debet obiecta continere.

Ad secundam,Respon. potentia intellectiua ad obiecta comparatur, ut potentia, ipsa uero essentia, ut species comparatur ut forma, & ut actus,magis autem est,quod aliquid sit actu tale,quā potentia tale. Quod si deinde ipsa potentia intelligit omnia, hoc facit quatenus per speciem, seu essentiam gerentem uicem speciei,intelligitur constituta in actu primo.

Ad tertiam, Respon. D.Tho ex sola continentia non intulit representationem, sed ad hoc, ut aliquid constituat intellectum in actu primo respectu intelligibilium requisiuit, ut illud contineat omnia intelligibilia, Quod si quo ad esse suum constituit intellectum in actu primo,etiam quo ad esse suum debet continere illa.

Ad quartam,patet ex dictis.

DISPVTATIO IX.

Vtrum Angeli intelligant per species.



Otandum est, hanc quæstionem præsupponere dari species; ideo positis illis est quæstio. An Angeli intelligant per species,an per substantiam. Habetur illa quæstio in libro 2.de anima.

Prima sententia est dicentium Angelos omnia cognoscere per suam substantiam, Altis.lib.2.tract.quinto capit. quarto, dicit essentiam Angeli in hoc assimilari diuinæ essentiæ, quæ est speculum rerum omnium, Angelum autem dicit non actu semper omnia intelligere, sed tantum quando conuertit animum suum supra rem contemplandam. probatur.

Primò,

Primò, quia non implicat contradictionem quod Angeli hac ratione cognoscant, neque quod aliquid vnum representet omnia; Tum quia diuina essentia hoc facit, Tum quia Angeli aliqua cognoscunt quoad suam substantiam, sicuti Deum,& Angelos superiores, ergo etiam possunt alia cognoscere; Tum quia de facto, Angeli superiores cognoscunt per paucas species plurima obiecta: Tum quia materia omnes formas recipit, ergo aliquod vnum potest omnia representare.

Secundò, Quia, si quid obstaret, maxime quia hoc diceret nimiam perfectionem quia soli diuinæ essentiæ conuenit, sed hoc non obstat. Quia quod Angeli omnia cognoscant per suam substantiam,accidit ex imperfectione ipsorum,nam si Deus omnia per suam essentiam intelligit, est quia intellectus diuinus est idem,quod essentia diuina,quod dicit maximam perfectionē. At quod Angelus intelligat per substantiam, tanquam per speciem, est ex imperfectione ipsius:quia, cum intellectus Angeli sit distinctus à sua essentia, nisi intellectus sit informatus essentia veluti specie intelligitur Angelicus intellectus omnino cęcus.

Secunda sententia est dicentium Angelos non intelligere,neque per essentiam,neque per species: Quare omnes species intelligibiles negant, & dicunt rem cognosci tantum hoc ipso, quod præsens est in cognitione intuitiua.In cognitione uerò abstractiua, per quandam habilitatem relictam in intellectu per cognitionem intuitiuam,ita Henricus quodlib.4. quæstio.7. & quolib. quinto quæst.14. quamuis ponat habitum quendam creatum in intellectu Angelorum, quo omnia cognoscant, Ochan. 2. q.14. Gab.2.dist.3.q.2.Et communiter Nominales. Dur.2.d.3.q.6.Ioan. de Baccone 2.d.3.q.6.art. quarto,& quinto putat probabilem. Aureolus apud Cap.1.d.35.q.1.& 4.d.49.q.5. fundamentum horum est,quia species non dantur.

Tertia Sententia est dicentium, Angelos intelligere per species,ita Alen.2.p. q.23.m. 3.q.24.m.2.& 3.Diuus Tho.2.d.33.& p.p.q.55.art.2. De verit.q.8.art.8.secundo.contra gent.cap.96.quē sequntur sui Thomistæ.D.Bon.2.d.3.art.4.q.prima.Ric.dist.3.q.6. art.primo.Scotus Aegidius. Maior.Marsil.& communiter Scotistæ quamuis, hi doctores differant quoad modum explicandi, an intelligant per species concreatas,an acceptas à rebus &c.

Hic autem a nobis tantum probandum est, an Angeli intelligant per species,an per essentiam.

Prima Conclusio, Angeli non cognoscunt omnia per suam essentiam probatur.

Primò,probatur ex ratione D.Tho.supra explicata.

Secundò, Quia illud est Dei proprium, propter summam eius simplicitatem.

Tertiò,Quia si consideret essentia,vt essentia,non videtur,quo modo possit representare obiecta intelligibilia, quia quod repre-

sentat aliquod, est species illius, & quid relatiuum, essentia autem ut sic, est quid absolutum; Tū diuina essentia hoc potest, propter ideales respectus, & quia propter uoluntatem Dei, & dependentiam ad diuinum decretum referuntur omnia ad ipsam realiter; & ipsa per relationes rationis, ideo per has relationes potest cognoscere. Non sic in Angelis.

Secunda conclusio, Angeli non per solam prçsentialitatem obiecti cognoscunt, absque speciebus, probatur.

Primò, auctoritate Aristotelis, & omnium Peripat. ac Theologorum fere omnium, qui species intelligibiles admittunt.

Secundò, Quia ad uisionem requiruntur species, ergo etiam ad intellectionem, antecedens patet, ex secundo de anima.

Tertiò, Quia per solam præsentialitatem obiecti, non uidetur quomodo possit intellectus constitui in actu primo.

Quartò, Quia Angeli intelligunt etiam res materiales, quę immediate agere non possunt in intellectum Angelorum.

Quintò, Quia Angeli intelligunt etiam distantia, & ea, quæ non sunt, sed futura sunt; in istis autem non potest esse præsentialitas.

Angeli per species intelligunt.

Tertia conclusio. Angeli intelligunt per species, probatur.

Primò, auctoritate Aristotelis, & Peripat. quòd in intellectione requirunt species, sed eadem est ratio etiam de Angelis.

Secundò, Ex duabus conclusionibus. non intelligunt, neque per suam substantiam, neque per præsentialitatem obiecti immediate, ergo per species.

Tertiò, Ex D. Augustino qui sępissime has species confitetur, lib. 10. confess. capit. 10. 11. 15. lib. 11. capit. 18. lib. 10. Trinit. capit. 5. & 10 lib. 11. cap. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. lib. 13. cap. primo lib. 14. capit. 3. lib. 12. de Gen. cap. 11. 16. 23. 30.

Angeli Deū per substantiam intelligunt.

Quartò, Ex D. Dionysio lib. de diuinis nominibus cap. 3.

Quarta conclusio. Probabilius est, quòd Angelus naturaliter cognoscat Deum per suam essentiam, quia ipsamet essentia Angeli, ut dicit S. Dionys. ubi supra, est speculum diuinæ bonitatis, in quo resplendet quidquid est silentii in diuinis, Tū quia nulla species creata potest Deum repræsentare, sicuti est.

Nec dicas, Essentia Angeli non continet eminenter Deum, ergo non potest illum repræsentare, ut supra dictum est. Respondeo enim Essentiam Angeli non perfecte repræsentare, sed secundum quandam similitudinem.


Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum Respon. licet cōtradictionem non implicet, nulla tamen ratio, uel auctoritas cogit, quòd per essentiam intelligant. Imo in oppositum urget, & ratio, & auctoritas, ut patet supra neque omnia, quæ non implicant, sunt.

Ad secundum, Respon. si hoc ponitur propter imperfectionem, hæc tamen imperfectio non est ponenda in Angelis, sed reuera

uera dicit maximam perfectionem qualis in Angelis ponenda non est.

DISPVTATIO X.

Vtrum Angeli intelligant per species a rebus acceptas.



PRima sententia inter eos qui species admittunt est dicentium Angelos intelligere per species a rebus acceptas, licet non quoad omnia, saltem quoad aliqua, siue materialia, siue immaterialia. ita Alen. 2. p. suæ summæ q. 24. numero 2. & 3. Ricc. Henricus Gand. quodlibeto 5. q. 14. dicit has species esse iuuentas ad fugam difficultatum; ideo ipse eas non admittit.

In hac sententia fuit, etiam Aristoteles, & Auerr. ut patet 12. met. 51. ideo negauit in Deo cognitionem rerum infimarum, quia inquit uilesceret Dei cognitio, si notitiam rerum haberet ab ipsis; quod si Deo id tribuit, multo magis Angelis. Scot. d. 3. q. ultima qui tria dicit. primo Angelis concreatas esse species a Deo, quibus intelligant res materiales, & substantias rerum materialium genericas, uel specificas in uniuersali. Secundo dicit, quod si Angelis non essent istę species concreatæ, quod eas accipere possent a reb. Tertio dicit Angelos ab initio non habuisse a Deo spés repræsentantes indiuidua materialia, neque futura contingentia, D. Bon. conuenit cum Scoto in duobus dictis primis, Gre. d. 7. q. 5. Aureolus apud Capreolum ibid. q. 2. probatur hæc sententia.

Primò, Ex D. Augustino qui 12. de Trinit. cap. 6. dicit quando aliquod de nouo fit, nulla fit uariatio in scientia Dei, sicuti in intellectu hominum, & in cœlestibus sensibus Angelorum, & libr. 4. de Gen. ad litteram cap. 30. & 32. loquens de cognitione matutina, & uespertina dicit: Antequam res fierent, productam esse earum cognitionem in mente Angelorum, postquam autem factę sunt, cognitas fuisse ab Angelis res omnes in se ipsis.

Secundò, Intellectus humanus potest petere cognitionem a rebus, & hæc est magna perfectio, nam imperfectior esset, si hoc non posset facere homo, ergo hæc perfectio Angelis non est neganda.

Tertiò, Si Angelis non fuissent a Deo, a principio suæ creationis inditæ species ipsi potuissent eas a rebus petere, sed facultatem, quam aliquando habuerunt numquam amiserunt, quia naturalia Angelorum non corrumpuntur, ergo etiam modo habent. probatur maior, nam alioqui fuissent semper insipientes nobilissimæ substantię, quæ a nobilitate cognitionis intelligentię dicuntur.

Quartò, Quia quælibet natura materialis, & corporea, paulatim

tim per motum,& mutationem acquirit eas perfectiones quibus eget,ergo a fortiori hoc debuit Angelus posse præstare,qui maxime intellectus acumine præditus est.

Quintò, Angelus de facto ab initio creationis non cognouit omnia futura contingentia; Imo neque nunc, est enim hæc cognitio solius Dei propria; Iuxta illud Actorum cap. primo. Non est uestrum nosse tempora,uel momenta,quæ Pater posuit in sua potestate & illud Es.41. Anunciate quæ imposterum &c.ergo illa futura contingentia, quando actu sunt, cognoscit per species a rebus ipsis acceptas. Consequentia patet, quia Deus non creat nouas species in intellectu Angelorum, sed omnes ab initio increauit,ergo si per illas non intelligunt,ergo per alias:non a Deo creatas,ergo per acceptas a rebus.

Sextò, De facto res quælibet creatæ emittunt species ex se ipsis, hac enim de causa percipiuntur à sensibus nostris,& ab intellectu nostro ergo Angeli cognoscunt ipsas species,sed has non cognoscunt, per alias species, alioqui daretur species speciei, & una species repræsentaret aliam,quod est absurdum,ergo cognoscunt, illas immediate per se ipsas, ergo etiam res cognoscunt per illas species,sed ille sunt a rebus emissæ,ergo.

Septimò, Si Angelus non accipit species a rebus, ergo ita posset cognoscere absentia, sicut præsentia; ita futura, sicuti ea, quæ actu sunt, cõsequens est absurdum, ut patet supra de futuris,quoad absentia patet per D. August. opusc. de cura agenda pro mortuis cap. 15. qui dicit animas, quæ apud inferos sunt, nescire ea, quæ aguntur apud nos, sed illa audire ab ijs, qui a nobis per mortem ad ipsos transeunt. Gregorius Papa hom. 6. in Euangelia dicit; Sanctum Ioannem Baptistam annunciasse patribus in limbo aduentum Messiæ,ita etiam Euseb. Emissenus dicit,quod quando Ioannes in uinculis misit discipulos ad Christum misit, ut per illos ipse edoceri posset,an Christus personaliter esset descensurus ad inferos, ut hoc patribus in limbo nunciaret; & uidetur colligi ex illo. Ecclesiastici 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes,& illuminabo omnes sperantes in domino,doctrinam quasi prophetiam effundam &c. S. Augustinus libr. 4. de Trinitate & libro 2. de Gen. ad litteram, libr. 12. de Gen. ad litteram,& in omnibus istis libris semper cap. 17.& de diuinatione dæmonum cap. 3. 4. 5. dicit Angelos interdum uideri nunciare futura,quia cognoscunt ea,quæ in remotissimis regionibus fiunt, propter maximam illorum in motu celeritatem, & intellectus acrimoniam:signum est ergo,quod species a rebus accipiunt.

Animæ mortuorum ab animabus recens mortuorum edocentur.

S. Ioan. Baptista Patribus annunciauit Messiæ aduentum.

Cur S. Ioan. Baptista miserit discipulos ad Christũ interrogandũ.

Octauò, Si Angelus rerum omnium particularium species habuisset,sequeretur Angelum infinitas prope species habere, consequens est falsum,ergo.

Nonò, Indiuiduum,& singulare addit aliquid supra uniuersale;

le; sed species repræsentant tantum uniuersale, ergo per illas species non cognoscitur singulare. Minor patet, quia si singularium omnium darentur species, essent infinitæ. Maior patet, nam principia indiuiduantia, & existentia sunt aliquid reale, quod in specie uniuersalis non continetur: nec etiam contineri potest, quia indiuiduantia principia differunt inter sese, & sunt principium distinctionis numericæ unius indiuidui ab alio, sed quæ per unã speciem repræsentantur, sunt similia, non diuersa, ergo.

Secunda sententia est dicentium Angelos non accipere species a rebus; sed eas a Deo ab initio suæ creationis habere congenitas, & concreatas. ita Alb. secunda parte suæ summæ, & secunda distin. 3. quæstio. 15. Diuus Thomas hic, & prima parte, quæstio. 55. articulo secundo. De ueritate quæstio. 8. artic. 9. 2. contra gentes, cap. 96. 98. & 100. lectione 7. in capit. 4. Dionys. de diuinis nominibus, Bonauentura, Aegidius tract. de cognitione Angeli, quæstio. 6. & 2. dist. 3. secunda parte dist. quæst. 2. art. 2. dub. 2. Cap. d. 3. quæstio. 2. Argent. quæstio. 2. artic. 4. Caietanus, Ferarr. ubi supra. Marsil. 2. quæstio. 7. articu. primo. Valentia quæst. 6. de medio cognitionis Angelorum puncto 2. Ioann. de Baccone hic. Herueus quodlibeto 5. q. 7. licet obscure loquatur. Banes. quæ sententia placet.

Conclusio unica, Angeli cognoscũt per species a Deo sibi congenitas, & concreatas, probatur. Angeli non accipiũt species a rebus.

Primò D. Dionys. cap. 7. de diuinis nominibus Angeli, inquit, illuminantur a Deo rationibus rerum, & inuisibilibus, & sensibilibus non congregant cognitionem, Dices D. Dionys. in eodem cap. dicit Angeli sciunt ea, quæ sunt in terra secundum propriam naturam mentis, ergo non putat Angelos intelligere per species. Respon. Aliqui ex illa auctoritate putant inferri, quod Angeli cognoscant res per suam substantiam, sed male; nam illud secũdum propriam naturam non intelligit de medio cognitionis, sed quod ad Angelos, secundum propriam naturam spectet intelligere ea, quæ sunt in terra hoc ipso, quod mundum dirigunt.

Secundò, Ex illo axiomate Dionysij, quo sæpissime utitur D. Thom. qd Angeli sunt, sicut corpora cælestia, quæ scilicet habent omnem suam perfectionem ab initio, ita ergo debuerunt Angeli habere intellectum efformatum per species. Non enim, ut dicit Sanctus Basilius hom. 8. in Psalmum 32. Infantes natura creati sunt Angeli, ut paullatim per incrementa perficerentur.

Tertiò, Et est fere idem argumentum quia alioqui sequeretur Angelos, sapientissimas scilicet substantias, ab initio fuisse insipientes.

Quartò, Medium, quo Angeli cognoscunt, debet esse proportionatum intellectui ipsorum Angelorũ, sed Angeli sunt substantiæ spirituales omnino a corpore independentes, ergo etiam medium, quo cognoscunt, debet esse tale, scilicet spirituale, & indepen-

pendens a corporibus, sed si species accipiantur a rebus non erũt independentes, ergo. Confirmatur quia propter eandem causam, quia intellectus noster spiritualis est, requiritur etiam species spiritualis, & immaterialis, tertio de anima 17. &c.

Quintò, Quia alioqui sequeretur obiectum materiale, & corporeum, immediate agere in intellectum spiritualem, & incorporeum, sed hoc est absurdum, ergo. sequela est apertissima, minor probatur, quia inter agens, & passum debet esse proportio, sed inter immateriale, & materiale, nulla est proportio, ergo. Intellectus autem est patiens, dum recipit speciem, obiectum uero agẽs, ut patet secundo de anima.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum Respon. illa loca Aristotelis, & Auerrois uarie a uariis explicari, tamẽ dico, quod si Aristoteles id sensit, deceptus est; neq; nos mouere debet quoad hoc Aristotelis auctorit.s quia etiam, per aduersarios ibi loquitur de Deo.

Ad secundum Respon. cum Diuus Augustinus, dicit Angelos in uespertina cognitione cognoscere res in se ipsis, non negare species, sed illas supponere, quia per illas fit cognitio in Angelis, & per illas Angeli res in se ipsis cognoscunt.

Ad tertium Respon. Non ualere consequentiam. Homo accipit species a rebus, ergo etiam Angeli, quia quod homo accipiat species a rebus, dicit perfectionem, sed mixtam cum imperfectione: hęc autem imperfectio neganda est Angelis, ut diximus cum de discursu.

Ad quartum Respon. nisi species essent congenitę, tunc Angeli non possent cognoscere res, hoc autem non est absurdum, quia etiam si creati essent absque intellectu, non esset absurdum, si non intelligerent. Quod si aduersariis uideatur absurdum, hoc nascetur ex absurdo supposito. neque enim mirum est, si dato uno inconuenienti, plura sequuntur.

Ad quintum patebit cum de cognitione futurorum contingentium agemus.

Ad sextum, Respon. species, quas res creatæ emittunt, ex se, esse materiales, & corporeas: ideo nihil mirum esse, si intelligere non possint Angeli per illas. Dico tamen illas species ab Angelis cognosci, quia etiam illę representabantur a speciebus Angelicis, sed tunc habent rationem obiecti cogniti. Angelorum, non aũt medij. Dices ergo datur species spẽi, quod. s. una species representetur per aliam, hoc autem est absurdum, quia daretur processus in infinitum. Respondeo in hoc sensu dari speciem speciei, quod est unam speciem per aliam representari; non autem in eo sensu, ut una species aliam producat, & alia aliam, quia tũc daretur processus in infinitum, species ergo Angelorum, ut perfectissimæ etiam ipsas species representant.

Species Angelorum representant species rerũ sensibilium.

Ad septimum, Respondetur negando consequentiam, sed huius rei

ius rei rationem melius assignabimus in quæstione; An cognoscant Angeli futura contingentia.

Ad octauum, Respon. Quoniam res creatæ sunt plurimæ quidem, sed tamen finitæ, ideo non sequi esse infinitas species in Angelis. Multo uero minus sequitur, quia Angeli intelligunt per species uniuersales, & ita una species plurima obiecta representat.

Ad ultimum, Respon. licet suppositum, entitatem aliquam addat supra naturam, tamen speciem representare, non solum essentias rerum, sed etiam indiuidua, & existentiam, & conditiones indiuiduantes ipsorum. Quare non est danda species, quæ solam naturam, & alia, quæ solum suppositum representet. Hæc autem clariora fient cum quæremus. An Angeli superiores intelligant per species uniuersaliores.

DISPVTATIO XI.

An istæ species possint ita Angelis dici connaturales, ut fluant ab essentia ipsorum.

PRima sententia est dicentium species hasce esse Angelis connaturales, & fluere ab essentia ipsorum, sicuti passio ab essentia, & potentia ab anima, ueluti ab efficienti, sumpta causa efficienti latiore modo, siue istas species ex naturali sequela, concomitari naturam ipsorum Angelorum, ita Capreolus 2. d. 3. q. 2. conclusione 3. ad tertium Scoti, quem sequitur Valentia de medio cognitionis Angelorum q. 6. puncto 3. Banes in p. p. D. Tho. q. 55. art. 2. dubio 2. quamuis hic aliter uideatur explicare, quomodo sint cõnaturales, & dicit esse connaturales ex parte principii passiui, non actiui, idest quia intellectus ipsorũ Angelorum est, ex natura sua aptus ad species, & postulat ipsas species, quomodo etiam motus circularis dicitur cœlo connaturalis, sed ex parte principii passiui, Valentia etiam dicit esse sicuti dixit Apostolus, nos natura filios iræ, quia cum peccato, & offensa Dei concipimur. probatur hæc sententia.

Primò, quia quod simul incipit cum natura alicuius, est illi cõnaturale, sed istę species a Deo concreatæ fuerunt ipsis Angelis, ergo.

Secundò, quod ita cum aliqua natura ortum habet, ut sequatur conditionem, & perfectionem naturæ, dicitur connaturale; sed istæ species sunt huiusmodi, quia ut infra patebit, superiores intelligunt per species uniuersaliores, ergo.

Tertiò, Quia D. Tho. p. p. q. 54. art. 4. ad primum dicit, quod in

Angelo non generatur scientia, sed quod naturaliter illi inest, & q. 55.art. 3. ad primum dicit, quod ordine naturæ uniuersales rerum species prius sunt in intellectu Angelorum, quam in rebus ipsis.

Quartò, Quia alias sequitur, quod Angelus esset homine imperfectior quoad cognitionem, quia si species darentur Angelo ab extrinseco sicuti etiam homini, qui illas emendicat ab obiectis, ita se passiue haberet Angelus ad species, sicuti homo; & in hoc essent pares, sed cum homo possit species a rebus accipere, Angelus non possit; homo quoad hoc esset melioris conditionis, nam Angelus conditus in puris naturalibus, nihil posset intelligere.

Quintò, Si quis intuitiue cognosceret Angelum, cognosceret etiam, quod ille Angelus est in potentia proxima respectu aliarum rerum, ergo ex natura sua debet posse exire in actum secundum.

Sextò, Ex duobus corporibus diaphanis, illud corpus erit nobilius, quod lucem habebit, quam luce carēs, ergo etiam Angeli.

Septimò, Sequitur, quod si Deus crearet Angelum præcise, quod illi non concrearet speciem intelligibilem, hoc est absurdum, ergo.

Octauò, Quia sequitur, quod illa ratio famosissima D. Thom. quod Angeli sunt, sicut corpora cœlestia, non concluderet, hæc argumenta leguntur apud Banem supra.

Secunda sententia est Ferarr. libro secundo contra gentes, cap. 98. qui dicit species Angelorum non fluere ab essentia ipsorum, sed a Deo extrinsece esse illis congenitas. quæ sententia mihi etiam certissima, atque uerissima uidetur. Nunc igitur certa ab incertis separemus.

Certum est primo, quod intellectus Angelorum est natura sua maxime aptus ad recipiendas species, & etiam quo ad intellectionem indiget ipsis speciebus.

Certum est secundo, quod ipse species a Deo sunt creatæ in Angelis, quod sæpissime habet Diuus Thomas, & est communis doctrina.

Certum est tertio, posse dici species Angelis cōnaturales, si per connaturale intelligatur id, quod secundum principia naturæ alicui conueniens est, nunc uidendum est; an ita dici possint connaturales, ut possint dici fluere ab essentia ipsorum.

Species Angelorū non fluunt ab essentia ipsorum.

Conclusio decisiua. Species Angelorum non possunt dici fluere ab essentia ipsorum, neque illis esse connaturales, tamquam passiones. Probatur conclusio.

Primò, Quia ut ex D. Augustino, dicit D. Thom. p. p. quæst. 55. art. 2. ad primum, species Angelorum sunt a Deo, ergo non profluunt ab essentia.

Secundò, Si dicerentur illis connaturales, tamquam passiones, uel

vel ex hoc, quia sunt coęuæ ipsis Angelis: uel, quia hoc postulat ipsorum natura: uel quia sunt ipsis debitę ratione principij passiui: uel quia sunt secundum proportionem naturæ, sed nullum horum cogit dicere, quod species ab essentia fluant, ergo.

Non primum, quia sint coæuæ, & simul cum ipsa natura; nam secundum ueriorem opinionem Angeli conditi fuerunt in gratia, tamen gratia non dicitur illis connaturalis, quia est omnino supernaturalis.

Non secundum, quia hoc postulet ipsorum natura. Et quidem non contenderem de hoc, si ita diceretur, naturam ipsorum postulare ex principiis intrinsecis, sicuti homo risibilis esse postulat ex sua natura, nam neque ita aduersarij sumunt, sed dicunt, quod postulant Angeli species ex natura sua. s. quia Angeli intelligibiles sunt, non possent autem intelligere sine speciebus, nam etiam intellectus hominum ex natura sua postulat species, quibus intelligat, licet non a Deo, cum ipsa natura congenitas habeat, sed acquisitas a rebus. Ita etiam homo ex natura sua postulat ambulare, neque tamen est propria passio hominis, ut homo est.

Non ex eo, quod illis conueniant species ex ratione principii passiui; quæ ratio coincidit cum superiore, quia hoc nihil est aliud dicere, nisi quod ex natura sua aptus sit ad habendum species, non autem, quod debeat necessario habere species, sicuti etiam homo est aptus discurrere, audire, loqui, non tamen habet omnia, quibus necessario debeat illa ista præstare.

Non ex eo quod sint ipsis Angelis datæ species secundum perfectionem naturæ; nam etiam supernaturalia data sunt Angelis secundum proportionem naturæ, & tamen supernaturalia, hoc ipso quod supernaturalia sint, non sunt Angelis naturalia.

Tertiò, Quia nulli potentiæ connaturale est id, quo ipsa potentia constituitur in actu primo, uoco autem connaturale, quod fluit a natura, sed species sunt id, quo intellectus Angelorum constituitur in actu primo, ergo. minor est certa, etiam secundum auctores primæ sententiæ: maior probatur quia potentia, ut potentia est, dicit potius priuationem actus, ad quem ordinatur ipsa potentia; Tum quia illud, quod aliud reducit de potentia ad actũ, est actu, sm id quod aliud traducit de potẽtia ad actũ; at ipsa essentia non est actu respectu specierum, quia essentiæ, ut essentia est neque cõueniunt species, neque cõuenit actu producere species.

Quartò, Species se tenent ex parte obiecti, sed nulla potentia potest producere ea, quæ se tenent ex parte sui obiecti, neque etiã essentia potest producere ea, quæ tenent se ex parte obiecti alicuius suæ potentiæ, ergo maior patet ex analogia, tum ad species uisibiles, tum ad species intelligibiles in nobis; minor probatur, nam essentia, & potentiæ nihil aliud includunt, nisi ordinem ad obiecta, potentia quidem immediatum, essentia autem mediatum per potentias.

Quintò, Quia si Deus noluisset producere species, non fecisset illis iniuriam, quia nulla lege obligabatur ad illud.

Sextò, Quia sequitur, quod Deus non posset impedire omnē plane Angelorum intellectionē; hoc autem est absurdum, ergo probatur sequela maioris, quia, quę alicui sunt connaturalia, ut passio impediri non possunt a Deo; sunt enim ueritates per se, & propositiones ęternę ueritatis; in quibus passio de subiecto enunciatur quare non potest esse homo, quin sit risibilis; Tum quia, quando ponitur potentia in actu primo, necessario sequitur actus secundus, & licet non quoad omnia, saltem quoad aliqua eorum, in quibus est in actu primo, nisi potentia opprimatur; ut in dormientibus; hæc autem impedimenta in Angelis non essent, ergo. Dices esset impedimentū Dei nolētis. Respondeo uix hoc intelligi posse, quomō positis omnibus requisitis, impediat Deus actus naturales, sed secundo Respon. saltem sequitur, quod Deus non posset efficere Angelum, qui non esset in actu primo respectu intelligibilium, quod est absurdum; quia quæ profluunt ex principiis intrinsecis Deus non potest impedire, ut supra dixi de homine, qui non potest non esse risibilis.

Septimò, De facto intellectus Angeli non habet omnium intelligibilium species, ergo non profluunt ex naturæ principijs consequentia patet, quia si essent species ex naturæ principijs, ergo esset omnium eorum, quæ intelligi possent ab ipsa, antecedens patet, nam Angeli non habent species omnium futurorum contingentium, quia de fide est illa ab Angelis non intelligi, & tū futura contingentia sunt intelligibilia. Secundo non habent species repræsentantes cogitationes, & secreta cordium. Tertio non mysteria omnia supernaturalia. Quartò non omnes species possibiles produci a Deo, quia sunt infinitæ, & si omnium illarum species haberent, & illa omnia cognoscerent, quæ Deus potest facere, sequitur quod Deum comprehenderent.

Octauò, Si Deus ab æterno decreuisset non producere substātias, quas modo produxit, Angeli non haberent earum species, Cur enim haberent species, quæ nulli umquam futuræ essent usui? & tamen essentia Angelorum eadem esset, ergo: maior probatur, quia prius natura est obiectum esse, quā speciem, Tum quia species est propter obiectum, Tum quia species se tenet ex parte obiecti & licet interdum possit prius tempore a Deo produci species, quam obiectum, tamen natura prius est obiectum quam species, Respondet Banes, quod Angelus per illam speciem posset cognoscere ea, quæ continerentur sub genere repræsentato, per illas species, & quod de facto tot species emanassent ab Angelo, quot modo sunt in ipsis, sed contra; nam si species dantur Angelis hoc ipso, quod intelligentiæ sunt, ut sint in actu primo, & habeāt perfectionem omnem sibi conuenientem; Tunc sequitur, uel quod illa confusa cognitio, cum non sit perfecta, quod ne-

que

que ipsi Angeli sint perfecti, uel si illa perfecta est, & perfectionem dicit sequitur, quod modo sint imperfecti, non cognoscétes ea, quæ Deus potuisset facere, & non fecit.

Ad argumenta, ad primum Respond. dici connaturale, idest conforme naturæ, nō autem connaturale, ita ut fluat a natura, ut dixi de habitibus supernaturalibus coæuis ipsis Angelis.

Ad Secundum Respon. nego antecedens, ut patet in secundo argumento nostræ conclusionis.

Ad Tertium Respon. id dici a D. Tho. non quia species effluxerint ex essentia Angelorum, sed quia concreatæ fuerunt cum ipsis Angelis, qui natura prius sunt creati quam alia, iuxta illud primo omnium creata est sapientia.

Ad Quartum, Respon. negando consequentiam quia etiam si Angelorum concrearentur species, ad huc tamen seipsum per propriam substantiam intelligeret, & etiam Deum naturaliter, & Angelum superiorem, quorum cognitio nobilior esset, quam homo.

Ad Quintum, nego antecedens, quia non esset ex natura sua in actu primo respectu intelligibilium.

Ad Sextum, Respon. ex illo argumento etiam alia plurima posse poni in Angelis quæ tamen constat in ipsis non inesse.

Ad Septimum, concedo sequelam, quæ non est absurda.

Ad Octauum, Respon. esse bonam illam D. Tho. propositionem, non tamen omnes perfectiones ex illa colligi posse, quia etiam cœlum respectu suarum propriarum omnium operationum fuit in actu secundo a principio, Angeli non item; quia respectu omnium intelligibilium suprum, numquam sunt in actu secundo.

DISPVTATIO XII.

Vtrum præter species intelligibiles necessarius sit aliquis habitus in Angelorum intellectu.



Henricus quolibeto 4. q. 7. dicit præter species illas cō- creatas esse etiam in intellectu Angelorum alium habitum, quo cognoscant res, quas cognoscunt. Mihi hac in re, distinctione opus esse uidetur, quia etiā ea, quæ ab Angelis intelliguntur, distincta sunt, alia enim sunt naturalia, alia supernaturalia.

Prima conclusio, quoad obiecta supernaturalia in Angelis, præter species, quæ se tenent ex parte obiecti, necessarius est etiā habitus fidei, quo ipsorum intellectus eleuetur, illustretur, & proportionetur obiecto supernaturali, quam nostram conclusionem probant illamet argumenta, quibus etiam probatur in no-

bis

bis necessitas habituum supernaturalium fidei, spei, & Charitatis, & luminis gloriæ, quoad hoc enim par ratio est de Angelis, & de hominibus.

Secunda conclusio. Quoad obiecta naturalia non egent alio habitu, quam lumine naturali ingenito ipsi intellectui Angelico, quia omnis alius habitus superflue, & otiose poneretur. Tum quia omnes Scolastici, qui ponunt species congenitas in intellectu Angelorum, ideo ponunt, ut constituant intellectum Angelorum in actu primo, si autem esset alius habitus ante species, iam per illum habitum esset ipsorum intellectus in actu constitutus, licet non eodem modo, neque respectu eiusdem, quia species se habent ex parte obiecti, ille uero habitus se haberet ex parte potentiæ.

DISPVTATIO XIII.

Vtrum Angeli superiores intelligant per species uniuersaliores.

SECTIO I.

Explicatur quomodo dicatur Angelus superior, & species uniuersalior.



Ro tituli explicatione hic duo termini sunt explicandi. Superior, & Vniuersalior. Per superores Angelos intelligimus Angelos nobilioris digniorisq; substantiæ, quos susius explicabimus, cum de ordinum, atque hierarchiarum distinctione agemus.

Superior Angelus quis dicatur.

Per uniuersaliores autem species non intelligimus magis ab indiuiduis distantes, Sciendum enim est hic uniuersalius, non eo modo sumi, quo a logicis, qui genus magis uniuersale appellant, quam speciem; & genus generalissimum magis dicunt uniuersale, quam subalternum, quia scilicet magis distat ab indiuiduis; quare animal est uniuersalius, quam homo: uiuens, quam animal: corpus quam sentiens: substantia quam corpus; ens quam substantia. Quia quo aliquid est uniuersale magis, eo etiam magis confusum, ut colligitur ex text.3.& 4. primi Physicorum. Hic autem per uniuersaliores species intelliguntur species prestantiores, & præclariores, quæ scilicet plura clare, dilucide, & distincte repræsentent. Quare ex hoc, quod Angeli per species hac ratione uniuersaliores intelligunt, sequitur etiam, quod per pauciores species intelligant; Et quidem quomodo proprie sumantur

Vniuersaliores species quomodo dicantur.

tur istæ species uniuersaliores, controuersia maxima est inter doctores.

Caietanus, & Ferrar. locis infra citandis dicunt, quod species uniuersales repręsentant plura, sed mediate, quia repræsentant indiuidua, quatenus conueniunt in una ratione formali superiori, quia putant debere assignari aliquam unam rationem formalem obiecti, sub qua species repræsentat.

Capreolus in solutione secundi argumenti Aureoli contra septimum dicit, non esse necessarium, ut repræsentet inferiora mediante aliqua una ratione formali superiori.

Alij apud Dominicum Banes dicunt esse quidem necessariam illam rationem communem; tamen non terminare actum intellectus, sed esse rationem, sub qua intellectus percipit illa multa, quæ per illam speciem repræsentantur; in quam sententiam inclinat, & ipse Banes: sed hæc ratio non est distincta a prima, nam nullus assignaret illam speciem uniuersalem, tamquã id, in quod terminaretur actus intellectus, quia species non intelligitur ut quod, sed ut quo, quia per ipsam obiecta intelliguntur. i. non est ipsa, quæ intelligit, sed est ratio intelligendi alia. Mihi autem hac in re, aliter philosophandum uidetur esse; ut iuxta aliarum rerum, quæ alias inferiores contineant dignitatem, & excellentiam, etiam harum specierum perfectionem inuestigemus.

Notandum est igitur quod illud famosissimum axioma, quo utitur D. Tho. q. 55. art. 3. est maxima consideratione dignum, & singularem quandam philosophiam continet, est autem huiusmodi. Quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt unita. Hoc enim apparet esse uerissimum, quia, quo una species perfectior est, eo etiam imperfectiores species in se eminenter continet; ita mixtum elementa continet, Animata inanimatarum rerum perfectiones; homo animalium perfectiones. Rationalis anima continet uirtualiter sensitiuam & uegetatiuam. Aurum eminenter continet metalla cætera, ut argentum, plumbum, stamnum, cuprum, auricalcum &c. Ita & in moralibus, superior iudex inferioris iurisdictionem continet, & supremus princeps omnium sibi subditorum continet potestatem; Ita & entia supernaturalia, naturalium in se excellentiam continent; quare & instituta sunt, ut suppleant, tollantq; defectus, & imperfectiones, quę sunt in natura; Tandem Deus omnium plane entium in se perfectionem continet.

Auctoris sententia circa uniuersaliores species.

Quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sũt unita.

Cum igitur constet illud axioma esse uerissimum, uidendum est, quanam ratione ista inferiora scilicet ignobiliora in superioribus, idest nobilioribus contineãtur, sed antequam hoc præstemus, ex modo loquendi, quo mox usi sumus, colligimus quomodo species istæ uniuersaliores dicantur. Constat enim simul coniungi ista, nobilior, dignior, excellentior &c. quod autem est alio nobilius, dicitur etiam eo superius; quod autem superius est, uni-

uer-

uersalius etiam dicitur, secundum igitur illum gradum superioritatis, idest maioris perfectionis, illæ species dicuntur uniuersaliores, non uniuersaliores in prædicando, ut logici utuntur, sed uniuersaliores dicuntur in perfectione.

Nunc uideamus modum, quo inferiora in superioribus continentur. constat enim non contineri animalia in homine, metalla in auro formaliter, neque secundum proprias ipsorum inferiorum differentias, quia homo non est formaliter equus, uel asinus, uel leo, sed eminenter illa continet, ita aurum non est formaliter cuprum, uel plumbum, sed eminenter ea continet. Neque enim continentur in superiori, ueluti in una ratione formali, quæ clare, & distincte manifestet inferiora, ita ut uiso, & cognito auro uideatur distincte, & clare cuprum, uel plumbum, ex ui cognitionis auri, sed tantum illorum perfectio est in auro, & sic de singulis.

Ita ergo & de speciebus philosophandum est, & quoniam tota perfectio speciei, non tam secundum illius entitatem, quam secūdum repræsentationem desumetur; quia de ratione speciei, vt species est, est quod sit repræsentatiua; Ideo si vna species repræsentet tantum bouem, alia superior repræsentabit bouem, & equum; alia item perfectior ipsis repræsentabit bouem, equum, & leonē, alia bouem, equum, leonem, & elephantem, & sic de singulis; quare, & ista perfectior hac ratione repræsentabit plura, & propter hoc dicetur superior, & uniuersalior; In his igitur apparet, quod nō sit necesse assignare aliquam unam rōnem formalem respectu obiectorum, sub qua obiecta repræsententur, quia boui, leoni, equo, elephanto, &c. prout ab una specie repræsentantur, nulla ratio formalis assignari potest. non enim specifica, ut patet, quia per specificas non conueniunt, sed distinguuntur, neque generica, quia si esset sola generica, puta animalis, non minus repræsentaretur sub illa specie, quæ quatuor species assignatas repræsentat, ceruus, ouis, cuniculus, &c. Quam bos, leo, elephans, &c. Quia ita illa sunt animalia, sicut ista, Tota ergo ratio repræsentandi est perfectio speciei, non ratio formalis obiecti.


Perfectio speciei in quo cōsistat.

Ex hoc igitur paulo longiore discursu patet, quod una species eatenus dicitur uniuersalior, quatenus perfectior, & quod ex perfectione speciei, nō autem ex una ratione formali obiecti, est desumenda uirtus clare repræsentandi obiecta distincta, & ex hoc discursu patet, quomodo una species possit esse alia uniuersalior. Nunc ergo uideamus, an de facto ita Angeli intelligant per has species uniuersaliores.

SE-

SECTIO II.

Deciditur supra posita disputatio.


Rima sententia est Scoti 2. d. 3. quæst. 10. & Aureoli apud Cap. d. 3 q. 2. conclus. 7. ubi etiam Durandus citatur, & consequenter, omnes illi, qui putant Angelos intelligere per species a rebus acceptas. Hi dicunt etiam, quod Angeli superiores non intelligũt per species uniuersaliores; sed tantum per plures species, quę sententia, probatur.

Primò, Omnis unitas speciei desumitur ab unitate obiecti, sed obiecta cognita ab Angelis superioribus sunt plura, ergo maior probatur, quia species ut species, intrinsece est propter obiectum, & sequitur naturam ipsius obiecti, quia tota est propter repræsentandum ipsum obiectum; & nisi esset obiectum; non esset etiam species illius obiecti. Dices, Deus cognoscit omnia obiecta per unam speciem, ergo falsa est illa maior. Respon. uerum est, quod Deus omnia per unam speciem cognoscit, sed quia illa species est ipsa diuina essentia, quæ etiam est obiectum, in quo alia relucent, ideo potest per unum obiectum reliqua cognoscere.

Secundò, Ex Scoto quicquid est ratio distincte cognoscendi plura, habet unum obiectum in quo includuntur illa plura, sed illa una ratio non est unum obiectum includens uirtualiter omnes alias quidditates, secundum suam cognoscibilitatem, ergo. maior patet. Tum in diuina essentia, quæ est unum obiectum, Tum quia obiectum est mensura cognitionis.

Tertiò, Ex eodem, Angelus non potest habere unum actum adæquatum repræsentantem plures quidditates; quarum una est ratio, ergo nec per unam speciem potest simul plures quidditates intelligere, consequentia patet, quia una species habet unam rationem adequatam, maior probatur quia ille actus, nec intensiue, nec extensiue esset adæquatus illis pluribus rationibus.

Quartò, Quia ex D.Thom. quæst. 58. quæ una specie repræsentantur, unico actu intelliguntur, sed ex eodem, Angeli non possunt simul plura intelligere, ut plura. ergo una species non repræsentabit plura.

Quintò, Sequitur quod dum Angelus intelligit unum ex illis quæ per unam speciem repræsentantur, quod cogeretur necessario cognoscere omnia illa, quæ per eandem speciem repræsentantur, etiam si illa nollet intelligere, quod est absurdum, sequela, probatur, quia est Angelus in actu primo respectu omnium illorum, quæ per unam speciem repræsentantur, ergo.

Sextò, Sequitur, quod unus Angelus posset infinita cognosce-

re, quia infinita sunt, quæ continentur sub una specie, verbi gratia infinita grana arenæ, &c.

Septimò, Sequitur quod Angelus aliquis posset a Deo creari, qui omnia plane posset cognoscere per unicam tantum speciem, imo etiam per nullam; consequēs est absurdissimum, ergo probatur sequela, si enim Angelus quo est superior, eo per pauciores species intelligit, ponatur modo, quod supremus Angelus intelligat per quatuor species, creetur alius perfectior, & superior ipso, ille intelliget per tres, creetur alius perfectior, intelligit per duas, alius per unam, alius per nullam, hoc est absurdissimum, quia intelligeret ea ratione, qua Deus, ergo.

Secunda sententia est D.Thom. prima parte, quæst. 55. articu. 3. & 2. dist. 3. quæst. 3. art. 2. Secundo contra gentes cap. 96. Aegid. 2. dist. 3. secunda parte, d. dub. 3. & 4. Cap. 2. dist. quæst. 2. conclus. 7. & 8. Viguerij de uoluntate Angelica, Ver. 1. de cognitione Angelica num. 23. Bartholamæi Torres in commen. D.Th. prima parte, quęst. 30. art. 2. Adami Goddam, 3. dist. 4. quæst. 10. Ferarr. in secundo contra gentes, cap. 98. Caietani, Banes, Valentiæ, Molinæ, &c. quod superiores Angeli per uniuersaliores species intelligant.

Prima conclusio. Angeli superiores per uniuersaliores species intelligunt, probatur.

Primò, Ex Diuo Dionysio de cœlesti hierarchia, capit. 12. dicit quod Angeli superiores participant scientiam magis in uniuersali, quam inferiores, & in lib. de causis dicitur, qđ Angeli superiores habent formas magis uniuersales, quæ auctoritates citantur à D.Thom. in argumento, Sed contra, vbi supra.

Secundò, Quia quo aliquis Angelus est superior, eo est Deo uicinior, & similior: sed Deus intelligit omnia per suam solam substantiam, ergo etiam Angeli maiorem unitatem in modo cognoscendi habebunt.

Tertiò, Quia quæ sunt diuisa in inferioribus, uniuntur in superioribus, sed istę species sunt maxime diuisæ in nobis, quia a diuersis obiectis desumuntur, ergo cum ipsi non hauriant species ex rebus, sed habeant à Deo, per pauciores intelligent.

Quartò, Species Angelorum sunt perfectiores, quam nostræ, & etiam superiorum Angelorum perfectiores sunt, quam inferiorum, quia quæ infusa sunt Angelis sunt illis data secundum proportionem naturæ, sed maior, uel minor perfectio specierum desumitur penes maiorem, clarioremque repræsentationem, ergo quo perfectior erit species, eo plura repræsentabit.

Quintò, Patet exemplo sensuum, sensus enim interior, quia perfectior est, immaterialiores, & perfectiores species accipit, & unit in se, quæ dispersa erant in sensibus exterioribus, ergo multo magis spirituales substantiæ.

Sextò, Quo Angelus aliquis est superior, eo est simplicior, & actuatior, sed quo aliquid est huiusmodi, eo minorem compositio-

tionem habet,ergo.maior patet,quia magis accedit ad Dei similitudinem,qui simplicissimus est,minor probatur, quia quo plures species multiplicantur,eo plura accidentia in ipsis ponuntur,quę compositionem efficiunt.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum nego maiorem, quia unitas speciei desumitur ex entitate ipsius, cum qua unitas ipsa conuertitur,quia ens,& unum conuertuntur. Ad probationem.Respon.speciem dici sequi naturam obiecti, quia species ipsum repræsentat,tamen nō ita sequitur obiectum, ut habeat entitatem illius,quia obiectum est substantia, species est accidens.

Ad secundum nego maiorem. ad probationem, Respon.diuinam essentiam esse,& obiectum, & rationem cognoscendi.

Ad instantiam, Respon. eatenus obiectum dici esse mensura cognitionis; quatenus secundum entitatem suam cognoscibile est obiectum.

Ad tertium nego antecedens. ad probationem,Respon.actum illū adæquari omnibus illis quidditatibus cognitis eo modo, quo etiam adequatur alijs rebus a se intellectis,sed quia adequatio intellectus ad obiecta cognita non dicitur, uel secundum intensionem, uel extensionem proprie, sed tantum secundum hoc, quod ita intelligit res, sicuti ipsæ res sunt, ita etiam hic adæquatur omnibus illis quidditatibus, quatenus illas intelligit ea ratione, qua sunt.

Ad quartum,Respon.ex doctrina D.Thom.plura,ut plura sunt illa, non quæ in se plura sunt, sed quæ per diuersas species repræsentantur; quare si plura per unam speciem representantur, illa non sunt plura, ut plura,sed plura, ut unum.

Quomodo dicantur plura ut plura in ordine ad intellectionem.

Ad quintum,Respō.transeat illa sequela, nam illa esset coactio perfectiua,dico tamen nō esse coactionem, sed potius necessitatem,necessitas autem plura cognoscendi maximam dicit perfectionem,ut patet in Deo,qui omnia necessario cognoscit,nec potest non cognoscere.

Necessitas plura cognoscendi magnā dicit perfectionem.

Ad sextum, Respon. nego sequelam, quia illa semper erunt finita, etiam si plurima sint.

Ad septimū,Respondet Ferarr. & Aegidius,ubi supra & docet, hanc doctrinam non ualere nisi de Angelis, qui sunt in diuersis ordinibus,quia per uniuersaliores species intelligunt,quæ autem sunt in ijsdem ordinibus intelligere per æquales species; dicit autem Aegidius, quod si Deus crearet aliquem Angelum, necessario ille deberet esse in ijsdem ordinibus; quæ solutio non placet, quia neque Angeli omnes unius ordinis,sunt æqualis perfectionis inter se.Et quia ordinum,atque hierarchiarum, distinctio nō est desumpta tantum penes essentiam Angelorum, sed potius penes munera,& operationes, Respondet Caietanus,quod non sequetur umquam illud, quia si detur Angelus, qui intelligit per duas species,& creetur Angelus perfectior,tunc Angelo inferi-

ri infundetur noua species, qua illum Angelum de nouo productum cognoscat, & ita incipiet intelligere, per tres, & superior per duas, sed contra, quia probabile est, qd inferior Angelus superiorem cognoscat, per suam substantiam, & non per speciem. Secundo quia si crearetur Angelus superior, & perfectior inferiore, deberet intelligere per pauciores species.

Respondet Capreolus negando sequelam, quia repugnat Angelo aliter intelligere, quam per species, sed tamen non explicat, quomodo non debeat intelligere per pauciores species.

Quomodo una species dicatur esse perfectior alia.

Respondeo igitur ego, ex discursu superius facto, quoniam uniuersalior species dicitur, quæ perfectior; perfectior autem potest esse una species, quam alia dupliciter, s. uel quatenus plura repræsentat, uel quatenus illa eadem repræsentat, quæ inferior, sed clarius, atque perfectius; Ideo superior Angelus si producatur, intelligere poterit per tot species, per quot inferior, sed clarius, & perfectius; quare per species vniuersaliores. Dices dictū est, quod intelligunt, etiā per pauciores, Resp. ita est, superiores Angeli intelligunt, & per vniuersaliores, & per pauciores etiam species; sed hoc non est ita intelligendum, quod quilibet intelligens per uniuersaliores, etiam intelligat per pauciores; quia minor numerus specierum, non semper ad quamcumque vniuersaliorem speciē in singulari consequitur, sed tantum in vniuersali, quod est dicere, quod potest vnus Angelus superior, & Angelus inferior per easdem numero species intelligere, tamen, quæ erunt in superiore erunt vniuersaliores, quia clarius, atque distinctius repræsentabunt.

DISPVTATIO XIIII.

Vtrum Angeli per species cognoscant singularia materialia.



Ic duplex potissimū difficultas esse potest, prima est, an de facto Angeli ista cognoscāt, secunda de modo, quo cognoscunt, posito quod cognoscant: v traque autem difficultas à nobis tractanda est.

SECTIO I.

An Angeli cognoscant, singularia materialia.



Onclusio decisiua, Angeli cognoscunt res materiales, & singularia materialia, Conclusio est communis, & est de fide. probatur.

Primò, ex scripturis, 2. Reg. capit. 14. sicut habet sapientiam Angelus Dei. Ecclesiastici quinto, ne dicas

coram

coram Angelo non est prouidentia, prouidentia autem est circa singularia. Apud Tobiam capitibus.3.4.5.&c. Angelus ille plurima se nouisse testatus est, vrbes, vias, personas, vim iecinoris, cordis, & fellis magni piscis. Tum quia sæpissime hominibus apparentes illos instituebant de rebus plurimis, vt Iudicum cap.13.& Daniel.5. Lucæ primo. Matth. primo. Apoc. sæpissime.

Secundò, Quia de fide est singularia administrari ab Angelis, & ad hominum, prouinciarum, regnorum, urbium &c. custodiā deputari, quod tradunt Patres in illud Daniel. 10. Princeps regni Persarum.

Tertiò, Quia Diabolum ostendemus infra esse natura sagacissimum, & plurimarum rerum scientissimum.

Quartò, Ex artibus magicis, in quibus plurima uirtute dæmonum mirabilia fiunt, quia dæmones applicando actiua passiuis, sæpe faciunt, quæ ab ipsis fieri dicuntur.

Quintò, Quia Cherubim ab intellectione excellentissima dicti sunt.

Quare non placet mihi, quod Banes ait, ex istis locis scripturæ non colligi de fide, quod Angeli cognoscant materialia, & singuralia, sed tantum ea, de quibus fit mentio in scriptionis; nam cum Angelis attribuatur sapientia, prouidentia, administratio, custodia &c. male limitabitur illa prouidentia &c. ad res tantum de quibus est mentio in scriptura.

Fateor tamen ex illis auctoritatibus non colligi, quod omnia plane materialia, atque singularia cognoscant. Fieri tamen probabilius, quod illa cognoscant, modo sint naturalia, nam de liberis, & supernaturalibus est alia ratio. Et hæc de prima sectione.

SECTIO II.

Quomodo Angeli cognoscant singularia materialia.



Ristoteles 12. met. tex. 51. loquens de Deo, & de eius cognitione dicit Deum non intelligere alia a se, sed intelligere tantum seipsum, propter imperfectiones quasdam, quas dicebat esse, si illa intelligeret, quæ afferentur a nobis infra. Cum Aristotele idem sentit Auerr. Cum autem ista Deo negarent propter imperfectionem, ponerent autem etiam intelligentias perfectissimas consequẽter idem negarent etiam intelligentijs, maxime quoad singularia materialia, ad quæ sese extenderet cognitio illorum, dicunt quod uilesceret, & ideo melius esse, quædam non uidere, quam uidere, quæ sententia probatur.

Primò, Quia ubi adest pluralitas obiectorum, ibi adest multiplicitas actuum circa illa obiecta, sed ibi tūc adesset pluralitas obiectorum

ctorum, quia cognoſceret res, prout ſunt ad extra, Deus autem omnia ſimul cognoſcit, ergo.

Secundò, Quod intelligitur ſecundum quid nobilius eſt intelligente, ſaltem ipſo intellectu, quia eſt perfectiuum intellectus. Non poteſt autem aliquid eſſe perfectius intellectu diuino.

Tertiò, Quod intelligit aliquid quod non eſt in ſe, eſt in potentia ad illud, ſed Angeli non debent eſſe in potentia, quia hæc dicit imperfectionem, ergo.

Quartò, Sequitur Angelos ſaltem obiectiue pendere a re extrinſeca, hoc eſt inconueniens, ergo.

Quintò, Vel intelligerent entia ſemper eodem modo, uel diuerſo; ſi diuerſo, ergo uariabilis eſſet illorum cognitio, ſi eodem, ergo eſſet falſa cognitio, quia ſingularia ſemper uariantur, qua de cauſa docuit Ariſtoteles primo poſt. de ipſis non poſſe eſſe ſcientiam; ſi ergo ipſi intelligant eodem modo ſemper id, quod ſe habet diuerſo modo, ſequitur eorum cognitionem eſſe falſam.

Inter eos, qui admittunt iſta cognoſci ab Angelis, ſunt uariæ doctorum ſententiæ.

Prima, eſt Scoti 2.d.3.q.ultima & d.9.q.2. qui cum dicat, cognoſci iſta ab Angelis per ſpecies acceptas a rebus, proponit deinde argumenta, quibus probet per ſpecies non cognoſci, quæ ſunt difficillima & propter quæ doctores tenentes per ſpecies cognoſci ſingularia ab Angelis maxime anguſtiantur, & deſudant.

Prima, eſt ſingulare addit aliquod ſupra naturam uniuerſalem, ſcilicet principia indiuiduantia, ergo ſpecies repreſentantes naturam non poſſent repreſentare ſingulare.

Secunda, Sub una ſpecie uniuerſali continentur infinita ſingularia, ergo ſi ſpecies, quæ naturam repreſentat, iſta omnia ſingularia repreſentat, erit infinitæ perfectionis, quod eſt abſurdum.

Tertia, Species repreſentans naturam non poteſt repreſentare ſingularia, prout ſunt actu, ergo probatur antecedens, quia ſingularia uariantur ſemper & non eodem modo omnia, ſed unum uno genere mutationis, alterum alio genere, dum unus homo eſt muſicus, alter edificator; alius doctor, alius ſtatuarius &c. quomodo ergo poteſt unica ſpecies hæc omnia repreſentare in ſingulari, prout ſunt?

Confirmatur argumentum quia iſta, quę in ſingulari accidunt ſpeciebus, ſunt oppoſita. Verbi gratia ſedere, non ſedere; ambulare, non ambulare &c. ergo ab unica ſpecie non poſſunt repreſentari.

Quarta, Angelorum cognitio eſt intuitiua, ſed non poteſt eſſe cognitio intuitiua per ſpecies infuſas, ergo maior eſt certa, quia uident res in ſe ipſis, prout illas adminiſtrant: minor probatur, quia ſpecies infuſa, ita repreſentat rem, quando eſt, & quando non eſt, quia ſemper eodem modo ſe habet, at cognitio intuitiua eſt rerum tantum, prout ſunt ergo.

Quin-

Quinta, Sequitur quod Angelus cognoſceret futura contingentia, hoc eſt abſurdum, quia ſolius Dei proprium eſt, ergo ſequela probatur, quia ſpecies indifferentes ſunt ex ſe, ad repreſentandam rem, quæ eſt, & quæ non eſt, ergo.

Sexta, ſpecies illæ, uel repreſentant immediate ſingularia, ut ſic, uel ſola uniuerſalia, uel utrumque: nullum horum poteſt dici, ergo non primum, quia ſi ſola ſingularia, ut ſingularia ſunt repreſentant, ergo falſo dicitur, quod ſuperiores intelligant per ſpecies uniuerſaliores, cum tamen omnes repreſentent ſingularia, ſi ſecundum, ergo non cognoſcentur per illas ſingularia, ſi tertium hoc implicat, quia uniuerſale, & particulare habent oppoſitas differentias & diuerſum eſſe uniuerſale, habet eſſe obiectiue, ſingulare habet eſſe a parte rei, ergo.

Septima, Ex Aureolo nullũ ſingulare ſignatũ eſt cognoſcibile in ſe, non ſolum ab Angelis, ſed neque a Deo, ergo non poteſt repreſentari, antecedens probatur, quia Deus cognoſcit per ſuas ideas, quæ uniuerſales ſunt, ergo.

Octaua, Sequitur quod Angelus cognoſceret etiam durationem rerum futuram, hoc eſt abſurdum, ergo. ſequela probatur, quia futura duratio eſt ita circunſtantia rei, ſicut & alia principia indiuiduantia, ſed illa repreſentantur, ergo, &c.

Nona, Sequitur quod Angelus cognoſcendo aliquod ſingulare, cognoſceret etiam quantum debeat illud ſingulare durare, cõſequens eſt falſum, ergo. ſequela probatur, quia duratio eſt modus intrinſecus exiſtentiæ rerum, ergo ſicuti exiſtentia quæ eſt modus intrinſecus eſſentiæ repreſentatur per ſpecies Angelicas, ita etiam duratio debet repreſentari. quod autem hoc ſit abſurdum patet, quia ſolius Dei eſt hoc noſce, cuius eſt noſce tempora, & momenta; Tum quia hoc eſt quoddam futurum contingens, quæ ab Angelis cognoſci nequeunt.

Propter has difficultates mirum eſt, quam deſudarint Theologorum ingenia, & in quam multas ſententias ſeipſa diuiſerint, ita ut fere tot ſint ſententiæ, quot capita.

Scotus enim dicit intelligi per ſpecies a rebus acceptas. Durandus 2.d.3.q.7. & Henricus quodlibeto 5.q.14. dicit non eſſe quærendum alium modum, quam rei intelligibilis præſentiam: addit Henricus has ſpecies excogitatas eſſe tantum ad fugam difficultatum, non autem quod efficacitatem aliquam habeant ad res intelligendas.

Alij apud Chart.d.3.q.4. decepti ſenſuum imaginatione dicunt ſingularia materialia ab Angelis cognoſci per lumen quoddam intellectuale, tranſmiſſum ab ipſis Angelis, & pertingẽs ipſa materialia obiecta per hunc autem contactum fieri putant intellectionem fundamentum horum erat, quia etiam uiſionem fieri putabant, per extra miſſionem radiorum uiſualium.

Alij apud eundem ibidem dicebant res, quæ ab Angelis cogno-

gno-

gnoſcuntur, alias quidem eſſe neceſſarias, alias autem eſſe contingentes. Neceſſarias dicebant cognoſci per ſpecies infuſas, contingentes autem per ſpecies a rebus acceptas.

Alij dicebant, ſpecies non concurrere in ratione formalis ſimilitudinis, ſed ut principium effectiuum intellectionis, ita Cano apud D.Banes, ergo.

Alij apud Aegidiũ dicebant, ſpecies repreſentare tantum naturam uniuerſalem, intellectum uero Angeli ex ſua ingenij perſpicacitate poſſe cognoſcere ſingulares conditiones.

Maior q.2. dicebat, tot ſpecies infundi, quot ſunt ſingularia cognita, non tamen eſſe infinitas ſpecies in intellectu Angelorum, quia neque cognoſcunt omnia ſingularia, ſed ea tantum, quæ ad miniſterium ſuum ſpectant.

D.Bonauentura diſt. 3. ſecũda parte diſtin. quęſt. 2. dicit in Angelis, alias eſſe ſpecies repræſentantes conditiones ſingulares, & principia indiuiduantia, & contingentes ipſorum habitudines, Angelos, ergo in cognoſcendis ſingularibus dicit componere ſpeciem, qua repreſentantur conditiones ſingulares, & ex hac coniunctione poſſe cognoſcere ſingularia, prout ſunt a parte rei.

Diuus Thomas hic, & prima parte, quæſt. 57. art. 2. ad primum, & Aegidius diſtin. 3. ſecunda parte diſt. quæſt. 2. artic. 4. & quodlibeto primo, quęſt. 9. & tract. de cognitione Angelorum, quęſt. 9. dicunt Angelos cognoſcere per ſpecies uniuerſales, has autem ſpecies participare conditiones ſpecierum diuinarum, ſeu idearum, quæ ſunt in mente diuina, Non quidem quoad omnes rationes, nam ideæ diuinæ ſunt rerum cauſatiuæ, iſtæ autem Angelorum non ſunt cauſatiuę rerum, ſed medio modo ſe habent inter ſpecies diuinas, & humanas. Nam diuinæ ſunt cauſæ rerum, humanæ ſunt cauſatæ a rebus. Angelicæ autem neque ſunt cauſa rerum, neque cauſatæ a rebus, ſed tamen quia habent dependentiam ab ideis diuinis repreſentant res, etiam cum conditionibus uarijs ipſorum ſingularium. Hanc ſententiam ſequuntur Thomiſtæ, Caiet. Capreol. Banes, & etiam Marſil. 2. d. 3. q. 2. Argent. ibid. Valentia de cognitione Angelorum q. 8. puncto tertio. Quamuis etiam ipſi in hac re explicanda inter ſe ſe non mediocriter diſſentiant.



SE-

SECTIO III.

Explicatur auctoris sententia.

VT igitur in tanta rerum diuersitate, quid nos sentiamus,& clarius aperire,& firmius probare,& euidetius oppositas sententias confutare possimus. Eas sententias,quæ,vel species reiiciunt, uel a rebus sumi species dicũt, hic prætermittemus,tamquam supra confutatas, & eas, quæ species admittunt ad quatuor capita reuocabimus.

In Primo erit sententia Maioris, qui dicit tot esse species, quot singularia cognita.

In Secundo erit sententia eorum, qui dicunt, quod intelligunt per species repræsentantes uniuersalem naturam, sed ex ingenij perspicacitate posse Angelos singularia cognoscere.

In Tertio erit sententia dicentiũ Angelos intelligere p comparationem,& compositionem specierum,ut dicit D.Bon.

In Quartò erunt ij qui dicunt. Quod species Angelicę sequuntur ideas diuinas. Nunc per conclusiones quid tenendum sit aperiemus.

Prima conclusio, in Angelis non sunt ponendæ tót species, quot singularia cognita, probatur.

Primò,Quia singularia sunt infinita,ergo necessariæ essent infinitæ species. Dices, Angeli non cognoscunt omnia singularia, Respondeo. Vnde colligunt, non cognosci singularia omnia ab ijs, qui totius uniuersi ordinem norunt, & quibus causę generalissimę,ut cœlum regitur,& gubernatur,maxime cum ad ipsorum statum, qui sunt intellectuales substantiæ maxime spectet illa cognoscere.

Secundò, Etiam si non cognoscerent omnia plane singularia, tamen cognoscunt plurima,& fere infinita, quia saltem cócedẽdum est,eos ignoscere aliqua omnia singularia, quæ sub una specie,uel genere continentur, hæc autem fere infinita sunt.

Tertiò,Quia supra probauimus,Angelos superiores intelligere per species magis uniuersales.

Secunda conclusio, Angeli non cognoscunt tantum per species uniuersales repræsentantes unam naturam,ita ut ex perspicacitate sola ingenij possint cognoscere singularia, probatur.

Primò, Quia eadem ratio, quæ probat necessarias esse species ad cognitionem naturæ uniuersalis,probat etiam esse necessarias ad repræsentationem singularium, quia, ut bene notauit Scotus ubi supra singulare addit entitatem aliquam supra ipsam naturam uniuersalem, non potest autem explicari, quomodo intelligatur

illa entitas absque specie, sine qua non esset contactus inter intellectum Angeli, & obiectum cognitum.

Secundò, Et est fere eadem ratio, quia intellectus Angelicus nõ potest elicere actum secundum, nisi sit constitutus in actu primo, sed non est cõstitutus in actu primo, in ordine ad singulare, per speciem repræsentãtẽ solam naturam uniuersalem, ergo per illam non intelligit singularia, maior patet, quia illa est tota ratio, cur ponantur species, minor probatur, quia nihil constituitur in actu primo per speciẽ, quę non repræsentet illud, ergo per id quod debet esse in actu primo, sed illud singulare non continetur in specie uniuersali. ergo

Tertia conclusio, Angeli non cognoscũt per comparationem, seu compositionem, seu applicationem, & collationem specierũ inter se se. Et quidem ego hic non intendo probare, quod ista specierum collatio nõ sit possibilis, nam de facto ita fit in phantasia: somniantibus enim nobis, phantasia iungit speciem montis cum specie auri, atque ita uidemur nobis uidere montes aureos, sed tantum hic probabo non uideri probabile, quod de facto Angeli ita intelligant.

Quomodo somniantes uisiones videamus.

Primò, quia quãdo est aliquod singulare ridens, si Angelus debet hoc cognoscere, debet coniungere speciem ridentis, uel risus cum specie uniuersali hominis. Cum Angelus ante illam specierum copulationem ignoret hominem ridere, si uult cognoscere singulare, cum suis actibus, & conditionibus particularibus, unde sciet magis iungendam esse speciem risus cum homine, quã speciem sessionis, ambulationis, cantus, sonitus, cursus, iactus, &c.? An dicendum est Angelum plurimas appllicare quoad deprehẽdat eam, quæ propriæ conuenit actioni illius singularis, sed hoc uidetur molestum, quid ponere in Angelis, si cum vult cognoscere, quid faciat singulare, debet tam multas species inter se se copulare. Videt enim hæc copulatio successionem ponere in cognitione Angelorum, & multo maiorẽ imperfectionem, quam poneret discursus.

Secundò, Illę species, quæ repræsentãt illa accidentia, seu conditiones, & operationes indiuiduales, uel illas repræsentant in communi, uel in particulari, si in particulari, ergo uel illæ species sunt particulares, uel uniuersales, si particulares, ergo tot species, quot accidentia, si ergo ponuntur species accidentium singulares, quare non etiam species substantiæ: secundo darentur infinitæ spicies. tertio male dicitur repræsentare sola accidentia, quia Aristoteles 2. physic. dicit non debere aliquam scientiam considerare solam essentiam solis, & non accidentia solis, quare & e contra, non debet repræsentare sola accidentia, non autem substantiam. Si uniuersales, quomodo si potest una species uniuersalis accidentium repræsentare accidentia singularia quę sunt sub illa specie, non poterit hoc idem præstare etiam species uniuersalis

lis

lis substantiæ? Quare difficultas non tollitur, sed alio trahitur, & differtur.

Quarta conclusio, Similitudo illa de speciebus Angelicis ad ideas diuinas patitur graues difficultates.

Prima est, quia si ideæ diuinæ possunt repræsentare naturas, & singularium conditiones, hoc habent ex infinita ipsarum perfectione, quatenus sunt speculum, vel identificatæ cum diuino speculo, in quo necessario omnia repræsentantur.

Secundò, Quia cum ideæ diuinæ singularia, & futura contingentia repræsentant, hoc faciunt, quia in illis relucet decretum diuinæ uoluntatis, quo omnia clare conspiciuntur, ut in tractatione de modo, quo Deus omnia cognoscit, & quæ sit ratio, cur cognoscat.

Tertiò, Vix explicatur, quomodo ideæ creatæ Angelorum possint sequi, & imitari perfectionem idearum diuinarum.

SECTIO IIII.

Tolluntur difficultates contra sententiam D. Thomæ, & auctoris.



Aec tamen sententia si bene intelligatur est uerissima.

Pro difficultatis igitur totius explicatione. Notandum est, quod hic nobis duplex philosophandi uia adest, prima est ex ratione specierum, secunda ex natura Angelorum.

Ex primo igitur capite sciendum est, species Angelorum continere perfectionem totam, quam habent species humanæ, & etiam multo maiorem, quia species Angelorum sunt datæ ipsis secundum proportionem naturæ, Tum quia omnino sunt immateriales; Tum quia sunt a nobilissimo agente, scilicet Deo. Tum quia sunt in acutissimo intellectu, scilicet Angelico; species autem humanæ mutantur in hominæ ex immutatione ipsius obiecti, a quo producuntur, & etiam hoc postulat ipsius speciei natura, de cuius intrinseca ratione est, esse repræsentatiuum obiecti, Perfectio autem repræsentationis est, ut eodem modo repræsentet rem, quo se habet ipsa res, quia in hoc consistit ueritas repræsentationis, ut patet ex analogia ad ueritatem intellectionis: species igitur Angelicæ debent etiam ipsæ uariari, aut modificari, quo ad repræsentationem secundum uariationem, seu modificationem obiectorum repræsentatorum per ipsas species. Quare non debemus concipere species Angelicas per modum cuiusdam picturæ, quæ semel picta eodem semper modo se habet etiam si

Species Angelorũ eminenter continent spẽs humanas.

Species Angelorum uariantur uariato obiecto repræsentato p spẽs.

obiectum per picturam repræsentatum uarietur; Quare Angelorum species uniuersales aliqua ratione mutari dicendum est, cum singularia mutentur. Scio autem hinc statim oriri difficultatem, a quo mutentur, sed hæc infra explicabitur.

Ex secundo capite, Angelorum scilicet natura: sciendum est, quod maxime ad ipsos Angelos spectat cognoscere ipsa singularia mobilia, & alterabilia, quia quatenus talia, ab ipsis etiam administrantur, cum ergo, &, natura Angelorum, ex sua perfectione requirat cognoscere hæc singularia, cum conditionibus indiduantibus mobilibus, Et etiam species, ut species postulent repręsentare res, prout sunt; si illæ res uariantur, etiam ipsæ species uariandæ sunt, Et hoc firmum manere debet, quia nisi species uarientur, non potest explicari, quomodo manifestent obiectum uariatum cum singulis conditionibus in particulari. Tum quia non explicatur quomodo imitentur diuinas Ideas.

Species Angelorum uariantur a Deo.

Nunc explicemus, a quo uarientur illæ species. Dicendum est uariari a Deo, quod probatur. Tum ex natura speciei, quæ ab eo uariatur, a quo producitur, producuntur autem a Deo, ergo.

Secundò, quia a rebus materialibus uariari non possunt, neque ab ipso Angelo, quia nesciret, quanam ratione uariaret, ut conuenirent cum obiecto, nisi in priori natura, prius repræsentarent obiectum, quam uariarentur ab ipso Angelo, si autem repræsentarent obiectum, prout est, non egerent amplius uariatione.

Dices, ergo hæc esset illuminatio, Respondeo nego consequentiam. Tum quia illuminatio est de rebus supernaturalibus; Tum quia non est de omnibus rebus; Tum quia est per specialem reuelationem, hæc autem uniuersalis est.

Vt igitur res tota melius explicetur, dicendum est istas species a Deo immutari, non per nouum miraculum, neque per aliquam specialem illustrationem, uel causalitatem, sed per concursum suum generale, quo Deus concurrit cum entibus omnibus non solum conseruando entia omnia, prout conseruari in natura sua postulant, sed etiam operando, & causando cum illis ea, quæ per causas, secundas sunt operanda; Quare eo concursu, quo Deus concurrit cum igne quando calefacit, cum sole quando illuminat, cum homine, quando generat, ambulat, ridet, cum ipsis indiuiduis singularibus, quando mutantur, concurrit etiam, cum speciebus angelicis, illas mouendo, determinando, modificando, secundum conuersionis, & mutationis modum, qui est in ipsis rebus.

Variatio specierum non est illuminatio.

Vnde patet, quod hæc modificatio non est appellanda illustratio, aut illuminatio specialis, cum fiat per concursum generalem Dei, quo Deus concurrit cum rebus omnibus, secundum modum ipsis rebus conuenientem. Et hæc explicatio si recte intelligatur, & optima est, & omnem difficultatem tollit.

Posset tamen aliquis obiicere. Concursus ille generalis Dei,

quando

quando causando concurrit, concurrit cum actione causarum secundarum, sed quando Deus immutat has species, non apparet ali qua actio causæ sec.nd e circa illas species, ergo non mutabuntur per concursum generalem Dei. Respondeo primo negando maiorem, nam causæ secundæ non concurrunt conseruando se ipsas, sed a solo Deo cõseruantur, secundo Resp. quod natura specierum in hoc consistit, ut repręsentet rem, sicuti se habet ipsa res, Hoc ipso, quod causæ secundæ agunt ad mutationem obiecti representati, concurrunt etiam ad mutationem specierum, non effectiue scilicet immatando ipsas species, sed tãtum exigendo, ut ipsæ species immutentur. Tertio respondeo etiam si obiectum repræsentatum non agat mutando tunc, tamen & ipsa species mutari postulat, & ex hac necessaria, & naturali indigentia Deus causat illam mutationem, sicuti etiam quando Deus creat animam rationalem. Sine dubio creat illam Deus per concursum suum generalem, quo agit cum causis secundis & tamen ad illam creationem homo non concurrit, nisi producendo materiam dispositam, ad quam deinde Deus infallibiliter solus creat animam; Ita etiam sic causæ secundæ mutant obiecta singularia, Deus uero mutat, & alterat species secundum uariationem quæ fit in obiecto. Et ex hoc intelligitur bene dictum a D. Tho. quòd species Angelicæ sequuntur naturam idearum diuinarum, quia representant res, sicuti sunt, & ipsę uniuersales existentes representent singularia, si quis autem urgeret, Ideæ diuinæ nunquam mutantur, species mutantur, ergo non imitantur Ideas diuinas. Respondeo Angelicas species, non quoad omnia imitari Ideas diuinas, quia alioqui etiam species Angelicę deberent esse infinitæ, & identificatæ cum essentia Angelorum, sed quoad hoc imitantur, quia immateriales representant materialia, uniuersales particularia, & quod ab obiectis non mutentur, sicuti neque illæ. *Quomodo species Angelorũ imitentur ideas diuinas.*

Ex hac autem doctrina facile soluentur argumenta initio dubitationis proposita.

Ad argumenta Aristotelis; ad prima Resp. In Angelis poni q̃dem pluralitatem actuum intelligendi, quando etiam sunt plures species; Quando autem una species plura indiuidua representat, tunc per pluralitatem obiectorum non ponitur pluralitas actuũ, ut patet, per unam cognitionem possunt intelligere naturam humanam communem omnibus indiuiduis hominum, & licet non nos possemus hoc intelligere, tamen Angeli intelligentia pręstantiores id possent.

Ad secundum, Respondeo quod intelligitur secundum varias rationes posse esse intelligente nobilius, & ignobilius, si consideretur tanquam actus intellectus reducens, ipsum intellectum de potent ia ad actũ, est nobilius, quia obiectum habet rationem efficienti s, vt patet ex 2. lib. de anima, in quo obiecta potẽtiarum dicun-

dicuntur effectiua operationum, efficiens autem passo nobilius est. si autem considerentur secundum entitatem propriam, tunc entitas obiectorum materialium ignobilior est entitate intelligentiarum.

Ad tertium, Respondeo Angelos esse in potentia ad intelligendum, & hoc sine dubio dicere aliquam imperfectionem, quia non est tanta in illis perfectio, quanta in Deo.

Ad quartum, Respondeo negando sequelam, quia non intelligunt per species à rebus acceptas, ad infusas.

Ad vltimum, Respondeo Angelos intelligere res, eo modo, quo se habent per eam specierum immutationem, quam supra explicauimus.

Ad argumenta Scoti, & aliorum posita in principio quæstionis.

Ad primùm, Respondeo illam entitatem singularis repræsentari per speciem, licet secundario, quia singulare est modus essentiæ, quæ primario repræsentatur.

Ad secundum, nego maiorem, licet enim plurima repræsententur, nunquam tamen sunt infinita.

Ad tertiũ, Respondeo patet ex supradictis, illas species modificari, non enim possent illa omnia accidentia in singulari repræsentare. Ad confirmationem, Respondeo illas modificationes, licet secundum se consideratas esse contrarias, vel contradictorias, vel oppositas, tñ hoc ipso, quod conueniunt diuersis singularibus nõ esse contrarias, nec contradictorias, quia non sunt respectu eiusdem. Dices saltem sunt in eadem specie. Rñdeo idem argumentum fieri posse de diuinis Ideis; tamẽ dico, licet per eandem speciem repræsentantur, tamen per eam non repræsentantur tanquam vnico singulari conuenientia, sed tamquam diuersis: non est autem est absurdum, quod aliquid repręsentet opposita diuersis conuenientia.

Ad quartum, Respondeo. Ad cognitionem intuitiuam non requiritur, quod species sit ab obiecto desumpta, sed tantũ quod obiectum sit præsens, & ad ipsum terminetur, cognitio abstractiua vero est, quæ est de obiecto absente.

Ad quintum, nego sequelam, quia species repræsentant tantum res præsentes, vt præsentes, & vt actu, res autem futuras non repræsentant, vt actu; sed vt futuras, & vt possibiles; quare sequitur tantum, quod cognoscant res futuras in esse possibili; non autem quatenus debent tali, vel tali tempore euenire, nisi hoc per Dei illuminationem, & voluntatem ipsis reueletur.

Ad sextum, Respondeo species repræsentare primario naturas, & secundario indiuidua, & deinde mutationem, quæ fit in indiuiduis, per mutationem ipsarum specierum factam à Deo, vt supradixi.

Ad septimum, Respõdeo ex eo, quod aliquid cognoscatur per ideas,

ideas, vel species, non tolli, quin cognoscatur res, in se, quare singulare vt sic, potest cognosci.

Ad Octauum, Respondeo. Angelum cognoscere durationem rerum, quatenus est ens, non autem in ordine ad futuram rerum durationem, nisi illa duratio sit determinata in causis naturalibus, vt duratio futuræ Eclipsis, &c. & per hoc patet etiam ad nonum.

DISPVTATIO XV.

Vtrum Angeli cognoscant futura contingentia.

HÆc quæstio præsupponit dari futura contingentia, & veram contingentiam in mundo esse. Futura autem contingentia; alia quidem dependent à libera rationalis naturę voluntate; alia vero solum à causis naturalibus, De primis concedunt doctores omnes, Angelos non cognoscere illa futura contingentia, quod etiam nos probabimus, tum in hac quæstione, tum alibi, cum agemus; An possint Angeli cognoscere cogitationes cordium. De futuris vero pure naturalibus, duplex est sententia inter doctores.

Prima est Dur.dist.3.quæst.7.qui dicit ista futura contingentia ab Angelis cognosci, quia Angeli vi sui intellectus cognoscunt ordinem totius vniuersi, & causas naturales cognoscunt posse impedire effectū, & cognoscunt quęnam accidet, vel nō accidet, & ita futura ista contingentia cognoscunt, quatenus cognoscūt, quæ possint impedire, vel non impedire, & quæ de facto impedient, vel non impedient. A qua sententia non longe abesse videtur Gabriel ibid. quæst.2.art.2.concl.6.& 7. vbi dicit Angelum posse naturaliter per discursum acquirere cognitionem adhæsiuam euidentem propositionis contingentis; Hanc sententiam nonnulli recentiores defendunt.

Contraria sententia est communis omnium aliorum Theologorum, qui absolute dicunt, Angelos non posse cognoscere futura contingentia.

Prima conclusio, Angeli non cognoscunt futura contingentia. Hæc conclusio est certa de fide probatur.

Primo ex scripturis quę contingentium futurorum cognitionem Dei propriam esse testantur Psalm.138. Mirabilis facta est scientia tua &c. quia per omnes tēporis, & loci differentias, quo ibo &c. Sapien.8. Disponit omnia, à fine, & de futuris æstimat, & scit signa, & monstra, antequā fiant &c. Esa.41. Annunciate quæ futura sunt &c. Esa.44. Interrogate me quæ uentura sunt &c. 46. Ego sum Deus, & non est alius similis mei, annuncians ab

exordio nouissimo &c. Dan. 7. est Deus in cœlo reuelans mysteria Act. 1. non est vestrum noscе tempora, vel momenta, quæ Pater posuit, in sua potestate, Rom. 8. ex prophetia probat veritatem Euangelij, 2. Pet. 2. Habemus firmiorem propheticũ sermonem, & Christus Dominus dicit Io. 17. Ecce prædico vobis, antequam fiat, vt cum factum fuerit credatis.

Secundò, Ex sanctis Patribus, qui ex prædictione futurorum, & ex prophetijs, quæ sunt in sacris litteris ostendunt veritatem nostræ Religionis. Tertull. in apolog. cap. 20. Iustinus. quæstio. 2. & 146. ad Orthodoxos, Athanas. quæst. 27. ad Anthiocum, Eusebius Cæsar. lib. de præparatione Euangelica cap. 3. Clemen. Alex. primo recognitionum, vbi D. Petrus ex prophetijs Euangelium confirmantem inducit, Origenes lib. 6. contra Celsum prædicationem futurorum dicit esse diuini sermonis characterem Chrisost. hom. 18. in Ioan. dicit certa prędictio futurorum immortalis duntaxat, Dei opus est. idem docet in homilia, quod Christus sit Deus, Lactantius Firmianus lib. 4. institut. cap. 12. Clem. Alex. 6. strommatum D. August. lib. 1. de consensu Euang. cap. 28. libro de diuinatione dęmonum, cap. 7. 22. Ciuit. cap. 6.

Quod si interdum Angeli futura prædixerunt, hoc & ipsi habuerunt ex diuina reuelatione, Quædam etiam, quæ contingentia non erant, sed in suis causis determinata potuerunt certo hominibus prædicere, vt Ecclipses futuras. Ex futuris contingentibus probabiliter plura possunt, quam homines coniectare, propter maiores experientias, non autem certo, & infallibiliter. Interdum quædam cognoscunt, quia intersunt cõsilijs principum, magistratuum, & aliorum, & audiunt, quid in ipsis decernatur, v.g. de bello faciendo, vel alijs, & propter motus celeritatem maximam in alia regione enunciare poterunt, antequàm fiant, vt videantur prædixisse; Interdum à prophetis, quædam præcognouerunt, & alijs etiam modis, quos referunt Iustinus vbi supra. Origenes in primum Iob ibi. Circuiui terram. Tertullianus in apolog. cap. 22. & 23. August. 9. Ciuit. cap. 23. lib. 7. ad Simplicianum. q. 3. lib. de octo quæst. q. 6. lib. 2. de Gen. ad litteram c. 17. Quare animaduertunt D. Greg. lib. 4. dialogorum cap. 26. Damasc. lib. 2. & cap. 4. quod interdum mali Angeli nimiũ suis coniecturis fidentes, dum temerè iudicant, decipiuntur; Quod si interdum animæ morientium quædam videantur prædicere, id dicit fieri ex diuina reuelatione. lege quæ dicta sunt. dist. 7. disp. 1.

Quomodo Angeli quædam futura contingẽtia cognoscãt.

Tertiò Ratione, quia contingentia hoc ipso, quod contingentia sunt, sunt etiam in se ipsis, & in suis causis indeterminata, sed quæ sunt huiusmodi, non possunt determinate cognosci, ergo.

Quartò, Quia inter alia motiua fidei, est etiam argumenrum ex prædictionibus, quæ fieri non possunt, nisi à solo Deo reuelante.

Secunda Conclusio Angeli nõ possunt preuidere futura contingentia

tingentia naturalia, vt dicit Dur. in prima sententia. Hæc conclusio est certa, & ab aliquibus putatur de fide, ita vt sententiam Durandi appellent hæreticam, alij temerariam, periculosam, Banes audacem, probatur. Vera contingentia cognoscere nequeunt Angeli.

Primò, quia illa impedimenta quæ Angeli cognoscunt posse futuræ rei accidere, & impedire, sed non impediunt, vel sunt determinata, vt impediant, vel non; si primum ergo necessario impedient, quare non erit effectus contingens, sed certus, & determinatus. Si secundum. i. si sunt indeterminata, quomodo ergo illi determinate cognoscent?

Secundò, in ordine vniuersi determinate non cognoscuntur, quæ sunt indeterminata, vel in se, vel in suis causis, sed ista futura contingentia non sunt determinata, ergo non apparent, nec determinate cognoscuntur in illis. Quare apparet, illos ex terminorum ignoratione decipi, nescientes, quid sit verum contingens.

Tertiò, Probatur ex argumentis factis in prima conclusione quæ non solum falsitatis, sed etiam temeritatis arguit hanc sententiam, quia absolutè loquuntur de futuris, quæ scilicet sint contingentia.

Tertia Conclusio Angeli quædam contingentia futura, non simpliciter, sed quo ad nos contingentia determinate cognoscere possunt. Explico, sunt quidam effectus, qui in suis causis determinati sunt; quoniam autem nos causas illas ignoramus, putamus esse contingentia, sed verè non sunt. Illa ergo cum in causis determinata sint, possent determinate cognosci, sed non sunt vera contingentia. Cognoscũt Angeli contigẽtia quo ad nos.

Dices testimonia supra allata in prima conclusione absolutè probant, quod cognoscere futura, sit solius Dei, maxime apud Esaiam, ergo Angeli nulla futura cognoscẽt. Rñdeo illa loca intelliguntur propriè de futuris contingentibus, quæ verè dicuntur posita in potestate Patris; Quare si Astrologi possunt futuras Ecclipses prævidere, ita vt huic cognitioni non obsint illa loca supra citata, multo magis Angeli.

Dices secundo, si Angeli non possunt cognoscere ista futura contingentia, dum sunt futura, possunt ne saltem illa cognoscescere, quando actu sunt? Respondeo possunt, quia horum contingentium naturalium habent species repræsentantes illa in esse possibili, quando autem eueniunt, actu modificantur Angelorum species, vt possint illa cognoscere actu.

DISPVTATIO XVI.

Vtrum Angeli cognoſcant cogitationes, & ſecreta cordium.

Cogitationes cordiū in duplici differentia.



Æc quæſtio eſt tam de cogitatione hominū, quam etiam Angelorum cogitationes illę cordium dupli ces ſunt. quædam ſunt, quæ ita intus in corde delitescunt; vt nullum plane ſignum tranſmittant exterius, & hæc proprie dicuntur ſecreta cordiū: aliæ vero tranſmittunt quędā ſigna exteriora, verbi gratia dum quis iraſcitur intus, palleſcit extra: dum gaudet in corde, ridet ore; dum timet, tremit &c.

Conueniunt omnes doctores cogitationes ſecundi generis poſſe ui ſignorum externorum ab Angelis cognoſci, quia cauſam in effectu cognoſcunt.

Conueniunt ſecundo poſſe vnumquemque ſua ſecreta alteri manifeſtare, ſi vult.

De cogitationibus primi generis dubium eſt, An, & quomodo cognoſcantur ab Angelis, & variæ ſunt ſententiæ.

Prima ſententia eſt Aur. 2. diſt. 3. quæſt. 7. & 8. qui dicit cogitationes & affectiones voluntatis poſſe naturaliter cognoſci ab Angelis, hoc ipſo, quod ponuntur in actu, quia licèt non poſſint cognoſci, vt futuræ ſunt, quia ſunt indeterminatæ, tamen hoc ipſo, quod ponuntur in actu habent determinationem, & determinatæ exiſtunt, quare cognoſci poſſunt, tamen in d. 8. quæſt. 5. videtur ſententiam ſuam limitaſſe.

Secunda ſententia eſt Gregorij. 2. d. 10. q. prædicta. Aegidij tractatu de cognitione Ang. quæſt. 2. dicit poſſe cognoſci in communi, non in particulari, quod dupliciter poteſt intelligi, primo, vt cognoſcant Angeli, quod aliquis cogitet aliquid, licet in particulari neſciat, quod cogitet, ſecundo quod ſciat, quod de homine cogitet, ſed neſciat de quo homine.

Tertia ſententia eſt Thomæ de Argen. diſt. 7. quæſt. 1. art. 3. dicit intelligi quo ad ſimplicem apprehenſionem, non autem quo ad aſſenſum.

Quarta ſentẽtia eſt Henrici quolib. 3. q. 13. dicit cognoſci quo ad ſubſtantiam, non quoad finem, Herueus d. 8. quæſt. 3. dicit cognoſci quoad ſubſtantiam, non autem quoad materiales circunſtantias. Hæ autem ſententiæ quatenus in eo conueniunt, quod aliqua ratione cognoſcantur hæ cogitationes ab Angelis probari poſſunt.

Primò, quia iſtæ cogitationes ſunt entia quædā finita, & etiam naturalia, quia ſcilicet ſunt ab agente naturali, ergo ſunt proportionatæ intellectui Angelorum.

Secundò,

Scdò, quia si quid obstaret, maxime esset, quia sunt actiones libe re, quæ possunt esse, & non esse, quare indeterminatæ, sed hoc ipso, quod actu ponuntur, sunt determinatæ, ergo.

Tertiò, Quia si quis reuelet alteri suas cogitationes statim alter cognoscit, ergo etiam ante reuelationem poterant cognosci.

Prima conclusio, cogitationes internæ, & secreta cordium non possunt ab Angelis cognosci. Conclusio est de fide probatur.

Primò, ex scripturis, in quibus hoc Deo proprium tribuitur, quod cognoscat corda hominum. Ps. 7. scrutans renes, & corda. 3. Reg. 8. & primo Paralip. 28. quia tu solus nosti cor omnium filiorum hominum. Sapientiæ primo. Act. primo. Tu Domine, qui nosti corda hominum. Rom. 8. 2. Cor. cap. 14. Quæ sunt hominis nemo nouit; nisi spiritus hominis, qui est in homine. Heb. 4. Hiere. 17. prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Iob. 16. Ecce testis meus, & conscius meus in excelsis. Rom. 8. Deus autem, qui scrutatur cor. primo Regum. Homo considerat, quæ foris sunt, Deus autem scrutatur cor; Quare, & proprium Dei Epitheton attribuitur, quod sit καρδιογνώστης, idest cognitor, & inspector cordis. His testimonijs respondet Durandus solum colligi, quod cognoscere omnes cordis cogitationes præteritas, præsentes, & futuras sit propriū Dei, cognoscere autem præsentes, possunt & Angeli, sed hæc glossa temeraria est, quia coarctat uiolenter loca scripturarū contra sensum expresſū ipsarum, & contra unanimem consensum Patrum, ut patebit infra ut Act. cap primo, patet ibi sermonem esse de corde, quod tunc erat, & tamen dicitur, Tu Domine, qui nosti corda &c. & illud 2. Cor. 14 Vt spiritum Dei nemo nouit &c. & illud Homo uidet in facie, Deus autem cor intuetur.

Secundò, probatur ex Sanctis Patribus, qui in illud Matth. 9. & 12. & Lucæ cap. 9 Videns Iesus cogitationes eorum, ex eo quod Christus uidit cogitationes inferunt, ergo est Deus.

Sanctus Hieronymus in capitu. 9. Matth. dicit. Sed Dominus uidens cogitationes eorum, ostendit se esse Deum, qui possit cordis occulta cognoscere, & quodammodo tacens loquitur, Eadem maiestate, & potentia, qua cogitationes uestras intueor, possum, & hominibus peccata dimittere. Ex cognitione cordis optime infertur maiestas deitatis.

Sanctus Ioannes Chrisost. hom. 30. in Matt. super illa uerba Videns Iesus &c. Hic inquit aliud signum suæ deitatis, & quod patri esset æqualis ostendit. Illi murmurabant remissionem peccatorum solius Dei, ipse uero nō solum peccata dimisit, sed etiam occulta cordium, quæ nosse solius Dei est, manifestauit. Et infra. Quod uero solius Dei sit secreta cordium nosse, audi prophetam dicentem. Tu nosti corda solus, & rursus scrutās corda, & renes Deus, Et hom. 23. in Ioan. super illa uerba. Quia non erat opus, ut quis testimonium perhiberet de homine, dicit. Nō curabat Christus exteriora uerba, qui in ipsos animos ingreditur, qui in hu-

manas cogitationes irrumpit. Humanorum autem cordium cognitio solius Dei est, qui ea formauit, & infra plurima habet, quę ibi legere poteris.

Sanctus Athanas. quæst. 27. ad Anthiocum Præscius rerum, & cordium cognitor est solus Deus, nec enim, uel Angeli cordis abscondita, uel futura uidere possunt, & sermone 4. contra Arrianos ostendit Christum, etiam si sæpe alios interrogaret, tamen omnia nouisse, quia Deus erat.

Sanctus Ambrosius lib. 5. in Lucam capite, quòd inscribitur. De submittentium fide Christum ad curationem mouente ait. Dicit Dominus, aut saluos facere uolens peccatores, & occultorum cognitione Deum se esse demostrat, qui fidem illorum uidit, & admiratione factorum adiiciens, Quid est facilius dicere &c. lege Amb. in oratione de obitu Theodosij.

Sanctus Gregorius, lib. primo moral. cap. 6. in illud Iob. primo Ne forte peccauerint filij mei dicit. Iob. non potuisse uidere corda filiorum, ideo dixisse, ne forte, &c. Quod ante ipsum in eodem loco docuerat. Origenes.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 19. Nouerat probe Natanahel, soli Deo corda hominum patere, ac illud Psalmistæ infixum animo habebat, scrutans corda, ac renes Deus. Nulli namque alij, sed diuinæ solum modo naturæ hoc attribuit propheta, id cum inesse domino perpexisset, & magistrum, & filium Dei, & regem Istael profitetur.

Petrus Chrysologus serm. 50. explicans illa uerba. Videns Iesus cogitationes dicit. Vt autem possis maiora capere eius diuinitatis insignia, audi eum pectoris tui penetrasse secretum, aspice eum ad cogitationis tue latebras peruenisse, intellige eum cordis tui tacita nudare consilia. Videns enim cogitationes &c. scrutator animarum præuenit mentium maligna consilia.

Christianus Drubmarus ibid. Ad cogitationes inquit eorum respondit dominus, Quasi dixisset, si legistis, quia nullus potest peccata dimittere, nisi solus Deus, similiter legistis, quod nullus potest hominum cogitationes scire, nisi solus Deus, dicente Salomone, &c.

Sanctus Polycarpus, discipulus Sancti Ioannis Euangelistæ, in epistola ad Phylippenses, tamquam aliquid singulare, ac Dei proprium ipsi Deo attribuit, quod corda cognoscat dicens, Scientes quoniam Deus omnia prospicit, & nihil eum latet, neque cogitatio, neque conscientia, neque aliquod abditum cordis.

S. Martialis. Quis fuerit. Sanctus Martialis, (hunc dicunt eum esse, de quo dixit S. Philippus Apostolus, Est hic puer qui habet quinque panes &c. Alij dicunt fuisse eum, de quo Christus dixit. Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cęlorum, postea fuit unus ex septuaginta duobus discipulis Christi. de huius historia lege Gulielmum Durantem in rationali diuin. off. lib. 3. cap. 15. & Extra

tra de sacr.unct.cap.unico). Is igitur in epist. ad Tolossanos c. 27. Deum per ἀγνωσομαχίαν uocat testem, & scrutatorem renum, ac cordium.

Sanctus Basilius lib. 3. contra Eunomium. Quemadmodum nullus alienus, neque peregrinus internas animæ cogitationes inspicere potest, sic si quid arcanorum Dei particeps est, id non alienum ab ipso existens, neque peregrinum, profunditates iuditiorum Dei perscrutari potest.

Cassianus collatione 7. cap. 13. Deus solus eo quod totus, & ubique est, & in omnibus, ita ut etiam cogitationes hominum, & internos motus, atque abdita mentis uniuersa conspiciat, atque perlustret, de quo Dauid inquit. Qui finxit singillatim corda eorum, &c.

Ericus doctor antiquissimus in capit. 9. Matth. Christus uerus Deus esse probatur, quia peccata, quibus uult dimittere ualet; & se Deum ostendit, qui posset etiam occulta cordis eorum euidenter agnoscere, Et quasi tacens loquitur, Vt cognoscatis me Deum esse ueraciter, manifestum nobis sit, latebras etiam cogitationum uestrarum me apertissime cognoscere.

Haymo ibid. Ea potentia deitatis, qua mentes uestras uideo, ea possum hominibus peccara dimittere.

Theophilactus ibid. Vel ex hoc, quod cogitationes resciuit, ostendit se esse Deum.

Euthymius ibid. Hoc aliud quippe suæ diuinitatis, & ad Patrē æqualitatis signum ostendit, cui contradici non possit, cognoscendo uidelicet cogitationes ipsorum, quod similiter erat solius Dei.

Sanctus Augustinus in Psal. 7. Opera nostra, quæ factis, & dictis operamur, possunt esse nota hominibus, sed quo animo fiant, & quo per illa peruenire cupiamus, solus ille nouit, qui scrutatur renes, & corda Deus, in Psalm. 63. Deus solus cor inspicit, in Psalm. 33. Alter alterius cor non nouit, solus Deus cor intuetur, idem sermo. primo. in psalmo 33 libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 81. internas animæ cogitationes diabolum non uidere, certi sumus. motibus tamen corporis eas ab illo, & affectionum indicijs colligi experimento didicimus. Secreta cordis solus ille nouit ad quem dicitur, Tu solus nosti corda homanim, lege lib. 2. retract. cap. 20. lib. de diuinatione dæmonum, cap. 5.

Sanctus Prosper. in Psalm. 141. Intentionem nemo cognoscit, quia impossibile est homini penetralia alieni cordis inspicere. Vnde merito dixerat Deo, Tu cognouisti semitas meas.

Ex quibus argumentis apparet, non sine periculo esse aliorum sententias, & tutius loquendum esse, quod reuera nulla ratione cognoscant Angeli cordium cogitationes.

Ad argumenta autem initio proposita patebit infra. Nunc examinanda est alia quæstio. Quænam sit causa, cur Angeli nequeāt ista cognoscere.

DI-

DISPVTATIO XVII.

Quare Angeli non possint cognoscere secreta cordium.



Ariæ huius rei causæ, aut rationes a doctoribus assignantur.

Prima sententia est Scoti 4. distin. 10. quæstio. 8. ad tertium. et hic. Ocan. 2. quęst. 20. Gab. dist. 9. quæst. 2. art. 2. & lect. 31. in Can. quia dicunt Angelos impediri a Deo, & nisi impedirētur, quod possent cognoscere. Deum autem impedire dicunt, quia subtrahit concursum suum, & non vult concurrere cum ea operatione Angelorum ad illa cognoscenda; addit autem Scotus, quod interdum impediri possunt a nimia distantia, quia nimis longe distant Angeli ab istis cogitationibus. quod autem hæc sit causa, probant.

Primò, Quia hi actus ex se sunt intelligibiles, & naturales, quia actu existunt, & de facto ab eo cognoscuntur, cuius sunt actus, ergo.

Secundò, Quia unus Angelus naturaliter posset uidere, nisi impediretur, species, & habitus, qui sunt in intellectu, vel alterius hominis, uel alterius Angeli, ergo.

Tertiò, Quia Angeli, quod ad homines attinet, possunt cognoscere phantasmata, quæ etiam mouere possunt, per quæ fit intellectio, seu à quibus abstrahuntur species intelligibiles, ergo.

Quartò, Quod est intelligibile ab uno, est etiam intelligibile à duobus; quòd a duobus, est etiam a tribus; quod a tribus est intelligibile etiam a quatuor, & sic deinceps, sed illi actus naturaliter sunt intelligibiles ab uno, ab eo scilicet, cuius sunt actus, ergo a duobus, &c.

Quintò, Nisi naturaliter essent intelligibiles ab alijs, ergo neque per uoluntatem eius Angeli, cuius sunt operationes essent cognoscibiles, sed hoc est falsum, ergo.

Sextò, Quia ex sententia D. Thom. Angeli cognoscunt per species uniuersaliores, quæ repręsentant plurima indiuidua, modos, accidentia, & affectiones eorum, ergo per eandem speciem poterit unus cognoscere intellectum, uoluntatem, affectiones, & modos illorum actuum.

Septimò, Vnus Angelus non potest alteri occultare essentiam suam, ergo neque intellectum, neque uoluntatem, ergo neque cogitationes.

Secunda sententia est Alen. 2. parte, quæst. 26. m. 3. dicit hoc oriri ex nimia simplicitate ipsorum actuū. sed hæc ratio est omnino improbabilis, Tum quia simplicitas non impedit, sed potius iuuat Angelorum cognitionem; Tum quia cogitationes hominum nō sunt adeo simplices, & tñ non possunt Angeli illas cognoscere.

Tertia

Tertia sententia, est Greg.dis.11.q.1.dicit quia postulant subiectiue istæ cogitationes esse in intellectu eius, quòd illa intelligit. sed & ista ratio est improbabilis: Tum quia Deus, illas cognoscit, licet subiectiue non sint in suo intellectu: Tum quia & Angelus, & homo si reuelant suas cogitationes statim ab alijs cognoscuntur, licet subiectiue non sint in ipsorum intellectu.

Quarta sententia est D.Thom.hic,& p.p.q.57.art.4.& de malo q.16.art.8. de uerit.q.18.art.13. Bonauent. d.8.art.4.q.6. Ricc.hic, q.2.art.4.D.Thom. sequuntur sui Thomistæ, Caietanus sup.Cap. d.8.Banes,Ferarr.3.contra gentes,cap.134.quia illæ cogitationes liberę sunt,& quia alterius ordinis,ideo soli Deo immediate subiacent. At hæc sententia patitur graues difficultates,quia hanc rationem impugnat Scotus,& alij.

Primò, quia sequitur ea, quæ a solo Deo immediate causantur, non posse ab Angelis cognosci, quod tamen est falsum, quia cognouerunt omnia entia creata,& animas rationales, quæ quotidie creantur.

Secundò, Quia libertati repugnat tantum coactio, seu uiolentia, seu necessitas; non autem cognitio.

Tertiò, Quia tantam cognoscendi uirtutem habet unus Angelus, quantam alter, imo superior maiorem, sed inferior potest suas operationes liberas cognoscere naturaliter,& si sint alterius ordinis, ergo etiam superior.

Quartò, Si ideo non possunt cognosci, quia immediate pendēt à uoluntate, sequitur etiam alios actus externos imperatos à uoluntate, non posse cognosci, quod tamen patet esse falsum.

Quintò, Si quis efficiat aliquem actum amoris circa finem ultimum,& non exhibeat signa extrinseca, non poterit ille actus cognosci, quia est cogitatio interna, & tamen non erit actus liber, sed necessarius, quia circa finem ultimum, & bonum, ut bonum, uoluntas non habet libertatem, ergo ratio, cur non cognoscātur, non est, quia sint liberi, neque quia sint alterius ordinis. Nec dicas hunc actum esse liberum quoad exercitium, licet non quo ad specificationem, nam proposito bono, sub ratione completa bonitatis ipsi uoluntati, tunc uoluntas non potest suspendere actum, sed ille actus necessarius est, & quo ad exercitium, & quo ad specificationem.

Sextò, Vel actus aliquis liber est alicuius alterius ordinis, quo ad substantiam, vel quo ad modum, non quo ad substātiam; Tum quia obiectum, potentia,& modus eliciendi,& cogitandi est naturalis, secundo quia si esset alterius ordinis quo ad substantiam, quomodo sola uoluntas creata uolendo illud manifestare posset, mutare substantiam actus accidentaliter? hoc enim nouum, & monstruosum esset, quod uoluntas creata posset substantiam alicuius inuertere. uel est alterius ordinis tantum, quo ad modum, & sic sequitur saltem, quod ille actus, sit cognoscibilis quoad modum,

dum, & ista duo argumenta ultima uidentur mihi maximam efficaciam habere.

Septimò, Isti actus licet sint liberi, antequam sint producti, tamen postquam sunt producti, debēt esse cognoscibiles, quia sunt actu, & determinati etiam, hoc ipso, quod actu sunt.

Conclusio prima. Nulla ex ijs rationibus assignatis adęquate satisfacit, ut patet ex rationibus factis in contrarium.

Angeli non cognoscunt secreta cordium quia eorũ cognitionẽ Deus sibi reseruauit.

Inter autem omnes assignabiles rationes, ista uidetur mihi probabilior, quia horum cognitionem Deus sibi reseruat. Quomodo autem reseruet, uel nolendo alijs reuelare, uel subtrahendo concursum, quod idem quodāmodo uidetur esse, cum alioqui essent cognoscibiles, non ita expresse patet, puto tamen alterum horum modorum conuenientiorem fore. Quod etiam puto uoluisse D. Tho. quando dicit quia Deus solus potest in ipsam operari, quia sibi reseruauit actiones in uoluntates creaturarum.

Angeli naturaliter nō cognoscunt secreta cordiũ quo ad esse meritorium.

Secunda cōclusio. Non est admittendum, quod quidam dicũt, Angelos posse naturaliter cognoscere secreta cordium, non quo ad substantiam, sed quoad esse meritoriũ, uel demeritorium, quia scilicet ex affectibus prouenientibus cognoscāt secreta cordium, si enim bene operentur cognoscunt mereri, si male, cognoscunt demereri, quia ipsis Angelis datum est offerre Deo orationes, & bona opera meritoria, alijs autem demeritoria describere, ut puniantur. Non placet inquam hæc doctrina, quatenus dicunt Angelos hoc naturaliter cognoscere. Nam quod cognoscāt, certum est, quod autem naturaliter cognoscant, puto esse falsum.

Primò, Quia si non cognoscunt affectiones naturales, operationum naturalium, quando sunt tantum internæ, quomodo cognoscent supernaturales? scilicet esse meritorium, uel demeritorium?

Secundò, Quia hoc, quod est Deo offerre bona opera, uel mala describere ad pœnam, &c. non conuenit Angelis naturaliter, sed est ministerium sibi a Deo supernaturaliter traditum, & commissum, ergo licet ista cognoscant, non cognoscunt naturaliter, sed supernaturaliter.

Ad argumenta Scoti nihil est respondendũ, quia ipsa sunt probabilia, licet contrarium probabilius putem, quia sibi Deus eorũ cognitionem reseruauit, quia D. Thom. cuius tanta est auctoritas ab hac sententia non aberit.




DI-

DISPVTATIO XVIII.

Vtrum in Angelis sit cognitio matutina, & vespertina.

SECTIO I.

Quid sit cognitio matutina, & vespertina.


Anctus Augustinus adeo subtili, atque acuto ingenio fuit, ut hac de causa non nibil Sancto Patri Hierony mo infensius fuerit, is igitur plurima commentaria scripsit in Genesim, Librum qui dicitur de Genesi ad litteram imperfectus. Item libros alios de Genesi ad litteram. Itẽ scripsit alios libros super Genesim, & eorum quæ tra ctauit in ijs libris. nnnnulla repetijt in lib. 11. ciuit. cap. 7. & 29. Itẽ in dialogo cum Orosio de 65. quęstionibus per plurimas quæstio nes. Et initio libri de Gen. imperfecti quia plurima se dicturum nouerat, quæ difficultatem maximam continerent, nec tam aper tam haberent solutionem. Tum etiam quia plurima explicaturus erat figuratè, multa etiam historicè, non affirmando, sed quærendo, ita dicit libro de Genesi imperfecto cap. 1. & 2. Et ad exercitationem tamen ingeniorum, & sine præiudicio melioris opinionis, ut fatetur libro 1. de Genesi ad litteram, cap 20. Ideo ne quis suspicaretur eum prauè de fide sentisse statuit initio tractationis protestationem, atque explicationem fidei præmittere, cuius confessionem diligenter prosequitur initio libri de Genesi imperfecto: deinde sacræ Geneseos explicationem hac ratione exorditur. *Quam cau-te S. August. scripturas censuerit ex-plicandas.* *Explicatio Geneseos.*

In Principio hoc est uel temporis, uel in filio, seu in sapientia, Deus scilicet Pater creauit cœlum idest Angelos, & terram, idest creaturas sensibiles, atque corporeas; vel cœlum, idest creaturam superiorem, & terram, idest creaturas inferiores, ita ut per cœlũ, & terram omnis creatura intelligatur, ita lib. de Genesi imperfecto, cap. 3. Et hæc omnia dicit non sex diebus, quibus nũc utimur omnia esse producta quæ Moses descripsit, sed simul producta esse omnia, Quia qui uiuit in ęternum creauit omnia simul, Non ergo hi dies secundum cœli cursum sunt accipiendi, sed secundũ rerum productarum ordinem, vel secundum ordinem cognitionis quam Angeli habent de rebus in se ipsis, ideo libro. 11. ciuitat. cap. 7. dicit cognitio creaturæ in se ipsa decoloratior est, ideo uespera congruentius, quàm nox dici potest, quæ tamen cum ad lau dandum, & amandum creatorem refertur, recurrit in mane; & cum in cognitionem sui ipsius dies unus est cum in cognitionem firmamenti, quòd inter aquas superiores, & inferiores cœlum est appel- *Quo ordi-es in orbis productione a D. Aug. a signentur*

appellatam fit dies secundus, cum in cognitionem terre, ac maris omniumque gignentium, quæ radicibus continuata sunt terræ, dies tertius, cum in cognitionem luminarium maioris, & minoris, omniumque siderum dies quartus. Cum in cognitionem omnium ex aquis animalium natalium, atque volatilium dies quintus, cum in cognitionem omnium animaliũ terrenorum, atque ipsius hominis dies sextus, idem repetit lib.65.quæst. q.26. lib.4.de Gen.ad litt.cap.22.licèt non eodem modo.

Considerat deinde hæc quatuor in Genesi repperiri, Fiat lux; Facta est lux, Vidit Deus lucem quod esset bona: Factum est vespere, & mane; sed clarius cum de firmamẽto, fiat firmamentum, fecit Deus firmamentum, & factum est ita, vidit Deus cuncta quæ fecerat. Hæc igitur habentur fiat, fecit, factum est, & Deo placuit.

In Genesi quid significet fiat fecit factum est.

Fiat est per dictionem, qua Pater dicit in Verbo, per increatam sapientiam. Fiat igitur hoc est in Verbo. Fecit hoc est in Angelis, seu in cognitione Angelorum, & factum est in ipsis rebus, Et vidit quod esset bonum, quia complacuit Deo res sic factas perdurare. Per hæc igitur denotatur triplex esse rerum in Verbo per fiat; In Angelis proficit in ipsis rebus per factum est; ita docet lib.1.de Genesi cap.8.& 10.& lib.2.cap.6.7.8.lib.2. Ciuitatis cap.29.

Quomodo Deus diuiserit lucem à tenebris.

Explicat deinde diuisionem lucis à tenebris hac ratione, quia quidam Angeli cognitionem suam retulerunt in Deum, & facta, est lux, quia confirmati sunt, alij non retulernnt, sed superbiendo prolapsi sunt, & factæ sunt tenebræ malorũ Angelorum; tamen quia Angeli non sunt facti mali à Deo, sed à seipsis non dicitur. Factæ sunt tenebræ sed tantum quod diuisit lucem à tenebris, ita lib.1.de Gen.cap.17. Rursus aduertit in hac descriptione Mosis nominari vespere, & mane, explicat quid nam sit hoc

Quid sit vespere & mane.

manè quadrupliciter primo esse rerum in verbo vocat mane. Secundo cognitionem creatoris vocat mane. Tertio Angel. cognitionem in Verbo, & Misterium Trinitatis vocat mane, Vnde apparet quod hæc cognitio Matutina est Beatifica. Quarto cognitionem quam habent Angeli de rebus relatam ad Deum uocat mane. Hinc matutina cognitio, quam etiam diuinam vocat. Vespere dupliciter explicat, primo esse rerũ in & ipsis dicitur Vespere, secundo cognitio creaturarũm in seipsis. Et quoniam hoc est, id de quo agimus modo, & hoc Vespere, & mane non eodem modo explicatur à Doctoribus, & quia B. August. mentem non penetrant, ideo in maximas coniiciuntur angustias vt infra patebit, statui ea, quæ dixi singulorum locorum fida citatione, & ad omnem dubitationem tollendam etiam formalium verborum D.Aug. appositione confirmare.

Quod esse rerũ in Verbo dicatur mane ab Aug. probatur lib.4. de Gen.cap.18. sic ait. Perfecta quippe creatura habet quoddam initium

initium suæ conuersionis ad quietem creatoris sui, vt in illo incipiat quiescere, quod ab illo perficitur, & in eo habere mane, in suo enim genere tanquam in vespere terminata est, sed in Deo vesperam habere non potest, & infra, neque enim cœlum, & terra vniuersa, scilicet creaturam in se ipsa manet, sed in illo in quo viuimus, mouemur & sumus, ideo non absurdè intelligitur sexto die completo post eius vesperam factum esse mane, non quo significaretur initium condendæ alterius creaturæ, sed quo significaretur initium manendi, & quiescendi totius, quod conditum est, in quiete illius, qui condidit, quæ quies nec initium habet nec terminum, ideo septimus dies eisdem creaturæ cœpit à mane, sed nullo vespere terminatur.

Qd scia creatoris dicatur mane lib.2.Ciui.cap.7.cognitio creaturæ in cōparatione cognitionis creatoris quodāmō vesperascit.

Quod cognitionē Angelorū, in Verbo vocet mane probatur 11.Ciuit.c.29. Illi Angeli sancti non per verba sonantia Deum discunt, sed per ipsam præsentiam incommutabilis veritatis, hoc est verbum eius Vnigenitum, & ipsum Verbum, & Patrem, & Spūm Sc̄tm̄ eamq; esse inseparabilem Trinitatem, ipsam igitur creaturam melius ibi hoc est in sapientia Dei, tanquā in arte, qua facta est quàm in ea ipsa sciunt, ac per hoc, & se ipsos ibi melius quā in se ipsis, veruntamen & in se ipsis sciunt; ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in seipsis autem, tanquàm in vespertina; lege etiam, quæ habentur eodem lib.cap.9.post medium, quæ ego breuitati consulens omitto, lib.65.qq.quæst.26. ipsa creaturæ cognitio in se ipsa est vespera, in Deo est mane; quia plus videtur ipsa creatura in Deo, quàm in seipsa lib.4. de Gen. ad litt.cap.23. Multum quippe differt inter cognitionem rei cuiusque in Verbo Dei, & cognitionem in natura eius, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam.

Quòd cognitio Angelorū relata ad Deum dicatur Mane probatur, lib.11. Ciuit.c.7. scientia creaturæ respectu scientiæ creatoris quodammodo aduesperascit. Item lucescit, & mane fit, cum & ipsa refertur ad laudem dilectionemque creatoris. Hæc in noctem vertitur, vbi non creator creaturę dilectione derelinquitur, & infra cognitio creaturæ si refertur ad laudandum, & amandum Deum recurrit in mane lib.4. de Genes.ad litt. cap.22. Ita post vesperam fit mane, cum post cognitionem suæ propriæ naturæ, refert se ad laudandam lucem, quæ est Deus cuius contemplatione formatur, & cap.25. Quia ergo Angeli creaturam in ea ipsa creatura, sic sciunt, vt ei scientiæ electione, ac dilectione præponant, quod eam sciunt in veritate, per quam facta sunt omnia, participes eius effecti, ideo per omnes sex dies non nominatur Nox, sed post vesperam semper fit mane.

Quod esse rerum in se ipsis dicatur vespere probatur, lib. 4. de Genes.cap.18. Creatura in illo incipit requiescere, quod ab il lo

 perficitur,

perficitur, & in eo habere mane, in suo enim genere tanquàm vespere terminatum est.

Quod cognitio creaturarum in seipsis dicatur vespere probatur, lib.11. Ciuit. cap.7. cognitio creaturæ in seipsa decoloratior, est, vt ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, ideo ideo vespera congruentius, quam nox dici potest, quia si referatur ad laudandum, & amandum creatorem recurrit in mane, & eodem lib. cap. 29. in seipsis tanquàm in cognitione vespertina cognoscunt, lib.65. quæst. quæst.26. ipsa creaturæ cognitio in seipsa est vespera, lib.4. de Gen.22. fit uespera illius lucis, cum ipsum firmamentum non in Verbo Dei, sed in ipsa eius natura cognoscitur, & infra sępè.

Ex ijs colligamus ea, quæ ad rem nostram faciunt, & fateamur Angelorum cognitionem Matutinam duplicem esse, uel cum res uident in Verbo, uel cum rerum cognitionem referunt ad Deum amandum, uespertinam autem cognitionem esse rerum cognitionem in se ipsis.

Vtramque igitur cognitionem, scilicet Matutinam, & vespertinam in Beatis Angelis ponendam esse patet, de uespertina quidem ex ijs quæ diximus, in quæstionibus de Angelorum cognitione, de Matutina primo modo patet, quia certum est Beatos aliquas creaturas uidere in Verbo, clarius etiam quam in rebus ipsis, ut supra docuit B.August. de Matutina uerò, secundo modo, etiam certum est, quia eam cognitionem referunt ad amandum Deum, quem in ratione summi boni uident. In malis autẽ Angelis est tantũ cognitio uespertina. Quando autem uiatores fuerunt fuit cognitio Matutina, secundo modo quia, scilicet meruerunt in primo, instanti Deum laudando, & amando, Matutina uerò cognitio, primo modo, nunquàm fuit ita S.Aug.2. de Gen.cap.8.

SECTIO II.

Quomodo cognitio Matutina, & Vespertina sit ponenda in Angelis.



VErum ijs explicatis difficultas maxima est quomodo concordari possint quædam dicta B. August. quibus dicit Angelos prius cognouisse res in Verbo, quàm factæ essent in seipsis; si ergo omnia. Simul creata sunt secundum ipsius mentem, & etiam ipsi Angeli simul creati sunt, quomodo potuerunt prius cognoscere res quàm factæ sint? secundo, quia ex hoc sequitur quod omnes Angeli fuissent Beati in primo instanti, incredibile autem dictu est,

quantum

quantum hæ duæ difficultates Theologorum ingenia torserint, & excruciarint. Conati sunt omnes D. August. conciliare, & explicare, & pauci admodum B. August. mentem sunt assecuti, ideo apud Doctores varij sunt modi dicendi.

Primus modus est Guhelmi Ocham apud Pelbartum, 2. parte Rosarij verbo Angeli.6.§.78.quem sequitur Belbartus ibi dicit in Angelis ante Beatitudinem fuisse cognitionem Matutinam, ita tamen, ut non deesset uespertina, probant, quia cognitio Matutina est cognoscere uerbum, uespertina est cognoscere res in seipsis, sed vtramque cognitionem habuerunt Angeli, quia cognouerunt non solum res creatas, sed etiam Verbum secundum D. Bernardum ergo.

Hic modus malè intellexit matutinam, cum cognoscitur uerbum in ratione obiecti per naturalem cognitionem, uel fidem, Cum apud D.August.supra dicatur, uel cognitio uerbi in seipso clarè uiso, uel creaturarum in ipso.

Secundus modus est Petri de Tarantasio apud Chartusianum 2.dist.4. quæst.vlt. dicit cognitionem matutinam, duplicem esse alteram in Verbo, alteram per speciem creatam acceptam à Verbo dicit ergo. Angelos initio creationis habuisse hanc notitiam matutinam per speciem creatam nō autem per claram visionem in Verbo. Hic modus est falsus quia ex dictis supra constat D.Augustinum nunquàm intellexisse matutinam cognitionem per speciem.

Tertius modus est aliorum dicentium ab initio Angelos nullam cognitionem habuisse nec matutinam, nec uespertinam, sed tantum naturalem. Qui verò conuersi sunt, ad Deum vtramq; accepisse, Hic modus plures continet errores, quàm uerba, atq; utinam si rem, de qua agimus non intelligit, saltem uerba ipsa, quibus rem explicare contendit intelligeret.

Quartus modus est Gregorij de Valentia, quæst.9.de modo cognitionis Angelorum puncto, quinto dicit cognitioné, tam matutinam, quàm uespertinam duplicem esse, scilicet naturalem, & supernaturalem; cognitionem matutinam naturalem dicit explicatam esse ab August. lib.4. de Gen.ad litteram, cap.22.23. & 34. cum docet Angelos fuisse creatos in matutina cognitione, cognitionem uespertinam supernaturalé dicit esse, qua Angeli in uerbo cognoscunt creaturas secundum esse proprium illarum. Hæc sentētia in eo quod ponit cognitionem matutinam naturalem, & uespertinam supernaturalem falsa est. Neque D. August. in locis ab ipso citatis tale quid habet vt patet ex locis, quos nos citauimus supra in explicatione harum cognitionum.

Quintus modus est Scoti dist.3.quæst.9. cognitionem matutinam dicit esse non solum intuitiuam visionem in uerbo, sed etiā cognitionem abstractiuam per speciem. Hoc falsum esse patet ex dictis.

Sextus

Sextus modus est Riccardi, & Ocham dicit cognitionem matutinam duplicem esse, vel in uerbo, uel in sapientia creata Angelorum per species, uel cognoscendo res secundum suum esse clarè, & distinctę. Hanc tamen tertiam fatetur esse impropriam. Hac ratione explicat Angelum habuisse in primo instanti matutinam notitiam in sapienria propria creata; sed duo posteriores cognitiones non possunt dici cognitiones matutinę, vt patet ex dictis, sed tantum uespertinæ.

Septimus modus est Alberti.2.p. summæ. q.14.m.3.art.1. Alex. Alen.2.par.q.23.m. secundo matutinam cognitionem posse sumi naturalem cognitionem verbi. uidetur hanc innuere D.Thom. quæst.62.art.1.ad tertium, sed tamen alia mens est D.Th. ut patebit infra, sed hęc sententia falsa est, quia D. Aug. docet omnem cognitionem naturalem dici uesperam, quia decoloratior est.

Octauus modus est quem refert D.Bona.d.4.ar.3.q.prima, quod Matutina cognitio sit Beatifica, & quod Angeli in primo instanti hanc habuerint, quam sequuntur ii quos citauimus in distin.4.disputat. prima putantes Angelos creatos esse beatos, sed tamen hæc sententia falsa est, quia benè explicat matutinam cognitionem, sed male applicat ponens illam in Angelis in primo instanti.

Nonus modus est D.Bon.ibid. Aegidij d.13.p.p.d.q.2.ar.3.in explicatione lucis primę diei dicunt Matutinam cognitionem sumi pro cognitione, quæ habetur per illuminationes supernaturales, & hanc habuisse in primo instanti. Cont. Quia S. Augustinus Numquam cognitionem matutinam ponit per illuminationes.

Decimus modus est D.Thom.de Verit.q.8.art.16.ad octauum Et p.p.q.58.ar.6.& 7. Qui rectè ad D. Augustini mentem explicat cognitionem uespertinam, & Matutinam, & de veritate dicit vespertinam fuisse priorem in Angelis matutina, quod etiam respectu cognitionis rerum in proprio esse, quæ necessario, prius sunt in suo esse, quam intelligantur. ita D.Augustinus lib.61.quæst.q. 26. sed hæc sententia non perfectè & adęquate explicat mentèm Diui Augustini maxime secundum ea, quæ docuit lib. 2.de Gen. capit.8. quod rationes rerum prius sunt in uerbo, deinde fiunt in cognitione Angeli, tertio fiunt, in suo esse proprio, & naturali in quo postquam res factæ sunt intelliguntur ab Angelis, in ipso rerum esse per Vespertinam cognitionem, quam dum referunt in Dei amorem fit mane, ideo prius dicitur Vespere, & mane.

Vltimus modus est quorundam recentiorum, qui difficultatem olfacientes, ab ea se expedire contendunt, dicentes. Aliud esse loqui de mente D. Aug. aliud de rei veritate, Quo ad rem attinet prius dicunt esse uespertinam, quam matutinam cognitionem.

Quo ad Diuum Augustinum attinet dicunt Diuum Augustinum tantum, ut explicaret illud mane, & uespere excogitasse hāc cognitionem matutinam, & uerspertinam, per matutinam autem

tem dicunt posse sumi, uel uisiones, per illuminationes factas à uerbo, uel aliquam aliam supernaturalem cognitionem. Sed hic modus non est admittendus primo. Quia cum Diuus Augustinus auctor fuerit huius cognitionis, matutinæ, & vespertinæ, & has posuerit in Angelis, ut explicaret, id quod uerè factum est in Angelis, non benè fit, si ita res explicetur, quasi aliud dixerit Sanctus Augustinus de Angelis, quàm quòd fuerit in Angelis, hoc enim est tacitè docere Diuum Augustinum esse deceptum. Huc accedit quod omnes scolastici elaborant in accomodandis verbis Diui Augustini cum eo, quod uere dicendum est de Angelis 2. Male dicitur quod secundum rei ueritatem prius sit cognitio uespertina in Angelis, quia Angeli in primo instanti primæ diei producti sunt simul cum Cœlo, & terra, & cum cognitione ipsius Cœli, & terrę, & fortè eorum, quæ quinque sequentibus diebus Deus erat facturus per species creatas. cum ergo in primo instanti suę creationis meruerint Beatitudinem, consequitur omnem, cognitionem congenitam retulisse in Deum, At ut supra ostendi cognitio relata in Dei amorem est Matutina, ergo:

Tertiò, Malè dicunt Matutinam cognitionem esse per illuminationes uel aliam supernaturalem cognitionem. Hæc non explicauit S. Augustinus.

Vt ergo hæc omnia rectè inter se cohereant. Sciendum est quod ad mentem Diui Augustini alia ratione ponenda est cognitio in Angelis in primo die, alia ratione in aliis diebus, Hoc docet fusè S. Augustinus precipue lib. 2. de Gen. ad litteram cap. 6. 7. & 8. Quoniam ergo res est paullo intricatior, attentione magna opus est. Conciliantur Sancti Augustini dicta.

Sanctus Augustinus innuit quidem lib. de Gen. ad litteram imperfecto cap. 3. per productionem Cœli, & terræ probabiliter intelligi Angelos & res sensibiles. Sed tamen probabilius docet esse, si dicamus Angelos esse productos quando dixit fiat lux, ita lib. de Gen. imperfecto capit. 3. & lib. 2. de Gen. ad litteram capit. 7. Aduertit autem lib. 2. de Gen. cap. 8. in Creatione Angelorum dici bis, Fiat lux, & facta est lux, In productione aliarum rerum ter repetitur. Fiat firmamentum, fecit firmamentum, & factum est ita, Quid hoc est inquit: Quia Angeli in verbo tantum facti sunt ideo dicitur fiat lux, & statim facta est lux, idest Angeli in se ipsis, qui cognoscentes se ipsos in suo esse habebant uespertinam cognitionem, ideo erat uespere. At pars referens cognitionem in Deum factum est mane, per Matutinam cognitionem; pars uerò non referens facta est nox & tenebræ, quia desertores Angeli tenebrę sunt, 11. ciuit. capit. 28. Ecce quomodo concordat hoc quod mali Angeli numquam habuerunt matutinam cognitionem: Nec dicas non ne etiam mali Angeli retulerunt se in Deum cum meruerunt in primo instanti. Respon. ita est at Diuus Augustinus in explicanda hac cognitione matutina, & vespertina,

num-

numquam huius conuersionis meminit, sed eius tantum, qua conuersi ad Deum eique inhęserunt per amorem.

Postquam ergo isti Angeli boni conuersi sunt ad Deum, intelliguntur etiam glorificati, & habere cognitionem Matutinam in verbo, quæ est omnium nobilissima, & in uerbo uiderunt productionem omnium aliarum rerum, antequã fierent, ideo prius Matutinam quam uespertinam, & hæc est causa', Quare, ut ipse ait lib. 2. de Gen, cap. 8. Quòd in aliarum rerum productione ter ponit fiat, fecit, & factum est, fiat in uerbo, fecit in cognitione Angelorum, & factum est in esse ipsarum rerum. lege verba Diui Augustini in cap. mox. citato 8.

Summa ergo doctrinæ Diui Augustini breuibus comprehensa est, Quòd Angeli respectu suę Naturæ prius habuęrunt uespertinam cognitionem, quam Matutinam, respectu cognitionis aliarum rerum, quæ factæ sunt sequentibus diebus, prius habuerunt Matutinam, quàm uespertinam cognitionem.






POST HAEC VIDENDVM.

DISTINCTIO IIII.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Rosequitur Magister tractationem de conditionibus creationis Angelorum, & cum in distin. 3. ostēdisset Angelos a Deo non esse creatos malos, sed bonos, consequenter hic quærit; An Angeli sint creati beati, vel miseri. Ostendit non esse creatos miseros, quia non est miseria sine peccato; In Angelis autem non fuit peccatum, quando creati sunt, ergo nec miseria. docet enim non esse creatos beatos, quia cadere non potuissent; esse tamen creatos beatos in beatitudine naturali, non autem in supernaturali.

Quærit deinde; An fuerint creati perfecti, & dicit perfectionem esse triplicem, vel secundum tempus, quando quis habet omnia

ea, quæ pro eo tempore habere debet, vel secundum naturam, quando habet conuenientia suæ naturæ, vel secundũ beatitudinem. & vniuersaliter perfectum, quod habet omnem gradum suæ perfectionis, prima perfectio conuenit naturæ creatæ, secunda naturæ glorificatæ, tertia naturæ increatæ. primam habuerunt in principio creationis, secundam in glorificatione, tertiam numquam habuerunt, quia soli Deo conuenit.

DISPVTATIO I.

Vtrum Angeli sint creati beati.

Diuus Bonauentura, 2.d.4.art.1.q.1. citat quosdam dicentes Angelos in primo suę creationis instãti fuisse beatos, & glorificatos, quæ sententia non obscurum in sanctis Patribus fundamentum uƭ habere, nam D. August. interdum uidetur uoluisse, omnes Angelos, etiam diabolum fuisse beatos; ita autem aperta sunt testimonia, ut uideatur loqui de beatitudine supernaturali, lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 19. dicit ea Angelorũ pars, quæ in ea be titudine, qua creata est perseuerauit, non natura possidet bonum, de fide ad Pet. cap. 3. dicit Angelos quoniam spirituales naturæ sunt, in ipsa spiritualis naturę creatione æternitatis, & beatitudinis donum accepisse. 12. confessionum, capit. 9. usque ad 16. dicit. In creatione mundi, in nulla die fieri mentionem creationis Angelorum, quia nomine cœli intelligitur natura Angelica, quæ ex quo creata est, est etiam per Dei gratiam formata, & in contemplatione ipsius Dei semper inuariabiliter inhęret, ideo est particeps ęternitatis, & cap. 13. dicit cœlum, in quo sunt cœli, non intelligere ex parte, neque in enigmate, nec per speculum, sed in manifestatione faciei ad faciem, & 11. de Gen. cap. 26. dicit esse in ea beatitudine in qua resurgemus, & nos, D. Bernardus serm. 17. in Cant. dicit Angelos uidisse in Verbo mysterium Incarnationis,

nis, ideo Angelos inuidisse hominibus hoc bonum, ideo peccasse.

Secundò, Diuus Paulus, & Moyses uiderunt diuinam essentiam, ergo etiam Angeli.

Contraria tamen sententia communis est omnium scolasticorum cum Magistro hic, dicētium Angelos esse creatos beatos, tantum beatitudine naturali, non autem supernaturali.

Prima conclusio, Angeli creati sunt beati, naturali beatitudine, probatur.

Primò, Quia esse creatos beatos naturali beatitudine, nihil est aliud, quam Angelos esse creatos perfectos, ea perfectione, quæ secundum naturam attenditur, & abesse a miseria, eiusmodi autem fuerunt Angeli, ergo minor probatur, quia dignitati nostræ Angelicæ hæc perfectio conueniebat. **Angeli creati sunt beati beatitudine naturali.**

Secundò, Hoc probant loca illa scripturæ. Esa. 14. & Ezech. 28. In delicijs paradisi Dei fuisti. Sed contra hanc conclusioné sunt quædam obiectiones.

Prima, est quia si hæc beatitudo naturalis consistit in naturali perfectione, ergo cum per peccatum Angeli non amiserint naturalia, sequitur quod Angelus malus nunc possit dici naturaliter beatus, consequens est absurdum, ergo.

Secunda, Etiam anima rationalis, cœlum, & omnia alia, quæ perfecta creata fuerunt, possent dici beata, quod tamen apparet hoc ipso esse falsum, quia maxime abest a communi modo loquendi omnium.

Tertia, Vel præcognouit diabolus se esse casurum, uel non: si primum ergo debuit tristari, quare non beatus: si secundum, ergo non fuit beatus, quia non habuit scientiam, sed ignorantiam.

Quarta, Beatitudo non potest dici, quæ est amissibilis, sed illa fuit amissibilis, ergo.

Ad obiectiones. ad primam Respon. Naturalia, quæ in Angelis integra remanserunt, sunt entitas substantiæ, & potentiarum, quę non sunt amisse, In ipsis autem potentiis erit rectitudo, quędam, quæ deperdita est. Quare licet non amiserint naturalia, illa tamen habuerunt sauciata post peccatum; quare non possunt dici beati.

Ad secundam, Respon. quia sola natura rationalis capax est beatitudinis, ideo non esse locum dubitationi de cœlo, & alijs irrationalibus. Quod de anima dicitur: Respondo quia infunditur corpori misero, in quo tanquam in carcere detinetur oppressa, propter organorum imperfectionem, ideo non posse dici beatā.

Ad tertiam, Respon. diabolum non præcognouisse, non tamen sequi, non fuisse beatum, quia non debuit omnem scientiæ plenitudinem habuisse; Illa tamen non fuit ignorantia, sed simplex nescientia, quæ etiam nunc est in Angelis beatis, respectu quorundam, quorum cognitio non spectat ad ipsos.

Ad quartam, Respondeo inamissibilitatem esse de ratione tantum beatitudinis supernaturalis, non autem naturalis, Vnde est extra illud prouerbium. Summa miseria est fuisse beatum.

Secunda conclusio, Angeli non sunt creati beati beatitudine supernaturali probatur.

Angeli non sunt creati beati beatitudine supernaturali.

Primò, quia infra probabitur, Angelos meruisse suam beatitudinem, non potuerunt autem illam mereri, si illam habuissent in primo instanti. Dices potuissent illam mereri per opera subsequentia. Contra, quia nulla rõne meritum simul potest esse cũ præmio, quia meritum est ex gratia imperfecta, premium est gratia consumata, sed perfecta, & imperfecta simul esse non possunt, ergo.

Cur beati peccare nõ possint.

Secundò, De ratione beatitudinis supernaturalis est inamissibilitas, quia nihil possunt uelle, nisi quod sibi proponitur ab obiecto beatifico; sed obiectum illud est diuina essentia in qua nihil potest repræsentari mali, ergo neque possunt aliquid malum uelle, ergo nec peccare.

Tertiò, Quia hoc fuit priuilegium solius animæ Christi; & propter hæc argumenta quæ certissima sunt, conclusio præcedens appellatur ab alijs de fide, propter excellentias, quæ habentur in sacris litteris de beatitudine, ex quibus pdictæ conditiones sunt desumptę: Quod non egebunt lumine solis, quia non erit ibi sol, æstus, timor, dolor, &c.

Dices, hæc argumenta probant tantum, quod non fuerint beati uidentes scilicet Deum per modum status, non autem probant, quod non potuerint illam uidere per modum transeuntis, Respõ. Quia nullus beatam Dei essentiam in ratione obiecti supernaturalis uidit in hac uita, nec per modum quidem transeuntis, ut alibi patebit, de D. Paulo, & Mose; ideo neque ipsis Angelis fuit concessum hoc, quod tamen potuisset Deus concedere, si uoluisset, quare fit.

Tertia conclusio, Potuisset Deus creare Angelos beatos beatitudine supernaturali siue dare illis uisionem diuinæ essentiæ in primo instanti, siue per modum status, siue per modum transeuntis, ita tamen ut non meruissent illam, quia ut supra dixi implicat, probatur conclusio.

Primò, quia nulla apparet implicantia, ergo.

Dices est hæc implicantia, quia illa uisio est actio elicita ab Angelis, non potuisset autem esse elicita in eodem instanti, in quo cæpit illa natura, quia prius est esse, quam operari. Respon. argumentum concludit tantum, quod debet admitti aliqua prioritas naturæ non autem durationis, quæ prioritas naturæ, tunc etiam fuisset.

Ad auctoritates allatas initio quæstionis. Respon. quia ut patebit in sequenti dubitatione Angeli fuerunt creati in gratia supernaturali, & aliquam cognitionem de Deo habuerunt ab initio,

tio, non solum naturalem, sed etiam supernaturalem per fidem, ideo de ista cognitione loquitur D. Augustinus,& etiam de dilectione, secundum quam meruerunt beatitudinem supernaturalem. Quod autem non habuerint beatitudinem supernaturalem, idem D. Augustinus fatetur lib. 11. Ciuit. cap. 13. dicit. Dæmones autem numquam eam beatitudinem habuerunt, quam habere Angelos lucis pia fide credimus, & capit. 23. ibid. dicit. Diabolus beatæ uitæ dulcedinem non gustauit, quam non utique acceptam fastidiuit, sed nolendo accipere deseruit, & amisit, quare illa loca initio adducta sunt intelligenda de beatitudine naturali, licet cum illa admittatur cognitio, & dilectio supernaturalis ex habitibus infusis fidei,& Charitatis.

Ad illa loca scripturæ. Respon. de sola beatitudine naturali intelligi, quatenus a Sanctis Patribus de diabolo dicta leguntur.

DISPVTATIO II.

Vtrum Angeli sint creati in gratia.



HÆc difficultas est de gratia habituali,& sunt duę sententiæ.

Prima est Hugonis de Sancto Victore in sua sum. tract. 2. cap. 2.& lib. primo de sacramentis parte 5. cap. 19. Altis. lib. 2. tract. primo, cap. primo. Alen. 2. p. q. 29. membro 2. Alb. 2. p. q. 18. m. primo, & quarto. Henrici quodlibeto 8. q. 19. Bon. 2. d. 4. art. 2. q. 2. Riccardus q. 2. art. 2. Marsil. q. 4. artic. primo Argent. q. 2. art. primo. Bassolis. quæstio. 1. art. 3. Gab. art. 2. utramque sententiam probabilem censet Scotus, licet dubitet,& propter supra dictas auctoritates, dicit se in oppositum propendere, tamen hanc ijs ablatis uideri probabiliorem; Hec sententia communiter tribuitur Magistro distin. 3 4. & 5. sed expresse ipse dicit Angelos creatos esse in gratia operante, non autem cooperante; operantem autem dicit esse eam, qua quis à statu peccati transfertur in statum iustitiæ; ideo iustos,& Sanctos fuisse Angelos in sua creatione, licet explicet postea iustos fuisse, quia non fu erunt peccatores; Tamē in d. 5. videtur magis ad hanc sententiam alludere, dum dicit, quod dum Deus paratus erat dare gratiam, Diabolus peccauit, & sic illam numquam habuit, quamuis & hoc de cooperante gratia posset explicari. Hanc sententiam totidem fere uerbis ante ipsum docuit magister Bandinus in eisdem distinctionibus, a quo omnē fere doctrinam magister sententiarum accepit, probatur hęc sententia.

Primò, quia Ioan. Papa. 16. q. 2. cap. visis. dicit: Dolet & erubescit Diabolus charitatem, quam in cœlo nequiuit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra. Rupert. lib. primo, de

Tri-

Trinitate,& eius operibus. D.August.1. de Ge.cap.2 3.4.& lib.2. cap.8.dicit utramque creaturam,scilicet hominem,& Angelum prius informem, postea formatum fuisse. D.Greg.32.moral.c.18. in aliis,cap.25.exponens de diabolo illud Ezech.28. Aurum quoque decoris tui, & foramina tua in die, qua creatus es, præparata sunt, dicit foramina fuisse capacitatem gratiæ, & charitatis, quam poterant habere, & non habuerunt, citatur & cap.4. Iob. ubi nos legimus, & in Angelis suis repperit prauitatem, textus hebraicus habet, & in Angelis suis non posuit laudem,uel lucẽ.

Secundò, probatur ratione, quia substantia debet esse secundum Aristot.prior accidente natura, ordine, dignitate, & tempore, sed gratia est accidens, ergo.

Tertiò, quia gratia eis uideretur connaturalis.

Quartò, quia gratis uideretur data diabolo, qui statim eam erat amissurus, maxime quia Psal.103. dicitur Draco formatus, ut illudatur ei, non ergo in gratia.

Quintò, quia si gratiam habuisset malus Angelus,ergo cognouisset, quod per illam esset in adoptione filiorum Dei, non ergo tantam prerogatiuam amisisset.

Sextò, homo non fuit creatus in gratia, ergo neque Angelus, consequentia patet, quia homo erat magis obnoxius tentationi. antecedens patet ex D.August. 11. Ciuit. cap.12. dicit hominem iustum maiorem habere gratiam, quam habuerit Adam in statu innocentiæ.

Septimò, ut se habet culpa ad damnationem,ita gratia ad gloriam, sed in eodem instanti, in quo fuit culpa, fuit,& damnatio, ergo in eodem instanti, quo fuisset gratia,fuisset etiam gloria,& sic nullus peccasset.

Octauò, quia gratia non datur nisi disponenti se per motum liberi arbitrij, uel ergo Angeli habuerunt gratiam absque bono vsu liberi arbitrij, uel cum vsu; si primum est contra vsum infusionis gratiæ; si secundum, ergo amplius non potuerunt peccare, quia Angeli habent liberum arbitrium inflexibile, ergo primo illud applicassent ad bonum, quare non potuissent fieri amplius mali.

Secunda sententia est, dicentiũ Angelos esse creatos in gratia habituali sanctificante, ita D.Tho. hic & 1.p.q.62. art.3. 2.2.q.5. art.1.& quolib.9.quæst.4.art.3. Sotus primo de natura, & gratia, cap.5.Holcoth.2.q.3. Ioan.Arboreus in Theosophia vero Angeli,cap.1.Ioannes Bononiensis,lib.de æterna Dei prædestinatione Ioan.Turrecrem.super decreto.2.p.de pœnitentia dist.2.in capit. Hinc etiam diabolus. Ioan.Gerson lib.6.summæ,tractat.de gaudijs Paradisi, Catechismus Romanus in explicatione art.1.Symboli Apostotum. propendet Scotus dist. 4.q.1. Maior ibid.Greg. Duran.Molina in 1.par. q.63.art.3. Valentia quæstione de perfectione Angelorum.13.puncto.1.& discipuli D.Tho.cap.Caietanus,

nus, Banes, Ferrar. 3. contra gen. cap. 110. quæ sententia mihi certissima est.

Conclusio decisiua Angeli sunt creati in gratia, probatur.

Primo ex locis sacræ script uræ Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis oīs lapis preciosus operimentum tuū, plenus sapientia, & decore, &c. quæ de decore gratiæ, & similitudine, quæ cū Deo est per gratiam, possunt commode explicari Ioan. 8. in ueritate non stetit, in epistola Iuda, Angeli, qui non seruauerunt suum principatum, &c. Angeli sunt creati I gratia.

Secundò probatur conclusio ex sanctis Patribus, qui hanc veritatem constantissime confessi sunt.

Sanctus Basilius hom. 8. in Psal. 32. super illa verba, Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius &c. dicit spiritu igitur omnis virtus super cœlestis firmata est, hoc est firmitatem, & stabilitatem, ac constantiam in sanctificatione, & omni sanctis vir tutibus conueniente potentia, ex Spiritus auxilio habent, & infra. Angelorum itaque ad essentiam processum opifex uniuersorum creator Verbum' produxit, sanctificationem autem ipsis Spiritus sanctus contulit. Non enim infantes creati sunt Angeli, deinde paullatim exercitio perfecti, sic ad spiritum suscipiendum digni facti sunt; sed in prima compage, ac uelut massa substantiæ ipsorum sanctitatis primordia simul iacta habuerunt. Angeli infantes creati non sunt.

Sanctus Hieronymus in cap. 3. Oseæ in illa uerba diligunt vinacia vuarum dicit. Iudæi diligunt vinacia vuarum quæ vina non habent, & pristinam gratiam perdiderunt. Sicut dœmones, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiquæ gratiæ possidentes, aridi sunt, & ueteri siccitate marcentes. Iudæi, & dęmones diligunt vinacia vuarū.

Sanctus Gregorius, lib. 32. moral. cap. 17. in id, tu signaculum similitudinis, ait. Quid non habuit lucifer, si fuit signaculum similitudinis. De sigillo quippe annuli, talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur, & cap. 18. in medio ignitorum lapidū ambulauit; quia inter Angelorum corda igne charitatis succensa, clarus gloria conditionis extitit; in lib. 5. moral. cap. 17. dicit, naturam Angelicam à Deo bonam esse conditam, & in quibusdam in sua beatitudine perdurasse. Lucifer quo modo I medio ignitorum lapidū ambulauit.

Sanctus Cyrill. Alex. lib. 6. in Ioan. cap. 6. pluribus ostendit, diabolum à Deo factum non esse malum, sed bonū, & per culpam suam malum à seipso factum esse, dicit autem, Sed age ex sacrarum litterarum testimonio comprobemus, quod propositū est, vtpotè Angelum lapsum in principio suę creationis bonū fuisse, & in bonitate creatum, & infra. Erat igitur natura Angelica cum crearetur bona, & boni particeps. Et rursus, Hic Angelus, qui decidit, magnam prius habuisse, & naturæ, & donorum Dei excellentiam, in principio suę creationis liquido demonstratur.

Sanctus

Sanctus Anselmus lib.de casu diaboli plurima, in c.1. & 2. disputat in hanc rem,& c.6.dicit illi Angeli,qui aliquid plus uoluerunt, quam stare in iustitia,in qua creati erant; eadem iustitia iudicante nequaquam obtinuerunt, sed quod tenebant bonum, amiserunt. Sic ergo distincti sunt Angeli, ut adhærentes iustitiæ, nullum velle bonum possint,quo non gaudeant,& deserentes illam,nullum uelle queant, quo non careant.

Sanctus Cyprianus libello de zelo,& liuore sub initium.Hinc diabolus inquit,inter initia statim mundi, & periit primus, & perdidit: Ille Angelica maiestate subnixus; ille Deo acceptus,& charus; postquàm hominem,&c.

Sanctus Ioan.Damasc. lib.2. c. 3. dicit per Verbum Dei creati sunt Angeli, & per sanctificationem Spiritus sancti perfecti pro suæ dignitatis, & ordinis ratione illuminationem, & gratiam participantes, & cap 4. dicit. Virtus illa, quæ diabolus est, bonæ existens, & à bono facta,& nullo pacto in se ipsa à conditore malitiæ uestigium tenens; non ferens illuminationem,& honorem,quem ipsi conditor indulserat, libera potestate demutata est, ex eo statu, qui secundum naturam in eum,qui contra, & præter naturam est.

Isidorus lib.1.de summo bono,c.12.Mutabilitati naturæ Angelorum suffragatur contemplatio creatoris, inde, & priuatus est apostata Angelus &c. & infra, Distat conditio Angeli a conditione hominis,homo enim ad imaginem Dei factus est,Archangelus uero, qui lapsus est signaculum similitudinis Dei fuit. Quanto enim subtilior est eius natura,tanto plenius extitit,ad similitudinem diuinæ uirtutis expressa, & infra adhuc clarius,prę uaricatores Angeli, etiam sanctitate amissa, non tamen amiserunt uiuacem naturæ sensum.

Sanctus Aug.lib.12.de Ciuitate Dei,cap.9.hoc ex professo probat dicens,bona uoluntas Angelorum, utrum cum ipsis Angelis facta est,an sine illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis,non dubium, quod ab illo facta sit, à quo, & ipsi; simulque ut facti sunt ei, à quo facti sunt amore, quo facti sunt adhæserunt. Eoque sunt isti ab eorum societate discreti,quod si in eadem uoluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt; Et infra. Si autem boni Angeli fuerunt prius,sine bona uoluntate, eamque in se ipsis Deo non operante fecerunt. Ergo meliores à se ipsis, quam ab illo facti sunt? Absit. Et infra istam bonam uoluntatem in Angelis quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona uoluntate, idest cũ amore casto, quo illi adhærerent creauit, simul in eis,& condens naturam, & largiens gratiam? Vnde sine bona uoluntate hoc est Dei amore nunquam fuisse sanctos Angelos credendum est. Confitendum est igitur cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, uerum est de sanctis Angelis dici posse, Charitas Dei diffusa est in cordibus, per Spiritum sanctum

ctum, qui datus est eis. Adde ijs testimonia D. Aug ex libris de Genesi, ubi ostendit in prima die creationis Angelorum factam esse lucem, quæ loca legere poteris infra, disput. vlt. cum de cognitione matutina.

Rabanus, & Strabus in Ge. Basil. hom. 1. in Hexam. dicunt Dei opus non à tenebris, sed à luce incepisse; quòd de gratia communiter intelligitur.

Præterea sancti Patres agentes de casu diaboli docent, diabolum à Deo non esse factum malum, sed bonum; utuntur autem præcipuè hac phrasi, diabolus à Deo factus est Angelus, sed ipse se peccando diabolum fecit; ita S. Aug. lib. de Incarnatione Verbi, cap. 3. lib. 2. quæstionum veteris, & noui testamenti, quæstio. 90. Chrisost. hom. 3. de patientia Iob. S. Prosper. lib. 3. de uita contemplatiua, cap. 2. Basil. hom. quod Deus nō sit auctor malorū. Cyrill. lib. 6. in Ioan. cap. 6. Nazianz. hom. 1. de pace dicit. Diabolum ex luce factum esse caliginem. Plures auctoritates si quis desiderat, legat Gratianum de pęniten. dist. 2. vbi de hominis, & Angelorum conditione, & gratia loquitur. Diabolus à Deo factus est, Angelus; ipse se diabolū fecit.

Tertiò, quia primus homo conditus fuit in gratia, ergo etiam Angeli; Consequentia patet, Tum quia Angeli sunt substantiæ Deo propinquiores. Tum quia fuerunt uiatores, sicuti homines, Tum quia citius, quam homines beatitudinem erant adepturi. Antecedens patet ex sacro Concilio Triden. sess. 5. can. 2. dicit. Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, & in deterius, secundum animam, & corpus esse immutatum, Anathema sit, Can. 3. si quis dixerit Adam, acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam quam perdidit sibi soli perdidisse &c. Propter quæ testimonia, ut interim omittam plurimas sanctorum auctoritates, citandas in propria quæstione, An homo sit in gratia conditus; nonnulli oppositam sententiam temeritatis notarunt, etiā quoad Angelos.

Quartò Angelus creatus est rectus in naturalibus, & sine peccato, ergo debuit habere gratiam.

Quintò, Creatus fuit Angelus propter beatitudinem, quam promereri debuit, sed non potuit promereri absque gratia, minor est de fide, maior fuse probatur à D. Anselmo lib. de casu diaboli, cap. 13. 14. 15.

Sextò, Quia ex D. Tho. 1 p. q. 62. art. 3. sicut Deus rationes seminales posuit in rebus omnibus; ita etiam in Angelis, sed gratia est semen gloriæ, ergo.

Ad argumenta, ad primum Respondeo, illa loca sanctorum Patrum explicanda esse de gratia, & charitate consumata, quam quia poterat habere, & non habuit, ideo foramina permanserunt in ipso, & ideo erubescit, & dolet, quòd homo illam sit consecutus, quia etiam in hac uita ius habet ad illam.

Ad secundum, Respondeo locum illum Aristotelis intelligi, non de quocunque accidente in particulari, sed à toto genere.

Ad tertium negatur antecedens.

Ad quartum, Respondeo ut tota culpa soli diabolo imputaretur, ex cuius culpa factum est, ut quòd ad gloriam, & honorem conditus esset, postea deputaretur, ut ille, cui illuderetur.

Ad quintum, Respondeo non esse differentiã in illo, nam experientia patet etiam homines id cognoscentes, tamen cadere in peccato.

Ad sextum, nego antecedens, ut patet ex dictis.

Ad septimum, nego antecedens, quia culpa, & damnatio possunt simul esse, non autem meritum, & præmium, ut infra melius patebit.

Ad octauum, R̃ndeo quia est difficile, ideo ponitur quæstio.

DISPVTATIO III.

Vtrum Angeli habuerint gratiam præuia, vel sine præuia dispositione.



Hæc dispositio ad gratiam intelligitur per aliquem actum, quo Angeli se præparauerint ad gratiam acceptandam; Dum præuia dicitur, satis est ad quæstionem, si intelligatur præuia prioritate naturæ, non temporis, vel æui.

Prima sententia est Angelos absque omni præuia dispositione gratiam fuisse consecutos quæ sententia uidetur fuisse D.Thom. p.p.q.62.art.2.ad tertium, & art.6.dicit: Datam Angelis fuisse gratiam secundum proportionem naturalium, quo loquendi modo vsus est etiam Magister in dist.2.& alij. Capreolus d.4.q.1. ad primum, Caietanus & in hanc sententiam, Banes citat uictoriam, & Sotum; cui etiam adhęret Molina, q.62.p.p.art.3. ad primum, quòd probatur.

Primò, Quia illa dispositio, vel fuisset per actus pure naturales, uel per actus elicitos a gratia habituali, vel per actus productos absque gratia habituali; sed tamen cum gratia excitante, & auxiliante supernaturali, sed nullum horum dici potest, ergo maior patet, ex sufficienti partium enumeratione, minor probatur, non enim potest dici primum quia actus pure naturalis, non potest esse perfecta dispositio ad supernaturalem gratiam, quia omnis dispositio, hoc ipso, qđ est dispositio debet habere proportionem cum forma, ad quam est dispositio, inter naturale autem, & super naturale non potest esse proportio, ergo. Non secundum quia dispositio debet præcedere formam. Non tertium quia alioqui non essent

essent Angeli creati in gratia, quod tamen supra ostensum est esse falsum, & hoc arg umentum difficile est.

Secundò, Operatio illa, quam habuit Angelus in primo instanti suæ creationis, non fuit libera, quia operatio quæ simul est cum inceptione rei attribuitur auctori naturæ, ut infra.

Tertiò, Quia ut infra, dispositio perfecta ad grãm est meritoria uitę æternæ, sed dispositio præcedens gratiam non potest esse meritoria uitæ æternæ, quia gratia est ratio merendi, ergo.

Quartò, Quia Christus habuit gratiam per modum naturæ, ergo etiam Angeli, consequentia patet, quia Christus paulo minus fuit Angelis diminutus, ergo anteedens conceditur ab omnibus, ergo.

Secunda sententia est dicentium præcessisse dispositionem aliquam in ipsis Angelis, est D. Th. & eius discipulorum Caietani, 2.2.q.24.art.3.ad tertium. Ferarr. 3. contra gentes, capit. 110. Ioan. Gerson, lib. sum. tract. de gaudiis paradisi, quãquã male in hoc dicat conuersionem ad Deum fuisse ex libera uoluntate, confirmationem autem ex gratia. Banes, p.p.q.62. art.3. dub.2. Valentiæ, q. 13. de perfectione Angel. puncto 1. conclusio 3. quæ sententia mihi uidetur ex probabilior.

Conclusio probabilius est Angelos habuisse aliquos actus præuios, tamquam dispositiones ad gratiam. Verbi gratia actus fidei, spei, & dilectionis. Dixi probabilius, quia nihil certi haberi potest ex sacris litteris, vel Ecclesiæ determinatione, vel ex sanctis Patribus, probatur conclusio. Angeli actus præuios habuerunt ad gratiam.

Primò, Quia in gratiæ infusione contrahitur quædam amicitia inter Deum, & Angelos, quibus infunditur, sed uix potest intelligi, quõ sit amicitia absque præuio partium consensu, ergo. Spirituale coniugiũ sine consensu esse nõ dẽt.

Secundò, Per gratiam habitualem persona, cui gratia infunditur, desponsatur in sponsam Christi per spirituale cõiugium, sed hoc non fit absque consensu, ergo.

Tertiò, Quia de fide est in adultis requiri dispositionẽ ad gratiam, ita Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 4. sed Angeli fuerũt creati in maiori perfectione, quam homo adultus, quod significare uoluit D. Basil. in psal. 32. dum dicit Angelos nõ fuisse creatos in infantili natura.

Quartò, Quia duplex tantum uidetur esse iustificandi modus, uel per sacramenta, uel per actus dispositorios, sed Angelis non competant sacramenta, ergo.

Quintò, Quia nobilius est habere gratiam per dispositiones, quam sine dispositionibus, posito, quod non habeatur ex dignitate suppositi.

Ad argumenta. ad primum patebit dubitatione sequenti.

Ad secundum, Respon. melius infra patebit, tamen dico, licet non fuerit perfecte libera, talem tamen habuisse libertatem, quæ sufficeret ad dispositionem.

Ad tertium, Respon. Illum actum, qui fit post gratiæ infusionē in posterioritate dico naturæ esse meritorium uitæ æternæ, quia prius intelligitur quis esse filius, quam esse hæres.

Ad quartum. Respon. non eo modo Angeli habuerunt gratiam, quo Christus, quia Christo debebatur ex dignitate suppositi; non ita Angelis.

Ad ultimum, Respon. potuisse alios actus præcedere; licet non ab eadem gratia elicitos.

DISPVTATIO IIII.

Vtrum illa præuia dispositio ad gratiam sit effectiue causata ab illa gratia habituali infusa.



EST hæc dubitatio acutissima, subtilissima, & difficillima, & curiosa magis, quam utilis, uel necessaria. Est tamen propter multitudinem doctorum, qui illam tractanr, ualde celebris, & sunt duæ sententiæ, quę non tantum de Angelis, sed etiam de adultis, cum iustificantur, loquuntur.

Prima sententia est D.Thom.p.2.q.112.art.8.de uerit.q.28.art.8.& 4.d.17.q.1.art.4.q.1.& ante ipsum. Alb.4.dist.17.art.11.Ferarr.3.contra gentes, capit.153. Caietanus ubi supra in summa. Cano.p.p.relectionis de pœnitentia circa finem in respon.ad quartum. Sotus 4.d.14.42.& d.15.quæstio.1.art.6. Banes p.p. quæst.62.art.3. Valentię de perfectione Angel.puncto 1.conclusio.3. qui dicunt actus illos, qui sunt ultima dispositio ad gratiam effectiue produ ctos esse ab ea gratia, quæ infunditur, & ideo esse natura posteriores in genere causæ efficientis, quam sit ipsa gratia, licet in genere causæ materialis sint natura priores ipsa gratia. Explicant hanc sententiam exemplo uenti aperientis fenestram. prius enim est uentum percutere fenestram, in genere causæ efficientis, quam uentum intrare: & fenestram aperiri; tamen in genere causę materialis ipsum aperiri fenestræ prius est quam uentum intrare. Secundò explicant exemplo productionis formæ substantialis, q̄d maxime quadrat ex sententia ipsorum Thomistarum, putātium in transmutatione substantiali dari resolutionem, usque ad materiam primam, quia forma producta effectiue producit dispositiones ad ipsam formam, & forma producta in genere causæ efficientis, est prior ipsis dispositionibus: In genere tamen causę materialis illæ dispositiones sunt natura priores, quam ipsa formæ productio. hanc sententiam probant.

Primò, quia dispositiones proximæ ad ipsam gratiam sunt actus fidei, spei, & charitatis, quos in iustificatione posuit Sacro sanctum

ctum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. sed isti non possunt esse, nisi ex habitibus fidei, spei, charitatis; siue quibus non possumus credere, sperare, & amare, ut oportet ex eodē conc. ibidem

Secundò, Quia nisi illi actus procederent ex gratia infusa, ergo illis prima gloria non daretur ex meritis, consequens est falsum, ergo minor patet, quia uita æterna est merces, sequela probatur quia est de fide non esse meritū sine gratia, ergo est difficile argm̄.

Secunda sententia est dicentium illos actus non solum in genere causæ materialis, sed etiam in genere causæ efficientis, licet non perfecte causæ efficientis, quia illæ dispositiones uere gratiam non producunt, sed tamen simpliciter dicendas esse priores ipsa infusione gratiæ. D. Bon. 4. d. 14. art. primo q. 3. & d. 17. art. 2. q. 2. Ricc. ibid. d. 14. q. 6. Scotus ibid. q. 2. art. 2. Bassolis, & Gab. ibid. Dur. ibid. Andreas Vega q. 6. de iustificatione ad 9. & lib 6. in Cōcilium cap. 28. & 29. & Molina. p. p. q. 62. art. 3. ad primum.

Conueniunt igitur hæ duæ sententiæ in hoc, quod in genere causæ materialis istæ dispositiones sint natura priores ipsa gratiæ infusione, differunt, quia secunda dicit non esse posteriores in genere causæ efficientis, prima autem dicit esse posteriores.

Conclusio decisiua, Istæ dispositiones non sunt effectiue, siue in genere causæ efficientis posteriores ipsa gratiæ habitualis infusione, neq; ab ea gratię infusione effectiue producūtur, probat.

Primò, quia illa prima sententia est inintelligibilis & implicat apertam repugnantiam, quod aliqua sit dispositio necessaria ad ipsam infusionem gratiæ, & sit posterior in genere causæ efficientis ipsa infusione gratiæ, quod probo quia si effectiue sunt posteriores, ergo prius natura ego debeo concipere gratiam esse infusam, quam illas dispositiones esse productas; sed hoc ipso, quod concipio gratiam inesse in subiecto ante ipsas dispositiones, hoc ipso concipio ipsas non esse dispositiones, quia dispositiones proprie illę sunt, quæ effectiue, instrumentaliter tn̄, uel producunt ipsam formam ut in formis materialibus, uel saltem præcedunt, & postulant a Deo produci, ut in infusione animæ rationalis. ergo hoc ipso, quod sunt posteriores in ipso subiecto, ne in ipso quidē genere causæ materialis possunt intelligi priores, quia prius intelligitur in esse forma in subiecto, quam dispositiones.

Secundò, Quia hæc sententia innititur falso fundamento in Physica, quod in generatione detur resolutio usque ad materiam primam, & ideo quod forma secum afferat suas dispositiones, nam illæ sunt sine dubio priores ipsa forma, tāquā effectiuę illius.

Tertiò, Quia implicat dispositiones necessarias ad alicuius formæ receptionem effectiue produci ab ipsa forma, postquam est infusa, ergo antecedens patet, quia dispositiones ad efficiens reducuntur, tamquam illius instr̄a, interdum etiam tpe solent prçcedere ipsam formā, ut patet in productione formę ignis, calor. n. & siccitas, & raritas etiam tpe præcedūt ipsam formam ignis.

Quar-

Quartò, Quia actus procedentes ex gratia sunt ueluti actus secundi, ideſt operationes ab ipſa gratia, tamquam ab actu primò emanantes, ſed actus ſecundus in nullo genere cauſæ poteſt eſſe prior ipſo actu primo, ergo maior patet, minor probatur quia ſecundum, nunquam poteſt ſuo primo eſſe prius.

Quintò, Quia ſequi uidetur, quod prima gratia caderet ſub merito, quia actus procedentes ex gratia ſunt de condigno meritorij, non ſolum gloriæ, ſed etiam gratiæ, ut patet de augmento, ergo ſi illi actus ponantur, ut diſpoſitiones priores procedentes a gratia, uñr illius poſſe eſſe meritorii, quod tñ eſt ualde abſurdũ.

Pro ſolutione autem argumentorum, & ut melius explicetur, quomodo ſe ſe diſponere potuerint Angeli ad gratiam habitualem; Sciendum, non eas requiſitas fuiſſe in eis conditiones & diſpoſitiones, quas requirit ſacrum Concilium Tridentioum ſeſ. 6. cap. 6. quia illæ neceſſariæ ſunt ad iuſtificationem adultorum, quando ex peccato reſurgunt, cum autem Angeli non habuerint peccatum ante gratiæ infuſionem, ideo non eodem modo de ipſis, atque de adultis hominibus eſt philoſophandum.

Ita igitur hæc diſpoſitio eſt in ipſis ponenda, ut illud inſtans temporis, in quo creati ſunt diuidatur in duo inſtantia naturæ; In primo concipiatur natura Angelica producta, & per auxilium Dei ſupernaturale, ſeu per motionem Spiritus ſancti excitata intelligatur ad credendum, ſperandum, ex auxilio habituum infuſorum, & ad diligendum etiam Deum, quatenus poterant uiribus naturæ adiutis, ex ſupernaturali motione, & auxilio ſupernaturali Dei; In ſecundo intelligantur Angeli huic motioni non reſiſtere, ſed conſentire, & cooperari. & in ipſa cooperatione intelligatur habitus gratiæ, & charitatis infuſus, & poſita ipſa gratiæ infuſione elicuiſſe intelligantur actum ſupernaturalis dilectionis, quo gloriam meruerunt, ut infra dicetur, cum de merito Angelorum. Hoc autem hac ratione eſſe ponendum clarius patebit, in tractatione de gratia. Ex hoc.

Ad argumenta primæ ſententiæ Ad. primum Reſpon. ſatis eſt, ſi diſpoſitiones intelligantur, per habitus fidei, & ſpei, non autem per habitum charitatis, & gratiæ, ſed tãtum per actus charitatis, & dilectionis naturalis, cum auxilio tamen ſupernaturali, hos enim actus tamquam diſpoſitiones requirit Concilium Tridentinum ibid. Quando autem Concilium Tridentinum dixit eſſe neceſſarios habitus fidei, ſdei, & charitatis. non dixit neceſſarios eſſe illos habitus ad actus, qui debeant eſſe diſpoſitiones ad gratiam, ſed ad actus perfectes ſupernaturales, quibus creditur, ſperatur, & amatur, ut oportet, ideſt meritoriè de condigno uitæ ęternę.

Ad ſecundum. Nego ſequelam, quia ad infuſionem gratiæ ſequuntur illi actus ſupernaturalis dilectionis a nobis ſupra explicati, ideo per illos prima gratia non eſt ex merito.

POST



POST HAEC CONSIDERATIO.

DISTINCTIO V.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Vm supra Magister egisset de cõditionibus creationis Angelorum, in quibus æquales erant Angeli: nunc de bonorũ conuersione, & auersione malorum agit, quibus inæquales facti sunt, dum boni à malis discreti sunt, & tria facit in hac distinctione.

Primò, Quærit causam conuersionis bonorum, & auersionis malorum, & dicit appositionem gratiæ esse causam conuersionis, subtractionem vero esse causam auersionis; hanc autem subtractionem explicat, non quod dedita semel gratia, sit subtracta: sed quia non fuit apposita: & per appositionem, & subtractionem gratiæ dicit discretam esse lucem à tenebris, per bonorum conuersionem, &

& malorum auersionem. Hanc autem conuersionem dicit esse Deo inhærere, siue Deũ diligere; auersionem autem odio habere.

Secundò, Quærit. Vtrum conuersis Angelis datum sit aliquid, quo possent conuerti, & dicit datam esse gratiam cooperantem; auersis autem non esse datam: tamen illorum culpam esse, quod hac caruerint, quia si stetissent, illa gratia, quæ alijs data fuit, data esset & ipsis.

Tertiò, Quærit. Vtrum in ipsa creatione fuerit beati, & dicit non statim fuisse beatos, quia intercepta fuit quædam morula, qua mereri beatitudinem possent.

DISPVTATIO I.

Vtrum Angeli eguerint gratia ad hoc, ut conuerterentur.

DVbitationis huius solutio, pendet ex tractatu de gratia, & de merito. Si enim conuerti ad Deum est Deo ad hærere, & Deum diligere, & consequenter mereri, ideo quæ necessaria erunt ad diligendum Deum, & merendum erunt etiam necessaria ad conuersionem. Nam dilectio, qua quis Deo inhæreat, & mereatur debet esse supernaturalis dilectio.

Angeli gratia supernaturali eguerũt ad hoc, ut conuerterentur.


Conueniunt igitur omnes plane doctores cum Magistro eguisse Angelos aliqua gratia, ad hoc, ut conuerterentur, quia absque speciali Dei auxilio & motione Spiritus sancti non potest quis Deo credere, sperare, & amare, ut oportet, Concilium Tridentinum sess. 6. can. 3. ideo de lege Dei ordinaria, hac gratia, & motione eguerunt; Ratio autem huius necessitatis est sola superna-

natu-

naturalis obiecti excellentia, ad quam omni gratia destituti Angeli sunt maxime improportionati.

DISPVTATIO II.

Vtrum gratia data sit Angelis secundum naturalium proportionem.



Magister 2.distin.2. & 5.dicit, Angelis data esse supernaturalia secundum proportionem naturalium,quā sententiam tamquam rationi magis consentaneam sequitur D.Thom.ibidem,& prima parte quæstione 62.art.6.& communiter alij. Quæ sententia est uera, si bene intelligatur, potest autem tripliciter intelligi.

Primò,Quod Deus in largitione gratiæ,& consequēter gloriǽ dederit Angelis nobilioribus excellentiorem, & copiosiorem gratiam, ita, ut naturalis perfectio maior,esset dispositio ad copiosiorem gratiam.

Secundò, Quod Angeli omnes operati sint, & pro maiori naturæ præstantia etiam actus intensiores elicuerint; qui fuerint dispositiones ad copiosiorem gratiam.

Tertiò, Quod Deus ex mera sua liberalitate, non ita exigente mensura, uel dignitate naturæ, uel actuum Angelorum,uoluerit gratiam elargiri ipsis Angelis, ut nobiliori excellentiorem conferret gratiam,& etiam gloriam.

Primi duo sensus sunt falsi, & sapiunt hæresim Pelagianam: quia ut in Concilio Mileuita. & Arausic.1.& 2.& in Trid.sess.8. cap.5. & 6. neque natura, neque naturale quid, potest esse sufficiens dispositio ad gratiam, uel gloriam, sed omne ad beatitudinem pertinens, gratia Dei est. Quō gratia supernaturalis intelligatur Angelis data secūdū proportionem naturalium.

Tertius igitur sensus uerus est, & à doctoribus intentus, & in hoc sensu intellecta sententia, probabilior uidetur, & est sustinenda.

Conclusio unica probabilius est, quod nobilioribus Angelis excellentior gratia,& gloria data sit, probatur.

Primò auctoritate Sanctorū.Damascenus.lib.2. de fide orthodoxa,cap.3.dicit,quod Angeli pro suæ dignitatis,& ordinis ratione illuminationem, & gratiam à Spiritu Sancto habuerunt.Basil. lib.de Spiritu Sancto, cap.16.dicit, quod iuxta proportionem,& eminentiam dignitatis,qua se inuicem superant Angeli,habent à Spiritu Sancto sanctificationis mensuram.

Secundò,Quia sancti Patres Angelos nobiliores ad nobiliora munera destinari à Deo docent, ut patebit cum de distinctione ordinum, & de Angelorum custodia agemus.

Dixi autem in conclusione hoc esse probabilius, quia omnino certum non est, quod etiam notauit D.Th. supra.

Primò, Quia Deus in diuidendis gratijs, & donis non alia mensura utitur, quam uoluntate sua, ideo Ioann. 1. non enim ad mensuram dat Deus spiritum, & Rom. 12. & Ephes. 4. secundum mensuram donationis Christi, & 1. Cor. 12 Alij quidem per spiritum datur, sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, alij genera linguarũ, &c. hæc autem omnia operatur unus, & idem spiritus diuidens singulis pro ut vult.

Secundò, Quia ex naturæ perfectione hæc mensura desumenda non est, quia humanæ naturæ imperfectiori copiosiorem gratiam elargitus est, qui Angelos nusquam apprehendit, sed semen Abrahæ, Hebræos. 1. & Roman. 5. ubi abundauit delictum, superabundauit et gratia. Quare etiam imperfectioribus Angelis nobiliorem gratiam potuit contulisse. Ita etiam inter puras creaturas Beatam Virginem, uirili sexu utique ignobiliorem, ad eminentissimas beatitudines sedes, super omnium Angelorum, Archangelorum, &c. choros euexit.

Tertiò, Quia cum Angeli habuerint liberum arbitrium, etiam si extrinseca impedimenta non potuerint illos ab actu intentissimo retardare, tamen potuerunt cum æquali Dei auxilio supernaturali, uel etiam habituali gratia remissius pro libito operari, tum quia non omnia extrinseca impedimenta ab illis affuerunt, nam suggestio Luciferi erat extrinsecum impedimentum, ergo illius suggestione potuerunt omnino actum bonum deserere, ita & remissius operari potuerunt. auctoritas tamen sanctorum hanc sententiam reddit probabiliorem.

Dubium tamen mouetur à doctoribus hoc in loco, quia sequitur, quod duo homines ad equalem beatitudinem peruenire non possunt, quod est falsum, saltem propter paruulos baptizatos, sequela probatur, quia cum Angeli differant specie singuli inter se ex sententia D.Thom. Homines autem assumantur ad replendas sedes Angelorum, qui ceciderunt, ut docent Patres Augustinus 22. ciuit. cap. 1. & lib. soliloquiorum, cap. 27. Gregorius hom. 34. super Euang. & 32. moral. cap. 35. quod colligitur ex illo psal. 109. Implebit ruinas. Ephes. 1. per ipsum restaurare omnia in cœlis, &c. Græce dicitur ἀνακεφαλαιώσασθαι, quod recapitulare significat, quo uerbo tanquam maxime apto ad hoc sępe sancti Patres utuntur, Irenæus lib. 2. cap. 33. & lib. 5. post medium recapitulans, recapitulatus est, omnia inquit Christus, & alibi sępissime. Sed respõdeo primo cum Thomistis, ex hoc non sequi, quod tot præcise homines saluandi sint, quot Angeli ceciderunt, Secundo non q̃d ad easdem præcise sedes, ita ut duo non possint eundem locum Angeli obtinere. Respondeo deinde, quia nos Thomistarum oppositam sententiam docuimus, s. quod non omnes Angeli sint specie diuersi, ideo hæc difficultas in nostra sententia nulla est.

DI-

DISPVTATIO III.

An Angeli suam beatitudinem meruerint.



Onueniunt omnes planè Doctores (paucis quibusdam exceptis, qui putarunt Angelos creatos fuisse à Deo beatos) Angelos suam beatitudinem promeruisse, quod infra patebit, cum ostendemus quando, & quomodo Angeli beatitudinem meruerint, rationes à nobis afferentur. ideo hæc veritas hic fusius à nobis probanda non est; Sunt igitur duæ difficultates examinandæ, scilicet quomodo, & quando Angeli beatitudinem suam promeruerint.

DISPVTATIO IIII.

Quomodo Angeli beaitudinem promeruerint.



Rima sententia fuit quorundam, quos omnes ferè Scolastici citant, nullus tamen sequitur dicentium Angelos habuisse beatitudinem in primo instanti, quod dupliciter potest intelligi, primo quod creati sint beati, secundo quod in primo instanti habuerint actum meritorium, & simul etiam præmium; sed hæc sententia merito ab omnibus reijcitur, & quo ad primum sensum.

Primò, quia habere beatitudinem simul cum natura est proprium solius Dei, Dices proprium Dei est habere beatitudinem ex se, siue à se, Angeli autem licèt in primo instanti fuissent beati, tamen beatitudinem non habuissent ex se, sed à Deo; Contra, nam cum beatitudo habeat in creaturis rationem præmij, atque mercedis, etiam si Angeli non habuissent illam connaturalem, ut habet Deus, tamen habuissent mercedem absque operibus; præmium absque labore, finem absque mediis: hæc autem perfectio maior est, quam quæ creaturis competat, & ad Dei excellentiam quodammodo accedit, ideo Christus qui erat Deus, non ex merito, sed ex vi hypostaticæ unionis beatitudinem habuit. Proprium Dei est beatitudinē simul cū natura habere.

Secundò, quia etiam dæmones fuissent beati, & non peccassent.

Tertiò, quia beatitudo est merces Gen. 17. ego protector tuus sum, & merces tua, ideo comparatur denario diurno Rom. 4. ei, qui operatur merces non imputatur, secundum gratiam, sed secundum debitum, & ideo cadit propriè sub merito.

Quo ad secundum implicat contradictionem, quod simul sit

 præmium,

præmium, & meritum; quia præmium est gratia perfecta, meritum est ex gratia imperfecta, idem autem non potest esse perfectum, & imperfectum. Nec sufficit id, quod dicit Marsil. 2.q.4. art.2. Bonauen. dist. 5. in fine quod sufficiat prioritas naturæ, in quo fuerit meritum, in secundo instanti, naturæ præmium, nam quod in uno instanti temporis sit gratia imperfecta, & perfecta: viæ, & termini: medij, & finis implicabit semper: & si illa distinctio de priori, & posteriori naturæ sufficeret, nulla umquam daretur implicantia.

Secunda sententia est dicentium meruisse beatitudinem per opera sequentia, hæc ab aliis tribuitur Magistro. Nulla autem ratione defendi potest, quia ad meritum requiritur gratia imperfecta; ut patebit, cum de merito, ac beatus habet gratiam consumatam, ergo.

Tertia sententia est dicentium Angelos nõ fuisse creatos beatos, sed prius tempore meruisse beatitudinem deinde illam habuisse, quæ sententia est uerissima, & probabitur in disputatione sequenti, quæ est.

DISPVTATIO V.

Quando Angeli meruerint beatitudinem.



Irca hanc difficultatem, & eam, quæ est, quando Angeli peccarunt, maxima est inter Doctores discrepantia, nec satis bene, una sine alia explicari potest, hic tamen agemus tantum de merito.

Prima sententia est eorum, qui dicunt, Angelos non esse creatos in gratia, dicunt enim in eodem instanti, quo ipsis infusa fuit gratia meruisse beatitudinem, & consequenter illam habuisse, alios uero, qui ceciderunt, nec gratiam, nec meritum, nec beatitudinem habuisse, ita Alen. 2.par.q.109.memb.11. Alb. 2.par. quæst.19. & 2. dist.5.quæst.14. Magister, & D.Tho. hic & quodlib.9.art.8. docent hanc sententiam omnium esse probabilissimam, posito quod Angeli non sint creati beati, neque in gratia D.Bonauen.art.3.quæst.1. Aegid.quæst.2.art.2. Argent.q.1. art.4. Marsil. q 3. art.2. Bartholomæus de spina, quæst. de primis operibus Angelorum art.5.

Secunda sententia est dicentium, meritū non fuisse simul cum infusione gratiæ, sed post gratiæ infusionem, & antequàm beatificarentur Scotus dist.4.& 5.Gabriel.hic quęst.1.Capreol.dist.4. quæst.1. concl.3. dicunt probabile esse, quod meritum fuerit inchoatum, in primo instanti, quæ sententia probatur.

Primò, quia cum ex sententia D.Thom. 1.par.quæst.63.ar.6.ad tertium Angeli, in primo instanti suæ creaturis habuerunt tantum

tum

tum actum naturalem; ideo quæst. de malo, quęst. 16. dicit Angelos non potuisse peccare in primo instanti, quia in peccato eorum fuit appetentia diuinæ similitudinis, quæ esse non potuit in illis, quia habebant tantum cognitionem naturalem; sed ad meritum requiritur act[illegible] supernaturalis, ergo.

Secundò, quia si Angeli habuissent meritum in primo instanti, sequitur quod etiam Angeli mali meruissent beatitudinem quare ergo non fuisset illis data beatitudo?

Tertiò, quia peccatū Angelorum fuit ex inconsideratione referendi se in Deum, ut finem supernaturalem, ita D.Tho. 1.par. quæst.63.art.1. sed præceptum conuertendi se in Deum est affirmatiuum, quod non obligat ad semper, ergo.

Quartò, actus meritorius debet esse necessario liber, quia naturalibus, nec meremur, nec demeremur, quia necessaria sunt, quæ à natura, sed in primo instanti Angelus non potuit habere libertatem, quia operatio, quæ simul incipit cum esse naturæ, est ab auctore illius naturæ, quod autem est ab auctore naturæ non est ipsi naturæ liberum, ergo.

Quintò, quia prius ponendi sunt actus naturales in Angelis, quàm supernaturales, quia natura est id, quod est subiectum supernaturalium, sed si in primo ponuntur, actus supernaturales, prius non ponentur actus naturales, ergo.

Tertia sententia est dicentium, meritum non fuisse simul cum infusione gratiæ, sed cum ipsa beatitudine. hæc sententia à multis refertur, tamen auctorem nullum inueni, qui hanc sententiam defendat, potest tamen probari.

Primò, quia ex D.Tho 1.par.quæst.63.ar.8. Angeli unico actu meruerunt beatitudinem, qui actus fuit maximè perfectus, quia cum Angelus intelligendo non utatur discursu; ideo in instanti potuit elicere actum, qui totus simul, & maximè perfectus esset, ergo etiam in eodem instanti debuit esse confirmatus in gratia, consequentia probatur, quia non apparet, quare debuerit Angelis differri suorum actuum præmium; maximè quia Angeli habent liberum arbitrium inflexibile.

Secundò, quia dæmones in eodem instanti, quo peccauerunt, fuerunt in malo obdurati, & damnati ergo à pari Angeli boni in eodem instanti, quo meruerunt, debuerunt in gratia, & in bono confirmari, & consequenter etiam beatificari.

Tertiò, quia semper ultima dispositio ad formā, simul est cum ipsa forma, quia alioqui sequeretur, quod tunc forma esset, quando nulla est dispositio ad ipsam formam; sed ultima dispositio ad beatitudinem, est meritum, quod consistit in operatione supernaturali, ex gratia procedente, ergò.

Quarta sententia & Ioan. de Bassolis. hic quæst. p. art. 3. & Ferar. 3. cont. gent. cap. 110. dicit omnes Angelos in primo instanti tantum meruisse, in secundo autem esse beatificatos, sed non meruisse,

ſe, quia iam meruerant in primo inſtanti, quo ipſis fuerat infuſa gratia; non eſſe tamen beatificatos in primo inſtanti, quia implicat ſimul eſſe meritũ, & præmium; alios autem Angelos peccaſſe in ſecundo inſtanti, quia licet non poſſet ſimul eſſe meritum, & præmium; poteſt tamen ſimul eſſe demeritum, & damnatio.

Quinta ſententia eſt dicentium meritum fuiſſe in primo inſtanti uel cum infuſione gratiæ, & perduraſſe uſque ad inſtans, glorificationis Angelorum, ita Caietanus in p. p. quæſt. 63. art. 6 Banes ibidem. Franſciſcus Suarez in 3. p. quæſt. 19. art. 3. diſp. 39. ſectione 3. Molina p. p. quæſt. 62. art. 4. Valentia quæſt. 13. de perfectione Angelorum puncto ſecundo, in re conuenit in dicta ſententia, licet differat in modo explicandi, dicens unicum fuiſſe inſtans uiæ in Angelis bonis, in malis uero duo; tamen æquè longam fuiſſe uiam bonorum, ſicuti malorum Angelorum, quia illa coextitit ſemper huic.

Pro maximę huius difficultatis ſolutione, primo quædam ſunt nobis explicanda, ex quibus ueluti ex præexiſtēte, & firma cognitione, certa nobis fiat ſcientia de tempore, quo Angeli beatificati ſunt; Et primo quid nam intelligatur, per inſtantia, cum dicimus Angelos in primo, uel in ſecundo inſtanti eſſe beatificatos: ſecundo explicandæ ſunt conditiones requiſitæ ad meritum: tertio explicandus eſt modus operandi Angelorum.

Quænam inſtantia in Angelis ſint ponenda.

Sciendum eſt igitur in Angelis tripliciainſtantia poni, primum eſt temporis, ſecundum quod dicimus Angelos in primo inſtanti eſſe creatos, ſiue in principio temporis, illud inſtans fuit inſtans temporis.

Secundum autem inſtans, eſt inſtans naturæ, quo inſtanti ſolemus ſæpe uti, loquentes de Angelis. Verbi gratia, dum aliqui argumentantur dicentes, non potuiſſe eſſe Angelos creatos in gratia, quia gratia præſupponit naturam, reſpondemus, quod in eodem inſtanti fuit creatus Angelus, & gratia, ſed in primo naturæ inſtanti eſſe naturam Angeli, in poſteriori gratiam, & hæc inſtantia non ſolum Angelis, ſed etiam aliis conueniunt.

Inſtantia quomodo ponantur in Angelis.

Tertium inſtans, quod eſt proprium, & intrinſecum ęuiternorum, & ipſorum Angelorum, qui ęuo menſurantur deſumitur penes operationes ipſorum Angelorum, hac ratione.

Operationes Angelorum, quatenus ex ipſis indiuiſibiles ſunt, & totæ ſimul, & ideo tempore non menſurantur, ſed æuo, quod eſt genus menſuræ indiuiſibilis, Et ſi tempori operatio Angeli coexiſtat, illud tamen eſt per accidens. Totum igitur illud tempus quo operatio aliqua durat, appellatur inſtans unicum; cum autem alia operatio diſtincta eſſentialiter, uel quo ad obiectum, uel quo ad modum, uel quo ad intrinſecas circunſtantias ſuccedit; tunc fit aliud inſtans. Itaque inſtantia Angelorum diſtincta, ſunt diuerſę Angelorum operationes, ex quo colligitur. Angelorum inſtantia poſſe coexiſtere longiſſime parti noſtri temporis; Verbi gratia

Vnicum inſtans Angelorum coexiſtere poteſt longiſſime temporis parti.

gratia si Angelus, uno integro anno continuaret alicuius rei intellectionem, illud instans coexisteret uno anno nostri temporis. Ex illis instantibus componitur tempus discretum.

Sciendum est secundo ad meritum has conditiones requiri, uidelicet, ut sit actus uitalis, liber, supernaturalis, procedens ex gratia imperfecta. Tempus discretum quod sit.

Primò, requiritur, ut sit actus, quia per solam actus negationem quis non meretur; alioqui homo non occidendo, non furando &c. semper mereretur, qđ est absurdum, nam multo magis dormiens, quam uigilans mereretur, per solam igitur actus negationem non est meritum. Dices interdum implentur præcepta maxime negatiua per actus negationem. Verbi gratia non occides. Respondeo impletio illius præcepti non est tantum per solam negationem, sed per actum uoluntatis, quo quis non uult occidere, & in illo consistit meritum. Quæ conditiones requirantur ad meritum. Præcepta negatiua quomodo impleantur.

Secundò, debet ille actus esse uitalis, ideſt qui uere elicitus sit à persona, quæ meretur & de hoc nulla est dubitatio.

Tertiò, debet esse liber, quia naturalibus neque meremur, neque demeremur. Hæc autem libertas, alia est ad peccandum, uel non peccandum, alia & libertas contradictionis, alia libertas quo ad exercitium, alia quo ad specificationem. Certum est ad meritum non esse necessariam libertatem ad peccandum, quia alioqui Christus & confirmati in bono non possent mereri. Libertas etiam contradictionis non est necessaria, Verbi gratia, ut sit alicui integrum facere plurima opposita, Verbi gratia currere, saltare, iaculari &c.

Libertas autem quo ad exercitium, uel quo ad specificationem sufficit, quia satis per alteram istarum excluditur necessitas; quæ libertati opponitur, & in uoluntate ponitur aliqua indeterminatio.

Quartò, debet esse actus supernaturalis, uel ex obiecto, uel ex circunstantijs, qui sit, uel elicitus, uel imperatus a charitate, hac enim ratione dicitur supernaturalis, etiam si quoad entitatem, & sit naturalis, & etiam elicitus a potentia naturali. Quomodo actus meritorius debeat esse supernaturalis.

Quintò, debet procedere ex gratia, & ex motione Spiritus Sancti, dixi debet procedere ex gratia; ita ut ipsa gratia sit, quæ excitet, & moueat, & impellat. Non enim sufficit ad meritum, quod actus sit coniunctus cum gratia, sed etiam à gratia debet procedere, tunc enim dicitur esse ex motione Spiritus Sancti quando sit in obsequium Dei.

Sextò, debet illa gratia esse imperfecta, ideſt non consumata per gloriam, & beatitudinem supernaturalem, & hęc exactissime probabuntur cum de merito.

Sciendum est tertio Angelos, quia sunt substantiæ spirituales, & indiuisibiles, & quia non egent phantasmatibus in suis operationibus, ideo posse absque discursu operari, ideo fit, ut etiam pos-

possint in unico temporis instanti operari.

Angeli omnes meruerunt in primo instanti. Prima conclusio Angeli omnes in primo instanti suæ creationis meruerunt supernaturalem beatitudinem. Hæc conclusio intelligitur in meruerunt quod primo instanti temporis, & deducitur aperte ex supra explicatis quæstionibus.

Primò, Quia supra probatum est, omnes Angelus esse creatos in gratia, & etiam habuisse illam gratiam ex propria dispositione, quare ibi fuisse actum charitatis, nam posita illa prævia dispositione Deus gratiam contulit, & ipsi ex eadem gratia elicuerunt actum meritorium; fundamentum autem hoc, quia hic adsunt omnes conditiones, fuit enim ibi actus, ut supra probatum est, qui fuit uitalis, supernaturalis, ex gratia, imperfecta, & etiam liber, ut probabitur infra, ergo:

Secundò, Quia actus supernaturalis simul est cum infusione gratię, charitas enim ociosa esse non potest, neque possumus nos inuenire aliquid, propter quod non habuerint actum supernaturalem, maxime cum non implicet contraditionem, & ex alia parte maior inferatur in Angelis perfectio. Vnde sic argumentor & fit tertium argumentum.

Tertiò, illud est ponendum in Angelis, quod dicit maiorem perfectionem, si sit conueniens ipsorum statui; & non sit impossibile, sed habuisse in primo instanti actum supernaturalem dilectionis, & fidei, dicit perfectionē, ut patet, & est conueniēs statui Angelorum, quia erant uiatores, & non est impossibile, quia cum Angeli non utantur discursu, & sint spirituales, ita etiam suas operationes omnes habere possunt in instanti, ergo:

Quartò, ex D. Basilio & Damasc. Angeli sunt creati perfecti, ergo sicut habere actum secundum naturalem dicit perfectionem naturalem, ita etiam habere actum secundum supernaturale m dicit perfectionem, ergo est ponendus actus supernaturalis in illis.

Quintò, Angeli in primo instanti non potuerunt peccare, quia ut bene dicit D. Tho. actio, quæ simul incipit cum natura, tribui uidetur auctori naturæ; Sed non est referendum in Deum peccatū Angelorū, ergo. Et quidem non contendo de potentia Dei absoluta, non potuisse fieri aliter: sed de ordinata Dei potentia. Quod autem operatio, quæ est simul cum natura tribuatur auctori naturæ, probatur, quia actus secundus sequitur intrinsece primum, sed primus fuisset a Deo, ergo.

Quomodo fuit libertas in Angelis in primo instanti. Hic igitur est explicandum tantum, quomodo potuerit in Angelis, in primo instanti suæ creationis esse libertas in illo actu, quo ipsos dicimus eternam beatitudinem promeruisse, ex quo etiam maxima claritas toti quæstioni effulgebit. Primo igitur ponamus in Angelis ab initio suæ creationis fuisse etiam cognitionem Dei in ratione boni, & in ratione etiam obiecti, non solum naturalis cognitionis, sed etiam supernaturalis per fidem infu-

infusam, secundo ponamus propensionem in Angelorum uoluntate ad diligẽdum Deum, quæ naturaliter inest, ut infra probabitur; & quod etiam cognoscant Angeli hoc esse bonum, tunc in eodem instanti nascitur etiam inclinatio in uoluntate Angelorum ad ipsum bonum appetendũ. Hanc igitur propensionem voluntatis ponamus confirmari, & perfici per habitum charitatis infusum, & ipsos Angelos à Deo eleuari per supernas illustrationes ad Deum super omnia diligendum: tunc etiam sequitur in Angelis actus supernaturalis charitatis maxime liber, in quo potuit inesse meriti, & hac ratione clarius elucescit tota conclusio. Hoc autem ita posse supponi, vt diximus, patet, quia nihil supponimus absurdi, quodque abhorreat, uel à natura ipsius Angeli, uel ab influxu Dei, per supernaturalia auxilia.

Fateor tamen non ita exactam libertatem poni in Angelis, qualis ponitur in aliis instantibus, maxime quia ponimus esse creatos cum cognitione actuali ipsius Dei.

Secunda conclusio in instanti, quo Angeli boni sunt beatificati, non potuerunt habere meritum, probatur conclusio. In primo instanti beatitudinis Angeli non potuerunt mereri.

Primò ex dictis, quia actus ille, in quo est meritum, debet esse actus charitatis liber, & ex gratia imperfecta, sed actus dilectionis Dei cogniti per uisionem beatificam, & si sit liber; quia liberè mouetur uoluntas beati ad ipsum Deum diligendum, non est tamen ex gratia imperfecta, sed ex gratia consummata, ergo.

Secundò, quia nõ potest quis mereri, nisi dum est in statu uiæ, sed in instanti beatitudinis, iam non est amplius in statu vię, sed in termino, ergo. maximè, quia uisio beatifica incipit intrinsece, idest per primum sui esse.

Tertia conclusio, in secundo instanti Angeli boni continuauerunt meritum, & per illud sunt beatificati, conclusio eget tantum explicatione. Hoc secundum instans sumimus tantum penes diuersitatẽ operationis ex circunstantia, quia primũ instans fuit actus Angeli, quo meruerunt; sed non cũ plena libertate, qua ad malum etiam flecti possent, quia ponimus illos creatos cum actuali cognitione, & uoluntatis affectu optimè dispositio in bonum; quod igitur in eodem instanti sit bonus, & malus affectus in eadem uoluntate implicat, secundum instans dicimus esse continuationem illius actus, sed cum plena libertate, qua possent peccare; Posito ergo quod non peccarint tunc, sunt confirmati in bono; & glorificati, & sic sequitur, tertium instans perpetuum glorificationis.

Vnde sequitur duo tantum instantia uiæ in Angelis bonis esse ponenda, & in tertio habere beatitudinem, quod patet. In Angelis tria instantia esse ponenda.

Primo, quia ista duo instantia uiæ sufficiunt.

Secundò, quia debemus quam citissime ponere Angelos consecutos esse suam beatitudinem, hoc ipso quod sunt substantiæ intellectuales utentes operationibus indiuisibilibus, & quod ma-

ximi refert, habentes liberum arbitrium inflexibile.

Hinc colligi etiam potest, quando mali Angeli peccarunt; sed quia hac de re erit propria quæstio, ideo reijciatur in distinctionem sequentem.

Ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primũ Respondeo non ponimus Angelos habuisse beatitudinem in primo instanti creationis, sed in tertio, in primo autem instanti D.Tho. non negat fuisse etiam actum supernaturalem, sed dicit tantum fuisse naturalem, cum quo stare potuit etiam supernaturalis actus.

Ad secundum concedo sequelam, dico tamen beatitudinem non esse eis statim datam, quia decuit eos, per aliud instans esse in statu plenæ libertatis, quo etiam peccare possent; in eo autem instanti mali peccarunt, & damnati sunt.

Ad tertium patebit infra, inconsiderationem non fuisse peccatum, sed occasionem peccandi.

Ad quartum patet ex dictis fuisse illum actum liberum, licet non cum plena libertate, etiam ad malum, tamen fuisse liberum, quatenus necessario opponitur.

Ad quintũ, Respondeo satis est, si ponantur actus naturales natura, non autem duratione priores ipsis actibus supernaturalibus.

Ad argumenta tertię sententiæ. Ad primum. Respondeo Angelos unico actu meruisse beatitudinem, quia licet ponantur duo instantia vię, ponitur tamen unus actus circa unum obiectũ, scilicet actus dilectionis supernaturalis Dei, qui actus, quia prius concipitur absque plena libertate diuersificat instantia, sed tamen idem actus manet, & continuatur, ideo bona est illa sententia D.Thom. quod Angeli unico actu meruerunt.

Meritũ simul cũ præmio esse nõ potest.

Ad secundum, Respondeo disparem esse rationem de merito, & præmio, quæ est de peccato, & pœna, quia meritum, & præmium intrinsece repugnant simul esse, quia meritum dicit gratiam non consummatam, præmium beatificum dicit gratiam consummatam; peccatum autem dicit carentiam gratiæ, & damnatio illam etiam includit ideo hæc non repugnant sibi ipsis.


Ad tertiam, Respondeo actum illum, qui fuit in primo instanti non fuisse ultimam dispositionem, quia non erat cum plena libertate.



DISPV-

DISPVTATIO VI.

Vtrum Angeli poßint in sua beatitudine proficere.



Enius quæstionis est, an Angeli beati possint maiorem beatitudinem, quam habeanr promereri, & consequenter fieri beatiores, quam quæstionem fuse prosequi non possumus, quia locus proprius est cum de beatitudine, fit enim quæstio absolutè de beatis, siue Angeli, siue homines sint, Vtrum possint proficere. Tamen neque omnino eam dissimulare possumus, quia quidam ita opinati sunt, & præcipua quædã ratio uidetur in Angelis esse. Quid sit in beatitudine proficere.

Prima sententia est dicentium Angelos non solum posse, sed etiam de facto proficere in beatitudine: quę fuit sententia Magistri, dist. 11. qui dicit Angelos mereri bene custodiendo sibi creditos homines, D etiam Bonauen. Gab. & D. Thom. ibidem dicunt posse proficere Angelos in beatitudine accidentali, quia possunt mereri ulteriorem beatitudinem accidentalem, quæ sententia posset probari, tam quo ad essentialem, quam etiam qua ad accidentalem profectum. D. Thom. in summa retractauit se.

Primò, quia Lucæ 15. gaudium magnum est Angelis Dei super uno peccatore, &c.

Secundò, quia possunt Angeli proficere in cognitione misteriorum gratiæ, & Dei; quare etiam fieri potest, ut crescant in dilectione, ac proinde in merito, & consequenter in præmio.

Contraria sententia communis est omnium.

Prima conclusio. Non possunt Angeli beati proficere in beatitudine essentiali, conclusio est proxima fidei probatur.

Primò, quia iam sunt in termino, & hoc indicant loca illa scripturæ. Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit. Eccl. 11. & Io. 9. Venit nox, in qua nemo potest operari, idest fructuose ad maiorem gloriam, & illud Gal. 6. Dum tempus habemus operemur bonum, &c. Es 28. Pallium breue est, utrumque operire non poterit.

Secundò ratione, quia aliquis ex inferioribus beatis posset maxime operari, alius uero ex superioribus non operari, & inferior fieri posset superior, quare maxima æmulatio in beatis po neretur.

Tertiò, Quia friuola est illa sententia, quod mereantur Angeli custodiendo, quia non omnes Angeli custodiunt, sed alij assistūt, & infimus tantum ordo custodiæ deputatur hominum, licet alij superiores custodiant etiam ciuitates, & prouincias, regna, &c.

Quartò, Quia sequitur posse etiam peccare male custodiendo.

Quintò, Quia etiam damnati possent semper demereri, & mul tiplicaretur eorum damnatio.

Secunda cõclusió.Non possunt meteri ulteriorem beatitndinem accidentalem, probatur ijsdem rationibus, quibus prima. Quibus adde, quod cum nulla ratione sint uiatores, nulla ratione merentur, tum quia habent beatitudinem, multò copiosius præmium, quam omnia illorum opera secundum ualoré naturalem considerata mereri possunt.

Tertia conclusio, tamen absque merito proficiunt Angeli in beatitudine accidentali, probatur.

Primò, Ex illo Lucæ 15 Gaudium maius,&c. D.Hieronymus in regula ad Eustochium. Lęti, & gaudentes Angeli uobis occurrant.

Diuus Aug.lib.medit. Quoties bene agimus Angolos lætificamus.Inno. III. in cap.cum Martę admittit, ut probabilem sententiam eorum, qui putant gloriam beatorum crescere usque ad dié iudicii. Beda. Sacerdos, qui quotidie non celebrat, priuat Deum gloria, Angelos lætitia,& per hęc patet.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad Primum patet ex dictis.

Ad secundum, Respondeo. Quia beati uident Deum sub ratione summi boni, ideo illum diligunt, quantum possunt toto pectore, viribus, corde, atque anima. Illæ autem particulares cognitiones mouent tantum illos ad laudandum Deum magis extensiue, Hinc in scriptura sępe audiuntur cantica uocis. Apoc.9.& cantabant canticum nouum propter nouam gloriam, quam Deo dabant ex nouo cognito mysterio.




PRAE-



PRAETEREA SCIRI OPORTET.

DISTINCTIO VI.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Rosequitur Magister hic, quod in superiori distinctione instituerat, cœperat enim dicere de auersione malorum, & conuersione bonorum. Hic igitur agit de casu malorum, docetque ex omni ordine Angelorum cecidisse, omniumque supremum fuisse Luciferum, qui in superbiam elatus æqualitatem Dei appetijt dicens, in cœlum conscendam, &c.

Secundò, Docet Angelos è cœlo expulsos fuisse, & alios quidem in inferno esse detrusat, quod verisimile esse dicit de Lucifero; alios autem in hoc aere caliginoso cruciari ad homines impugnandos.

DE

DE PECCATO ANGELORVM.

CVm de facto constet Angelos peccasse, nihil est, quod in ea explicanda difficultate diutius immoremur, An in Angelis possit esse malum culpæ. si enim de facto est, ergo potuit esse, tamen antequam ad peccatum Angelorum pertractandum descendamus, prius hæc quæstio nobis est examinanda.

DISPVTATIO I.

Vtrum creari possit aliqua creatura natura sua impeccabilis.



CErtum est aliquam creaturam per gratiam fieri posse impeccabilem, vt patet de beatis, & de confirmatis in bono, sed hoc est, uel ratione status in beatis, vel ex gratia, & assistentia speciali Spiritus sancti, ut in confirmatis.

Certum est etiam naturam quamlibet natua sua peccabilem posse præseruari, ut numquam actu peccet, ut de B. V. & de Angelis bonis certissimum est, Dubium est, an fieri possit creatura, quæ ex natura sua sit impeccabilis.

Prima sententia est dicentium, posse a Deo fieri naturam aliquam impeccabilem (in hac autem quæstione solum est mentio de natura intellectuali, nam irrationalis natura impeccabilis est) in ordine ad finem, & bonum naturalem, non autem in ordine ad finem supernaturalem, & dicunt eiusmodi de facto esse Angelum, qui in ordine ad finem naturalem, si in puris naturalibus esset factus non peccasset, nec peccare potuisset, ita Capreol. 2. dist. 22. quæst. unica, art. 3. ad primum, qui dicit esse mentem Diui Thom. quæst. 16. de malo. art. 3. Durandus d. 23. in quam propendent Banes. & Valentia, & alii recentiores, probatur.

Primò, Quia posset Deus creare naturam cum scientia adeo acuta, & adeo prompta uoluntate, ut in ordine ad finem sibi naturaliter proportionatum esset impeccabilis.

Secundò, Quia ea uoluntas, quæ infallibilem cognitionem habet circa finem, & necessarium etiam amorem ipsius finis, est impeccabilis, sed talis potest fieri a Deo, ergo minor probatur. Quia

po-

poteſt Deus naturæ dare excellentiſſimam cognitionem,& propenſionem alicuius finis naturalis,maior probatur,quia illud deſiderium finis eſſet regula omnium rerum, quæ ordinarentur ad illum finem, ergo.

Secunda ſententia eſt dicentium, poſſe fieri naturam aliquam impeccabilem, tam quo ad finem naturalem,quam etiam ſupernaturalem,quia poteſt Deus limitare, uel determinare uoluntatē in illum finem,uel ut ſemper ſequatur iudicium rationis, uel uoluntatem Dei, quomodo Elitropium ad ſolem, ita Maior diſt.23. quæſtio.2.Gab.diſt.23.quæſt.1.quod probatur.

Primò, Quia eſſe impeccabile per naturam non dicit perfectionem infinitam,ſed finitam,ergo erit communicabile creaturæ,antecedens patet,quia bruta ſunt impeccabilia, ergo.

Secundò poteſt Deus creare aliquam creaturam, quæ naturaliter uideat Deum,ſed huiuſmodi creatura erit impeccabilis,ergo minor patet,nā beati ex rōne intrinſeca beatitudinis ſunt impeccabiles;maior probatur.Quia ſi poteſt eleuare creaturam ad uiſionem Dei mediante lumine gloriæ; ergo etiam poterit creare aliā naturam tantæ perfectionis naturalis; quale eſt lumen gloriæ,& ita clare naturaliter uidebit Deum,ergo erit impeccabilis.

Tertiò,Facta eſt natura corporalis,quæ ex ſua natura eſt impeccabilis, ſicuti bruta,& lapides,& arbores,ergo etiam natura ſpiritualis,conſequentia patet,quia natura intellectualis ſpiritualis eſt, & Deo uicinior,de cuius ratione eſt non poſſe peccare.

Quartò aliqua creatura dat naturę eſſe impeccabile,ergo etiam ipſa natura poſſet eſſe impeccabilis, antecedens patet, quia gratia eſt,quæ dat eſſe impeccabile, gratia autem eſt creatura,cōſequentia patet,quia poteſt Deus naturæ intellectuali,vel connaturalem efficere gratiam,uel ſaltem illi tribuere perfectionem gratiæ,tam quam naturalem illius perfectionem.

Quintò, Non implicat, quod Deus efficiat naturam aliquam determinatam ad ſequendum iudicium rationis in omnibus,vel Dei uoluntatem, ergo antecedens patet, quia hanc inclinationē naturalem dedit pluribus entibus naturalibus, ut ferrentur ad alia, ut magnes ad ferrum, palea ad ſuccinum, Elitropium ad ſolem, ergo.

Sextò, Si non poſſet, maxime propter rationes D. Thom.quia ſcilicet nulla creatura eſt ſua regula,& quia eſt ex nihilo;ſed neutra harum rationum concludit,ergo nō prima,quia ſufficit,quod eſſentialiter ſit cum regula coniuncta,ut in beatis, non ſecunda, quia etiam gratia eſt ex nihilo, & quia licet intelligentiæ, & cœlum,& rationalis anima ſint eſt nihilo, tamen ſunt immutabilia quo ad eſſe,ergo.

Tertia ſententia eſt dicentium nullam fieri poſſe creaturam naturaliter impeccabilem,non ſolum contra finem ſupernaturalē, ſed neque contra finem naturalem; Sed neceſſario omnem eſſe pec-

peccabilem,ita Scotus distinctione 23. quæstio. unica, probatur.

Primò,Quia pro sua libertate illa natura esset indeterminata,et posset hoc,& illud bonum,& malum , benè, & malè velle, & licet sit determinata ad uolendum bonum,tamen potest etiam malum tegi uelamine bono,& ita potest uelle etiam malum.

Quarta sententia est communissima omnium dicentium nullam creaturam intellectualem fieri posse naturaliter impeccabilē quoad finem supernaturalem , Magister cum scolasticis distinctione 23.

Pro quæstionis huius grauissimæ solutione.Notandum est primo , quod quemadmodum uoluntas modo determinata est ad amandum finem,ut finem,& bonum,ut sic etiam posset Deus aliquam uoluntatem creare,quæ esset determinata ad aliquem certum finem, & bonū aliquod; quomodo sensus determinatus est. & in hoc nulla apparet implicantia. Et in hoc casu non est dubiū, quod uoluntas posset esse impeccabilis circa illud bonum,quia esset determinata; Sed tamen hęc positio non tollit difficultatem, quia uoluntas illa non esset amplius uoluntas, nisi solo nomine, sed re uera,ita esset natura quædam seu naturalis potentia , sicuti etiam aliæ , quia esset determinata , de ratione autem uoluntatis est,ut sit indeterminata,quia absque indeterminatione in ipsa nō est libertas . Quæstio ergo tractari debet de uoluntate aliqua libera.

Voluntas ad bonum determinata in uniuersali, non est impeccabilis.

Notandum secundo non sufficere ad rem explicandam id, quod alii dicunt , posse uoluntatem determinari ad bonum , uel ad sequendum iudicium rationis, quia hoc bonum, uel erit in uniuersali, uel in particulari;si in uniuersalis etiam nostra uoluntas est determinata ad bonum, ut bonum in uniuersali,tamen in particulari,idest circa hoc,uel illud bonum est indeterminata, & ita peccabilis est; non quia faciat aliquid contra bonum , ut bonum , sed contra hoc bonum particulare; Si autem uoluntas determinetur etiam quo ad bonum in particulari,non amplius erit uoluntas,sed naturalis potentia,quia nullam plane libertatem habebit. Ita etiam iudicium in homine duplex est, aliud uniuersale. Verbi gratia faciendum est,quod est bonum,aliud particulare,ut faciendum est hoc,uel illud bonum,uoluntas nostra non est peccabilis contra hoc iudicium in uniuersali , quia semper hoc uult, sed in particulari est peccabilis , quia neque intellectus determinatus est , ut iudicet hoc particulare esse bonum ; neque uoluntas determinata est,ut eligat hoc,uel illud in particulari . Quod si hac ratione esset ligata, non amplius uoluntas esset uoluntas, quia nō esset libera . Debet igitur hæc quæstio tractari de uoluntate formaliter manente libera in tota plenitudine libertatis.

Nulla creatura est naturaliter impeccabilis.

Prima conclusio. Nulla uoluntas potest creari impeccabilis naturaliter, in ordine ad finem supernaturalem ; Conclusio est certissima , ut oppositum uideatur errori proximum probatur .

Pri-

Primò,ex scripturis Rom. 8. Vanitati subiecta est omnis creatura etiam non uolens &c.Ps. 102.recordatus est,quoniam puluis sumus, & Ps. 102. cognouit figmentum nostrum. Matt. 19. nemo bonus,nisi solus Deus,& Rom.3.ut solus uetus,omnis autem homo mendax primæ Ioan.primo si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. Iob. 11. Quis potest dicere mundus ego sum.tumquia in scripturis immutabilitas Deo tribuitur,tamquam maxime ipsius propria,Ego Deus,& non mutor,& illud Iacobi primo Apud quem non est transmutatio &c. de creaturis autem dicitur Ps. 103. dante te illis colligent &c.in quibus,aliisque testimoniis illud considerandum est, quod illud,puluis sumus, figmentũ &c. significat defectibilitatem, seu nihileitatem,quæ in nobis est primę Timot. 6. qui solus habet immortalitatem.

Secundò,hæc ueritas definita est in Concilio Viennensi,& refertur in Clementina. Ad Nostrum de hæreticis;contra Begardos ac Beguinas dicentes,posse homines in hac uita ad tantum perfectionis gradum deuenire, ut nec amplius proficere, nec amplius peccare possint; Item in Concilio Arausic.2. Tridentinum sess.6. cap.11.13.

Tertiò, ex Patribus S. Hieronymus fusissime hoc probat. lib. contra Iouinianum, ubi pluribus sanctorum exemplis hoc probat, & epistola ad Damasum de filio prodigio, cuius sententias, quia prolixiores sunt, hic non describo;in cap.1. Epistolæ ad Gal. Angelos quoque ait esse mutabiles, qui non seruauerunt principatum suum, sed derelinquentes proprium domicilium &c. Dei solius naturam esse immutabilé, de quo dicitur,Tum uero ipse es & in cap. 6. eiusdem epistolæ initio.Et pulchre ait præoccupatum hominem in delicto, qui mori possit, ex ipso nomine fragilitatem conditionis ostendens, ut dignus sit uenia, qui uelut homo errore deceptus,& mersus in uoraginem,se ipsum sine auxilio,& adiutore erigere non possit.

Tertullianus lib.2.contra Marcionem, hoc ex professo probat. idem facit.

Sanctus Iustinus martyr. in apologia 2. pro Christianis ad Senatum Romanm.

Sanctus Ambrosius lib.2.de fide cap.2. Non sunt fragilia comparenda diuinis,solus Deus habet immortalitatem.(loquitur autem de immortalitate,quæ est secundum peccatum)Apostolus enim cum sciret,animam, & Angelos immortales,tamen dixit, solus Deus habet immortalitatem,Nam & anima moritur, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, Nec & Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in mente est creatoris, Et infra pluribus idem probat,& lib. 5.de fide capit. 6. Omnis creatura mutabilis est,sed non mutabilis Dei filius. Omnis creatura accidentia boni, & mali recipit, suæ capacitate naturæ, eandemque decessionẽ sentit, Dei autem filio nihil potest ex eius diuinitate,

Cur solus Deus dicatur immortalis.

Et uel

uel decedere, uel accedere, & lib. primo de Spiritu Sancto cap. 4. in fine. Omnis ergo creatura mutabilis, non solum ea, quæ iam peccato aliquo, aut elementorum conditione mutata est, uerum etiam quæ corruptelæ potest esse noxia uitio naturæ, & si munda est studio disciplinæ, nam ut in superioribus libris ostendimus, & Angelorum naturam liquet potuisse mutari. Vtrique æstimare conuenit, qualis unius natura, talis, & cęterorum. Mutabilis ergo, & reliquorum natura, sed melior est disciplina. Per mutabilitatem autem peccabilitatem B. Amb. intelligit.

Sanctus Gregorius lib. 25. moral. cap. 4. Sed cum cuncti nouerimus, quia anima humana, & Angelici spiritus sunt immortales instituti, Cur a Paulo dicitur, Qui solus habet immortalitatẽ? nisi quia solus Deus uere non moritur. Quia ergo ex nihilo condita est ipsa anima, ex se nihilominus infra se tẽdit, nisi ad boni desiderii statum artificis sui manu teneatur. Ex eo igitur quod creatura est, deorsum, sic habet. Virtute namque propria in præceps se ire posse considerat.

Sanctus Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 10. Sic itaque cũ Angelus potuit a se auferre iustitiam, & non abstulit, ideo dicitur a se iustitiam habere. Quare solus Deus perfecte habet a se, quicquid habet, ideo maxime laudandus de bonis, quæ habet, & seruat non ulla necessitate, sed sicut supra dixi propria, & æterna immutabilitate.

Plurimas alias Patrum sententias præcipue ex B. Augustino, Hieronymo, Gregorio, in unũ collectas habes apud Gratianum, De Pęnitentia d. 2. ideo eas ibi legendas reseruaui.

Quartò, a posteriori quia constat ex omni natura intellectuali, siue Angelica, siue humana peccasse, & nisi peccarint, fuisse ex gratia.

Quintò, per rationes D. Tho. quę optimæ sunt, quia nulla creatura est sua regula, & quia est ex nihilo. Hæc autem ratio ab Aureolo impugnatur, pro ut in sexto argumento in contrarium, tamen. Pro declaratione huius rationis.

Cur Deus peccare non possit.

Notandum est primo, quod Deus est impeccabilis. Ratio autem quia impeccabilis est redditur quia est prima bonitas, sicuti etiam ratio, quare neque decipi, neque decipere possit, assignatur, quia est prima ueritas, & ratio cur deficere, seu non esse non possit est, quia est prima entitas. Ad hoc autem, ut sit prima bonitas, non solum in essendo; sed etiam in operando apponitur, quia est ipsa regula suarum operationum. Ex duplici enim capite potest in aliquo esse peccatum uel ex defectu scientiæ in intellectu, uel ex defectu rectitudinis in uoluntate. Deus ergo quia est maxime intellectiuus, & est ipsa scientia, ideo est ipsa intellectus sui regula, quia autem est ipsa bonitas in actu primo, est etiam sua regula in actu secundo. Et ex hoc nascitur. Dei impeccabilitas per essentiam.

Deus est sua regula in operando.

Ex duplici capite oritur peccatũ.

Quo-

Quoniam ergo nulli puræ creaturæ hæc excellentissima, & perfectissima priuilegia conueniunt, ideo ex sua natura possunt in operando deficere; Et quidem nonnullis hæc regula inseparabiliter applicatur, ut beatis, ideo ipsi, quia sunt necessario ex ratione sui status cum hac regula coniuncti, peccare non possunt. Hæc autem regula nulli creaturæ naturaliter potest esse coniuncta. Quis enim naturalem, & necessariam habeat cum Deo, atque cum ipsius excellentissima atque infinita perfectione connexionem? ideo si alicui applicetur erit ex gratia, Et ideo patet optimam esse illam D. Tho. rationem, quia nulla creatura potest esse sua regula.

Notandum secundo, quod peccare uoluntatis appellatur defectus, quia .s. peccare, est a recta regula deficere. Vnde D. August. lib. 5 .ciuita. capit. 7. Nemo quærat causam efficientem malæ uoluntatis, neque enim illa est efficiens, sed deficiens, neque illa est effectio, sed defectio, deficere namque ab eo, quod summe est, ad id, quod minus est hoc est incipere habere malam nolũtatem, & hac de causa peccare in uoluntate appellatur deficere; quia dum peccat a recta regula operandi deficit, & declinat: Et ideo maxime etiam commendo ingenium B. Damasc. Theodoreti, Nysseni qui dicunt idem est lapsus in Angelis, quod mors in hominibus, quia quemadmodum homines moriendo deficiunt, ita etiam Angeli peccando deficiunt. Et quidem nolo ego ex hoc inferre, quod peccare, & deficere quo ad esse, sint omnino idem; sed quod sunt proportionata. Peccare non est aliquid efficere sed deficere. Idem est casus in Angelis quod mors in hominibus.

Ratio igitur, quod Deus peccare, seu deficere in operando non possit est, quia est prima entitas & prima bonitas. Hęc autem prima entitas, & bonitas quæ entitatis est passio ideo prima est, quia non ab alio; ideo creaturæ, quæ esse suum habent ab alio, non possunt dici, neque prima entitas, neque primum ens, neque summum ens; quia solus Deus hoc ipso, quod est prima entitas, est etiam summum ens, & plenitudinem entitatis habens. Vnumquodque enim est maxime tale, propter quod aliis inest uniuocatio 2. met. tex. 4. ideo creaturæ non possunt suæ entitatis plenitudinem habere, quia non sunt prima entitas; & quia ex nihilo sunt. Deus enim creaturas producens, non communicauit, neque etiam communicare potuit totam entis plenitudinem, quia produxisset Deum; quod implicat. Quantum ergo deficit entitas creaturæ finita ab immensa entitatis plenitudine, totum id suppletur ex nihilo, sicuti & calidum, ut quinque, quia non explet totam latitudinem qualitatis, habet admixtos tres gradus frigoris, quibus tota qualitatis latitudo expleatur: Quare etiam creatura manet semper in suo nihilo, & est mixta ex entitate, & nihilo. Quod ergo creatura deficiat, seu deficere possit, non habet quia est ens, Ens enim ad esse, non ad deficere inclinat, sed habet ex nihilo, quia nihil in nihil tendit; & deficere est ad nihil tendere. Plenitudo entitatis creaturis cõmunicari non potest. Quomodo creatura dicatur manere in suo nihilo.

Ee 2 Crea-

Creaturis igitur omnibus hoc maxime proprium, & connaturale,& intrinsecum est, ut sint defectibiles;ideo psal. 103.bene dicitur,Dante te illis colligent &c.

Ex hoc igitur,quod creatura de se in nihilum tendit, fit ut perpetuo indigeat quadam Dei sustentatione, ac manutenentia; & cõseruatione, quæ communiter a Theologis dicitur concursus generalis, quo entia cuncta sustentantur, Et licet entia quædam dicantur naturaliter incorruptibilia, & immutabilia, ut Angeli, Anima rationalis,cœlum;ista tamen dicuntur incorruptibilia supposito generali concursu Dei, ad differentiam entium corruptibilium, quæ etiam stante generali Dei concursu moriuntur, ut animalia, & plantæ, quia præter illud generale principium defectibilitatis, quod est esse ex nihilo,habent & aliud,quod est calor naturalis, qui consumit humidum radicale,unde sequitur mors.

Concursus generalis Dei.

Notandum tertio.Quod gratia est concursus quidam Dei,quo cum creata uoluntate concurrit, Et sicut se habet generalis Dei concursus ad esse rerum,ita etiam se habet concursus Dei per gratiam ad uoluntatem. Ideo sicuti ablato concursu generali, res in ipso instanti uertuntur in nihilum, ita ablata gratia, uoluntas in eodem instanti fit defectibilis;licet non actu in eodem instanti necessario deficiat; sed per aliquod exiguum tempus possit rectum aliquod operari; tamen ipsa gratia sustentat, corroborat,iuuat,& fouet uoluntatem in operando.Cum ergo ipsa gratia nulli sit connaturalis; ideo neque ista impeccabilitas ulli potest esse naturalis maxime si consideretur in ordine ad finem supernaturalem, Et ex hoc discursu, apparet rationem D. Tho. esse optimam,quia creaturæ sunt ex nihilo, quæ est etiam Sanctorum Patrum, quos attulimus in dist.3. disput.4.sectione tertia.

Vt se habet concursus generalis Dei ad omnes creaturas,ita se habet gratia Dei ad creatam uoluntatem.

Secunda conclusio Nulla creatura intellectualis potest esse naturaliter impeccabilis, nec etiam in ordine ad finem naturalem; loquor hic de natura intellectuali conseruata sua libertate;quia si alioqui ita determinaretur, ut supra explicatum est,ut nulla in ea esset libertas, non esset ibi uoluntas,ut uoluntas. Probatur conclusio.

Nulla creatura intellectualis naturaliter potest esse impeccabilis in ordine ad finem naturalem.

Primò, Quia uel illa natura esset ordinata etiam ad finem supernaturalem, uel ad naturalem solum; si ad supernaturalem,ergo cum peccabilis esset in ordine ad finẽ supernaturalem, esset etiam peccabilis contra naturalem,tumquia naturalis finis est sub ordinatus supernaturali;tumquia rectitudo naturalis,est participatio quædam diuinæ bonitatis,quæ est finis supernaturalis:quare ps.7.dicitur, Dñe quis ostendet nobis bona, & dicitur, signatum est super nos lumẽ uultus tui, quia naturale lumen est etiam lumen uultus Dei: si ad finem naturalem tantum sit ordinata,etiam tunc esset peccabilis, tum quia non esset sua regula, tum quia ex nihilo; tum quia pro sua libertate posset hoc,uel illud eligere ergo.

Naturale lumen est participatio diuini luminis.

Secun-

Secundò, Quia etiam si illa natura sit perfectissimæ intelligentiæ, & optimæ rectitudinis, tamen semper est præcepti capax, & licet illud præceptum ordinetur ad finem naturalem; tamen pro sua libertate, potest illi præcepto nolle obedire; & cum in ea futura esset aliqua maioritas, uel minoritas; & alius princeps, prælatus, magistratus, posset alteri imponere præceptum, & non indicare ei causam, seu finem illius præcepti in re aliqua indifferenti, tunc subditus pro sua libertate non cognoscens præcepti habitudinem ad finem, posset nolle obedire, & peccare.

Atque ex hac conclusione patet, non bene à Canonistis quibusdam intelligi quæstionem. Glossa enim in Clementina ad nostrũ de hæreticis. §. impeccabilis, dicit si quis intelligeretur factus impeccabilis per absolutam Dei potentiam (loquor autem in ordine ad finẽ supernaturalem) esset catholice dictum, & hoc priuilegium gloriosiæ Virgini Mariæ creditur datum esse diuinitus, dicere autem hoc secundum legem communem, qua Deus gratiæ suę dona sanctis dispensat, hoc est hæreticum, nam secundum legem communem nullus potest fieri impeccabilis, nisi per beatificam uisionem, in quibus uerbis plura sunt male intellecta, & improprie explicata.

Dices primo, si ponitur natura cum præcepto, non amplius illa natura est in puris naturalibus. Contra, nam hoc ipso, quod illa natura est intellectualis, est capax naturaliter præcepti; & si addatur præceptum non extrahitur illa natura extra statum naturalem.

Dices secundo. Nonne potest Deus dicere, uolo, ut hęc natura faciat semper id, quod sibi præceptum fuerit; uoluntas autem efficax Dei non decipietur? Respondeo tunc illa natura non erit in puris naturalibus: Sed illa uoluntas Dei erit gratia, & quid extrinsecum illi naturæ, determinans naturam ad bene operandum.

Dices tertio, illa secunda ratio assignata procedit, si creentur plura indiuidua unius, uel diuersę speciei; Sed quid si unũ tantum indiuiduũ ponatur in natura: tunc non habebit principem, neque pręlatum. Respondeo in eo casu poterit Deus pręceptum illud, & alia plurima imponere de re indifferenti, & non indicare causam pręceptorum, quare pro sua libertate poterit illa natura peccare, & deficere.

Ad argumenta primę sententiæ. Ad primum Respondeo illa scientia in re indifferenti non indicabit connexionem medij indifferentis cum fine, & per hoc patet etiam.

Ad secundum illius sententię maxime cum ijs, quę diximus paulo superius.

Ad argumenta secundę sententię. Ad primum, Respondeo naturam intellectualem esse impeccabilem per naturam dicere infinitam perfectionem, bruta autem, quia non sunt capacia pręce-

pti, ideo non posse peccare, & hoc ponit in ipsis maximam imperfectionem.

Ad secundum nego antecedens. Ad probationem, Respondeo cum Capreolo negando consequentiam, quia cũ lumen glorię sit ordinis supernaturalis; & diuersæ speciei, quantumcunque perficiatur natura, in suo ordine, numquam perfectionem illius naturaliter attinget, sicuti quantuncunque perficiatur asinus in sua specie, numquam attinget perfectionem equi, licet equi perfectio sit finita.

Ad tertium patet ex dictis.

Ad quartum patet ex dictis, quia illa gratia est Dei concursus supernaturalis.

Ad quintum si illa uoluntas sit naturaliter determinata, non erit uoluntas.

Ad sextum patet illas rationes esse optimas.

Argumentum tertię sentẽtię confirmat nostram opinionem, & hęc de hac controuersia, quę maxima est.

DISPVTATIO II.

Quodnam fuit peccatum Luciferi.



LVdouicus Granatensis concione tertia in festum Sãcti Michaelis dicit, Theologi, qui rectius in hac parte philosophantur, primũ Angelorum peccatũ docent fuisse omissionis, non commissionis. Sed tamen.

Primũ peccatũ Angelorum non potuit esse peccatum omissionis.

Certum est primo, quod primum peccatum Angeli fuit aliquod peccatum commissionis, non autem omisionis; quia omnis omissio fundatur in aliqua commissione semper, ut patet cum de peccatis. hoc probat D.Bonauentura 2.dist.5. quęstio.1.articu.1. & in scriptura etiam dicitur fuisse superbia, inuidia, &c.

Secundò certum est, primum peccatum fuisse aliquod uelle, nõ autem nolle, ita Scotus hic quæst.2.art.1. quia omne nolle fundatur in aliquo uelle, sicuti negatio in affirmatione.

Tertio certum est, fuisse aliquem inordinatum sui amorem. Qui dicebas in corde tuo. D.August.14.ciuit.cap. ultimo duo amores fecerunt sibi duas ciuitates, alterã ab amore sui usque ad contemptum Dei, quæ fuit diaboli, aliã ab amore Dei usque ad contemptum sui, & hæc est Ecclesia beatorum.

Dubium modo est quod nam fuerit hoc primum peccatum.

Primus error fuit quorundam dicentium primum peccatum fuisse, quia concupiuit sibi in uxores filias hominum, iuxta illud Gen.6. Videntes filij Dei, filias hominũ, quod essent pulchræ, &c.

In

In quo errore uidentur fuiſſe plures Sancti Patres Chryſoſto. hom. in feſto decollationis Sancti Ioan Baptiſtæ dicit: Mulier nō ſolum homines, ſed etiam Angelos e cœlo proſtrauit. Tertullianus lib. de habitu mulierum. Angeli inquit ad filias hominum ruerunt de cœlo, & poſt libidinum uaporata momenta ad cœlum ſuſpirabant. Amb. lib. de Noe, & Arca, Gigantes docet ab Angelis fuiſſe procreatos. Sanctus Iuſtinus apologia prima pro Chriſtianis, dicit Angeli ab officio diſcedentes, uicti fœminarum amplexibus ſuſceperunt ex eis progeniem. Lactantius Firmianus lib. 2. diuinarum inſtitutionum, cap. 15. Lucifer inquit Angelos ad peccata pellexit, & mulierum congreſſibus inquinauit. Idipſum docet Methodius ſermone de reſurrectione. Adde plures alios Patres, qui locum illum Geneſeos. 6 Videntes filij Dei, &c. de Angelis explicarunt, quos legere poteris diſt. 8. diſp. 3.

Sed abſit, ut ſanctiſſimos Patres hoc errore infectos ſuſpicemur fabuloſus enim error eſt, & alius apud Patres ſenſus eſt. Sciēdum eſt ergo, uiros ſanctos, & iuſtos, uocari a ſanctis Patribus Angelos; ita Sanctus Ambroſius in eodem capite ſupra citato. S. Auguſ. lib. quæſtionum ſuper Geneſim quæſt. 3. Caſſian. lib. 8. collationū cap. 21. Et cōmuniter a Patribus locus ille Geneſeos de filijs Seth, explicatur lege quæ in diſputatione citata hac de re fuſius diſputata ſunt.

Secundus error refertur ab Athanaſio, quæſt. 6. ad Antiocum, quod uoluit Lucifer adorare Adam, legendum eſt enim noluit non autem uoluit; qui error fuit Machumeti in ſuo Alcorano capit. 17. & 48. & idem ſenſit etiam quidam Rabbi Moſes apud Galat. lib. 7. cap. 4. Sed hic eſt error expreſſus, & nulli fundamento nītitur, ideo ſtultitiæ etiam plenus eſt.

Inter catholicos uariæ ſunt ſententiæ.

Prima ſententia eſt Scoti hic quęſtio. 1. & 2. dicit peccatum Angelī eſſe luxuriam, per luxuriam non intelligit appetitum actus carnalis, ſed oblectationem de ſua perfectione inordinatam, licet uideatur etiam loqui non tātum de facto; ſed etiam de poſſibili, neque tantum de primo peccato, ſed de alijs annexis, primo peccato Angeli; Quam ſententiam habet etiam Gab. 2. diſt. 6. quęſt. unica art. 1. concluſione quarta, ubi ponit tres modos, ſecundum quos peccatum Luciferi reducitur ad luxuriam, uide ibi Holchot 2. quæſtio. 3. dicit poſſe ad libidinem reduci, & interpretatiue tantum dici ſuperbiam.

Secunda ſententia eſt dicentium peccatum primum fuiſſe ſuperbiam, ad quam deinde ſubſecuta eſt inuidia, ita fere communiter omnes Theologi, ſed differunt ualde in explicādo, circa quod obiectum fuerit illa ſuperbia. Altiſſ. Alen. quæſt. 109. memb. 2. & 3. Bonauentura dicunt fuiſſe in hoc, quia diabolus omnibus uoluit præeſſe, & nulli habere, quod probant.

Primò, Quia in ſcriptura deſcribitᵣ maxima ſuperbia Diaboli.

Se-

Secundò, Ex Greg. Papa 29.moral.cap.3.& lib.34.cap.13. & lib. 4.registri cap.42.dicit Diabolum peccasse, quia omnibus voluit præesse, & nulli subesse ad quod alludit Henricus quodlib.8.quæstio decima, dicens quia appetiit singularitatem quandam despecto aliorum bono. Durandus dicit appetiisse excellentiam quandam, sed indebito modo.

Tertia sententia est D.Thom.dist.5.quæst.1.art.2.& 3.2.contra gentes, cap.117.prima parte, quæst.64. art.3.Alb. Aegid. Capreoli, Hochot.2 q.3. & communis Thomistarum, Angelum peccasse, vel appetendo beatitudinem supernaturalem, sed tamquam sibi debitam absque meritis, uel quod beatitudinem naturalem in Deum non retulerit.

Quarta sententia est aliorum dicentium Angelum appetiisse æqualitatem cum Deo, quia uoluerit uere esse Deus.

Quinta sententia est dicentium peccasse, quia noluerit Deo obedire distribuenti officia, & ministeria; est Gulielm. Parisien. in secunda parte secundæ partis de uniuerso, cap.57. & 58.

Sexta sententia est Angelos peccasse, quia cũ Deus per fidem reuelasset Angelis mysterium futurũ incarnationis, & unionem hypostaticam futuram cum natura humana, id Lucifer ægrè tulit, & dum ipse supremus esset omnium, uoluit illam fieri cũ sua natura. Hanc attribuunt D.Bernardo, tamen ipse non habet expresse hanc sententiam, est sententia Viguerij, cap.3. uersic.15. Iacob.de Valentia, in Psal.83.& 102.Molina, quæst.63. membro quinto hanc putat probabilem licet minus quam D. Bonauent. sententiam, Ambrosius Catherinus, in cap.3.Gen.& in opusculo de eximia Christi prædestinatione, & opusc.de bonorum Angelorum gloria, & lapsu malorum, ubi dicit hanc sententiam fuisse ueterum Patrum, & esse traditionem quasi Apostolicam; tamen latuisse scolasticos, & alia quam plurima ualde absurda docet. Franciscus Suarez in commen.3.par.disput.41.sect.1.Ruardus Tapper.art.8.non longè à principio Canhul.2.dis.1.

Peccatum Luciferi superbia.

Prima conclusio, Peccatum Luciferi fuit superbia, Hæc conclusio est de fide probatur. 1.Es.14. de diabolo in persona regis Tiri dicitur, detracta est ad inferos superbia tua, & infra, quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, &c. Ezech.28.de eodem, eleuatum est cor tuum. Iob 41. ipse est rex super omnes filios superbiæ, Eccles.10.initium omnis peccati superbia, Tob.4.in superbia initium sumpsit omne peccatum, Prouerb.6.ante ruinam exaltabitur cor. Psal.36. Vidi impium super exaltatum, & eleuatum super cedros libani, Luc.10.Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem, dicta autem sunt uerba, ut deterreret discipulos à superbia, 1.Timot.3.non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli Ioan.8. ille homicida, &c.

Secundò, ex Patribus, qui loca illa Esa.14.& Ezech.28. ad litteram

ram explicant de Lucifero. Origen.hom.11.& 12.in lib.Num.& ho.13.lib.8.in cap.11. ad Rom.1. periarchon, cap.5. Tertull.lib.5. contra Marcionem, cap.de epist.ad Laodicenos, Cyprian.lib.1. epist.3. Athan.lib.de Cruce, & passione Domini, Euseb. Cæsar. lib.4.de demonstratione Euang.cap.9.Cyrill.lib.6. in Ioan.cap.6. & in cap.14. Esaiæ. Rupertus Abbas, lib.8. in Ioan. circa finem, Prosper lib. 1.de uita contemplatiua çap. 3. se contra creatorem suum typho superbiæ letalis hostiliter dæmones extulerunt,& libro qui inscribitur dimidium temporis,cap.1. Stanislaus Ossius, in cōfessione catholica de traditionibus humanis sub finē. Amb. serm.3.in Psal.118.ibi,increpasti superbos, & hom.16. ibi suscepisse seruum tuum in bonum,Hieron. in cap.14.Es. & in cap.28. Ezech. D.August. lib.3. de doctrina Christiana, cap.37.lib.11. de Genes.cap.24.& 25.lib.11.Ciuit. cap.15.Greg.2.par.pastor.cap.6. lib.29.moral.cap.3.lib.32.cap.24.& 25.& hom.34. in Euangelia, Cassian.collatione 8.cap.8. D.Bernar.ser.1. de aduentu, & ser.2. in octauam Paschæ, & serm.16.in cantica, Innoc.3.lib.2.de contemptu,cap.31.

Dices illa loca ad litterā dicuntur de Rege Babilonis, & Tiri, ergo non de diabolo. Respondeo nego consequentiam, quia vnus locus scripturæ plures habet sensus litterales.

Tertiò, quia etiam hominem primum de superbia tentauit, iuxta illud Ps.73. superbia eorū, qui te oderunt ascendit semper, quia semper profecit in superbia, & non solum peccatum suum non emendauit, sed in illud alios induxit.

Secunda cōnclusio in peccato Luciferi fuerunt etiam plurima alia peccata, sed præcipuè inuidia, tanquàm ex superbia causata, probatur.

Primo ex illo Sapien.2.inuidia diaboli mors intrauit in mundum, & Ioan.8. ille homicida, quia ut ibi Rupertus concepit odium contra Filium Dei, ante conditum hominem.

Secundò ex Patribus, qui hac de causa dicunt diabolum tentasse Adamum, quia inuidebat ei bonum, Vnde ipse dæmon exciderat Basil.hom.de inuidia, Cyprian.oratione de zelo,& liuore D.Bernard.serm. in fer.2. Paschę, & serm.17. in cant D.Aug. epist.28.& lib.de libero arbitrio, cap.22.lib.9.super Gen.cap.16.cecidit,inquit superbia, & contabuit inuidia;& serm.10.de Paschatæ, quia diabolus uidit hominem ascensurum, unde ipse ceciderat, uidit, & inuidit, cecidit, & eiecit, & lib.11. de Gen. ad litteram,cap.14. Nonnulli inquit dicunt, ipsum eiectum fuisse à supernis sedibus, quod inuidit homini ad imaginem Dei facto. Porro hæc inuidia superbiam sequitur, non præcedit, non enim causa superbiendi est inuidentia, sed causa inuidendi superbia. Chrysost.hom.22.in cap. 6.Gen.dicit inuidit diabolus, quia à superna sede in extremam ignominiam deiectus est, quia cum uideret hominem factum ad imaginem Dei exarsit inuidia.

Tertia conclusio Lucifer peccando appetijt æqualitatem Dei, probatur.

Primo ex illo Esa.14.in cœlum ascendam &c.similis ero altissimo, & Ezech.28. eleuatum est cor tuum,&c.

Michael cur sic dictus.

Secundò ex eo quod ille qui contra Luciferum bellum gessit, vocatus est ex officio, quis ut Deus. i. Michael, quasi quod Michael præcognoscens Luciferum aliquam Dei æqualitatem appetere zelo animatus dixit, quis ut Deus? & bellum inijcit contra ipsum.

Tertio, quia etiam homines tentauit de hac similitudine, dicens, eritis sicut Dij.

Quartò, quia communis est, & Patrum, & theologorum opinio.

Quarta conclusio. Hæc æqualitas Dei non fuit, quod Lucifer voluerit beatitudinem supernaturalem absque meritis.

Primò, quia diabolus fuisset hæreticus, & Pelagianus, si putasset beatitudinem supernaturalem dari ex debito naturæ, & Pelagianæ hæreseos Pelagius primus inuétor non extitisset; sed ante ipsum diabolus, & D. August. qui omniũ acerrime Pelagium impugnauit, id etiam contra ipsum obiecisset, quod id assereret, quod Lucifer asserebat,& opere tentabat.

Secundò, quia de facto Lucifer beatitudinem supernaturalem meruerat, in primo instanti, & in secundo instanti meritum mortificauit.

Tertiò,quia cum ex mente D.Thom. Angelus peccarit per inaduertentiam,& nos etiam sæpè beatitudinem supernaturalem appetamus nihil cogitando de gratia, non apparet, quomodo tanta malitia fuisset in illo peccato, ut adeo graui damnatione illud Deus plecteret.

Obijcies auctoritatem D. Ansel.lib. de casu diaboli, qui dicit, quod Lucifer id appetijt ad quod peruenisset, si stetisset; sed si stetisset habuisset supernaturalem beatitudinem, ergo. Respondeo illam auctoritatem sic explicari,quia Lucifer bonum aliquod expetebat, uel saltem, sub ratione boni, si autem stetisset, quia per beatitudinem omne bonum adeptus esset; id etiam quod uolebat consecutus esset.

Quarto, quia peccatum Luciferi fuisset potius indiscretio, & presumptio,si supernaturalẽ beatitudinem sine meritis uoluisset.

Quinta conclusio Lucifer non peccauit non referendo naturalem beatitudinem in Deum, probatur.

Primò, quia hoc fuisset peccatum omissionis, non commissionis, & dato quod fuisset commissionis, esset aliquod nolle, non uelle, quod est absurdum.

Secundò, quia ille locus Esaiæ, super astra exaltabo solium meum, aliquid aliud indicat, actum scilicet positiuum, quo excellentiam aliquam ambiret.

Tertiò,

Tertiò ex Anſelmo, ubi ſupra appetijt id, quod conſecutus eſſet ſi ſtetiſſet, at uero naturalem beatitudinem iam habebat, ergo non opus fuit illam appetere.

Sexta concluſio peccatum Angeli non fuit appetere ſimilitudinem Dei in eſſentia, probatur.

Primò, quia hoc erat ſimpliciter impoſſibile, & Angelus ſummæ ſapientiæ hoc nouerat eſſe impoſſibile.

Secundò, quia eſt contra naturale deſiderium, unumquodque enim appetit conſeruationem ſuę eſſentiæ.

Tertiò, quia licet uoluntas poſſit eſſe impoſſibilium, electio tamen non poteſt eſſe impoſſibilium; peccatum autem Angeli fuit in quadam electione, dum dicit in cœlum aſcendam, iuxta illud qui dicebas in corde tuo.

Quartò, quia conſequenter appeteret deſtructionem ſui eſſe.

Septima concluſio. Probabile eſt, quod peccatum, & ſuperbia Luciferi fuerit appetitus unionis hypoſtaticę cum Deo. Pro hac, & ſequenti concluſ. Inſcripturis peccatū Angelorū non deſcribit̃ qa illud Chriſtus non dedit.

Sciendum eſt, quod cum primum peccatum Angeli in ſcriptu tis nobis reuelatū non ſit, ſicuti reuelatum eſt Adę peccatū, ideo quodammodo, non quidem omnino diuinare, ſed tamen conijcere oportet, aliquid à Deo Angelis fuiſſe, uel præceptum, uel reuelatum; & quod Angeli noluerint parere præcepto, vel uoluntatem ſuam conformare noluerint, ut id fieret, quod Deus fiendum reuelarat, uel quod ſponte diabolus aliquod dominium tyranicū uſurpare uoluerit. Hæc autem coniectura, licet diuinationis quid ſapiat, non eſt tamen temeraria diuinatio, tum quia ita ſenſerunt peritiſſimi theologi, ſcilicet auctores huius, & ſequentis concluſionis, tum quia ſatis idoneum fundamentum in ſcripturis repperitur, probatur igitur, hæc concluſio. Quomodo Angelorum peccatū excogitari poſſit.

Primò, quia hac ratione explicatur, quomodo uoluerit diabolus in cęlum aſcendere & ſuper aſtra exaltare ſolium ſuum, & ſimilis eſſe altiſſimo, quia ſi ſupponamus Deum reuelaſſe per fidem Angelis miſterium incarnationis cum natura humana, & quod homo ille debuerit eſſe caput hominum, & Angelorum, ſi dæmon appetijſſet illum gradum, appetijſſet conſequenter ea omnia, quæ ſupra explicata ſunt, & illa ſuppoſitio uidetur poſſe fundari in illo Heb. 2. Cum introduceret primogenitum in orbem terræ dixit, Adorent eum omnes Angeli Dei, & licet ille locus intelligatur de tempore, quo factum eſt, hoc miſterium tamen hinc trahi poteſt argumentum, ut probabiliter in fide exercere uoluerit Deus Angelos ab initio manifeſtans illis ipſorum caput in beatitudine, ſcilicet Chriſtū. Quod autem reuelatum ſit illis hoc miſterium probatur efficaciter Quia in diſtin. 10. diſp. 13. oſtenſum eſt Angelos creatos eſſe in fide ex cap. 12. Apocalipſis, cum enim apparuiſſet ſignum illud in cœlo magnum, & etiam draco cupiens uorare fætum mulieris: tunc dicitur factum præ- Myſterium Incarnationis Angelis ab initio reuelatū fuit.

lium magnum in cœlo, & Michael.ideſt ille Quis ut Deus a nobis explicatus eſt, & Angeli eius præualuerunt &c.& ſequitur & uicerunt eum ſcilicet draconem propter ſanguinem agni, ſcilicet non adhuc effuſi, ſed effundendi, quem per fidem cognouerant. Et quidem non contendo hic, quod temere facit Catherinus, non poſſe hunc locum aliter explicari, quam hac ratione, nam poteſt explicari de dracone, qui ſit Antichriſtis futurus, tamẽ cum a SS.Patribus ſepiſſime illud prælium intelligatur de prę lio facto cum lucifero, quando expulſus eſt e cœlo, magnum facit hic locus noſtræ ſententiæ fir mamentum. Item illud Heb.2. Angelos nuſquam apprehendit, ſed ſemen Abrahę. Item Ioan.8. Chriſtus uolens conuincere Iudeos dicit, Vos ex Patre diabolo eſtis, & deſideria Patris ueſtri uultis perficere, ille homicida erat ab initio, qui locus licet poſſit explicari, quod diabolus fuerit homicida; quando hominem deiecit e ſtatu innocentiæ, tamen Rupertus lib. 8. in Ioan. dicit fuiſſe homicidam, quia odium concepit contra filium Dei, quod odium in Iudeis ſuis filiis actu complere uoluit contra Chriſtum, illum occidendo, imo quidam apud Molin. ſupra uolunt, quod tunc diabolus ſtatuerit illum hominẽ ſcilicet Chriſtum ſtatim occidere ut ſedem illius præriperet.

Diabolus ab initio ſtatuit Chriſtum occidere.

Secundò, ex Patribus Bernardus ſerm. 17.in Cantica ne lucifer ille, qui mane oriebatur ſed nihil determinat ibi. D.Bernardus affert etiam Catherinus teſtimonia Cipriani, & Baſilii de inuidia diaboli, & in illis tripudiare uidetur, tamquam aliqnid inuenerit, quod alios hucuſque latuerit: ſed iſta teſtimonia non loquuntur de ea inuidia luciferi, quam ipſe putat ſcilicet qua inuiderit illi homini Chriſto, uel uniuerſo generi humano unionem hypoſtaticam, ſed aperte loquuntur de illa inuidia, qua armatus diabolus tentauit hominem in paradiſo terreſtri, dolens hominem aſſumptum iri ad eam beatitudinem, quam ipſe amiſerat.

Tertiò, quia hac ratione explicatur Angelorum ſuperbia, & inuidia, non ſolum autem luciferi peccatum, ſed etiam aliorũ, ſi ponamus eos magis caput ſuum uoluiſſe luciferum hypoſtatice Deo unitum, quam hominem.

Obijcies, Apoſtolus dicit Epheſ.3. myſterium Incarnationis abſconditum, & ſe prædicare, ut illud innoteſcat principibus, & poteſtatibus &c.

Reſpõ. non loqui ibi, quod Angeli non cognouerint hoc myſterium, quoad ſubſtantiam, ſed quoad particulares quaſdam circunſtantias.

Octaua concluſio Probabile eſt, & forte probabilius, quod ſuperbia luciferi fuerit, quod appetierit aliquam tyrannidem, & dominationem ſupra alios Angelos; Dixi probabilius propter clara teſtimonia D. Auguſtini, quæ infra ponentur. Alios autem Angelos peccaſſe, quia uoluerint ſub illo ſubeſſe, & illum omnibus aliis præexcellere probatur.

Peccatum lucifen fuit appetere tyrannicum principatũ in alios Angelos.

Pri-


Primò, Quia ad litteram hoc indicant illa uerba, exaltabo ſolium meum Eſa. 14. Ezechiel. 28. eleuatum eſt cor tuum, & alia loca, quibus confirmat i fuit ſupra ſuperbia luciferi.

Secundo, ex Patribus D. Auguſtinus, lib. 2. quæſtionum ueteris, & noui teſtaméti, dicit uidens diabolus, ſe factum non mediocris potentiæ a Deo, auſus eſt præſumere diuinitatem, ut quia cæteros uidit inferiores, ſeipſum præferret, ut Deum, Dum enim ſe uidit potiorem inflatus eſt, ad exercendam dominationem, lib. 14. Ciuit. cap. 11. ſuperbus inquit ille Angelus, & per hoc inuidus, per eandem ſuperbiam a Deo ad ſemetipſum conuerſus, & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis, quam eſſe ſubditus eligens, de ſpirituali paradiſo cecidit. His adde loca Gregorii citata in ſecunda ſententia. Chriſoſt. hom. 22. in cap. 6. Gen. dicit diabolus, & qui cum eo erant, anteqiam formaretur protoplaſtus a dignitate ſua exciderant, quia maiorem, quam decebat dignitatem ambiebant: D. Auguſtinus 11 de Gen. ad litteram cap. 15. diabolus cecidit, non quia amauit pecuniam, ſed propriam poteſtatem; & lib. cur Deus homo cap. primo attribuit enim ſibi ſoli poteſtatem in ſubditos dominandi, & ut ipſe ſub nullius dominatu maneret, & nec ſe, nec ſuum dominium ab aliquo recognoſceret, ſuam ſedem ſtatuit in latere aquilonis ſtatuere lib. 12. Ciuitate. Dei cap. primo deſertores Angelos appellat habentes elationis ſpiritum lib. 11. Ciuit. Dei cap. 33. malorum Angelorum ſocietatem dicit faſtu dominandi, & nocendi libidine æſtuantem.

Hiſce ſententiis nonnulla argumenta poſſent obiici, ſed ſoluentur facile ex dictis, inter omnia autem difficilimum eſt illud, quod eſt fundamentum, D. Thom. quod Angelus non potuerit appetere aliquod malum moraliter, ſed tantum bonum, ſed indebito modo, quod examinabitur in quæſtione ſequenti.

DISPVTATIO III.

Vtrum primum peccatum Angeli potuerint eſſe appetere aliquod malum morale.



PRima ſentẽtia eſt dicentium, primum peccatum Angelorum fuiſſe, vel ſaltem potuiſſe eſſe appetentiam alicuius rei malæ moraliter, ita Scotus hic Gab. 3. diſt. 36. Aureolus apud Capreolum 2. diſt. 4. Molina in comment. primæ partis, quæſt. 65. art. 3. memb. 5. Valentia, q. 14. de malitia Angelorum puncto 3. Almain. uidetur in hanc ſententiam facile trahi poſſe, quia in tractatu 3. ſuorum moralium tractatu de prudentia, docet poſſe eſſe malũ in uoluntate, etiam ſi non præcedat error in intellectu, quod communiter do-

docent nominales. Hæc autem sententia, quod attinet ad Angelorum peccatum probatur à Valentia.

Primò, Quia opposita sententia D.Thom. quod Angeli peccarint tantum per incogitatiam uidetur esse contraria sacris litteris, quia Esai. 14. dixisti in corde tuo, in cęlum conscendam, &c. Vbi non inaduertentia, sed superbia damnatur. Item Ezechiel 28. dixisti, ego sum Deus; ego me ipsum feci; & rursus in multitudine negociationis tuæ, &c. Vbi illa uerba negotiationis tuæ ostendunt magnum quid in diabolum mente fuisse.

Secundò, Quia si per incogitantiam tantum peccassent, non fuisset ipsorum peccatum graue, sicuti sacræ litteræ, & Patres ostendunt.

Tertiò, Quia uix uidetur posse in Angelis fingi illa inconsiderantia, quia in primo instanti habuerunt per fidem, ut supra dictū est cognitionem beatitudinis supernaturalis, & ideo cognitione præstantes fuerunt.

Quartò, Quia Doctores oppositæ sententię, docent in secundo instanti, quando peccarunt Angeli, & habuisse pleniorem deliberationem, quam in primo instanti, ergo non potest fingi talis inconsideratio.

Quintò, Quia non proprie dicerentur peccasse peccato superbiæ, si absque cōsideratione debita non retulissent beatitudinem suam in Deum, sed solum uideretur defectus quidā humilitatis, non est autem necesse, ut actus eo ipso, quod non esse humilis, sit superbus, quia superbia non opponitur contradictorie humilitati.

Sextò, Et est fundamentum Molinæ, quia ad hoc, ut appetatur aliquod malum moraliter, non est necesse, quod iudicetur esse bonum moraliter, satis est, quod iudicetur esse bonum, aliquo genere boni. Verbi gratia, si quis fornicationem appetat, nō est necesse, quod illam iudicet bonam moraliter, satis est, quod iudicet illam esse bonam aliquo genere boni, puta delectabilis; hoc autem fiet per uerum iudicium intellectus, ergo potest appeti malum absque errore intellectus.

Septimò, Ex Aureolo, si ignoratio præcessit in intellectu Angelorum, uel præcessit casu, uel ex ipsorum natura, uel uoluntarie, si primum, ergo fuit sine culpa ipsorum: secundom dici non potest, quia lumen maximæ intellectionis, est in Angelis, si tertium, ergo actus uoluntatis præcessit intellectionem.

Octauò, Appetere fœlicitatem, ut est quoddam bonum in seipsam & non referre illam in gratiam, non est peccatum, modo nō est appetatur contra gratiam, ergo sola hæc consideratio non poterit esse causa huiusce peccati.

Nonò, Sequeretur peccatum Angeli non potuisse esse, nisi peccatum omissionis, quia omisit considerare, quod oportebat considerare.

De-

Decimò, Articulus Parisien. est cōtra determinationē B. Tho. qui dixit, si quis dixerit, quod existente intellectu in apice rationis uoluntas non possit peccare, error.

Vndecimò, Voluntas non potest eligere aliquid, nisi præcesserit iudicium intellectus practice practicum, de illo obiecto, hoc autem est consideratis omnibus circunstantijs, ergo.

Duodecimò, Si uoluntas necessario sequeretur in omnibus iudicium intellectus non posset esse libera, ergo.

Contraria sententia est dicentium in intellectu Angeli præcessisse aliquam inconsiderationem cum peccauit, quæ inconsideratio non fuit error, sed solum negatio considerationis eius, quod debebat considerare, posito, quod illum obiectum uoluerit appetere. Illud autem obiectum dicunt, nec fuisse, neque etiam potuisse esse malū moraliter, sed bonū necessario, malum autem ex eo quod non bene fuerit appetitum cum debitis modis, & circunstantiis, ita D. Thom. 2. dist. 5. quæst. 1. art. 1. de malo q. 16. art. 2. & 3. cont. gent. cap. 120. & p. p. q. 63. art. 1. ad 4. & art. 3. quam sententiam sequitur Caietanus, Banes, Ferrar. Capreo. 2. dist. 4. q. 1. ar. 7 Dur. dist. 5. Catthus & apud ipsum Petrus de Tarantasio; quæ sententia apud me est certissima.

Prima conclusio, In primo peccato Angeli non potuerunt appetere aliquod malum moraliter sub ratione boni. probatur. Angeli in 1. instanti nō potuerunt appetere aliquod moraliter malū.

Primò, non potest uoluntas ferri in obiectum aliquod, nisi sit præcognitum, ut bonum, quia uoluntas circa bonum, ut bonum uersatur, & cum sit potentia cæca, non potest ferri in obiectum nisi præcognitum, sed intellectus Angelicus ante pecatum non potuit iudicare obiectum, quod uere moraliter est malum esse bonum, ergo neque potuit appetere malum moraliter sub ratione boni; probatur minor, quia error prauæ dispositionis; seu prauę electionis est causatus a peccato; sed hic agimus de primo peccato, ante quod non fuit aliud peccatum, ergo. & hoc est fundamentum D. Tho.

Huic argumento respondent doctores primæ sententiæ, quod possunt Angeli eligere aliquod malum moraliter absq; eo, quod iudicent esse bonum moraliter, sed possunt illud quod est malum moraliter appetere sub ratione boni delectabilis, quia uere potest esse delectabile, absque eo qd decipiantur iudicantes esse bonum moraliter, Verbi gratia adulterium est malum moraliter, tamen uere est bonum delectabile, si quis ergo appetat adulterium, sub ratione boni delectabilis, non decipietur intellectus, sed tamen uoluntas appetet malum moraliter.

Hæc tamen responsio non infringit argumentum, quia ex falso principio, & ex ignoratione modi, quo intellectus mouet uoluntatem procedit. Sciendum est ergo iuxta doctrinam Aristotelis lib. 3. de anima a tex. 33. usque ad 56. quod duplex intellectus in nobis est, alter speculatiuus, qui circa speculabilia, alter practicus, Intellectus alius practicus alius speculatiuus.

spe-

speculabilia, alter practicus, qui circa agibilia uersatur, qui semper dictat de fugiendo, uel insequendo aliquid, sed in primis notanda sunt diligenter uerba Aristotelis in tex. 47. ubi dicit: Amplius & præcipiente intellectu, & dicente ratiocinatione fugere aliquid, aut persequi: ubi in intellectu practico ratiocinationem, & discursum ponit; in quo unum ex alio infertur, quare uirtualiter fit sillogismus in intellectu practico. Hêt enim & ipse sicuti speculatiuus quædam prima principia circa quę ipsum errare non contingit, quis enim aberret a ianua? dicit Aristoteles secundo metaphys. textu primo, hęc autem sunt ista duo maxime. Faciendum est, quod est bonum. Fugiēdum est quod est malum. Ex quibus fit maior propositio, Quoniam autem electio, & operatio circa singularia est, ideo subsumit intellectus minorem cum suis circunstantiis, in particulari; sed orare Deum hic, & nunc, intense, humiliter, &c. est bonum, ergo nunc orandum &c.

In eligente fit uirtualiter sillogismus.

Prima principia practica quæ.

In hac subassumptione minoris decipiuntur aduersarij, putāt enim sufficere quod (vt ipsorum exemplo vtar) intellectus subsumat hanc minorem, sed adulterium est bonum, quia delectabile, abstrahendo ab alijs circunstantijs, quod hic non fit; sed opus est, quod intellectus dicat, sed, hic, nunc, cum hac, & aliis circunstantiis fornicari bonum est, ergo ex eo autem quod hæc minor non solum est singularis, sed etiam substat circunstantiis singularibus à quibus practicus intellectus non abstrahit, sed illas considerare debet, necessario sequitur, uel quod intellectus iudicet falsum, iudicando, scilicet bonum in illa minori, id quod est malum, uel quod circunstantiam aliquam, quæ obiectum aliquod bonum, malum faciebat omittat. Si primum ponitur error, qui in intellectu Angeli ante peccatum non est ponendus. Si secundum ponitur inconsideratio, quam nos dicimus. Verbi gratia ponamus hic exempli causa peccatum Angelorum fuisse, quod appetierit principatum in alios Angelos, fit hic syllogismus in intellectu Angeli. Faciendum est per me, quod est mihi bonum, sed dominari omnibus hic, & nunc, &c. est mihi bonum, ergo in hac minori, si ponatur aduertentia, & consideratio omnium circumstātiarum in particulari necessario sequitur, quod falsum iudicauerit, & erit error in intellectu ante peccatum, si autem ponatur inconsideratio alicuius circunstantiæ, verbi gratia si Deus ita concedat, habemus intentum, hac autem inconsideratione posita patet, quod peccauit Angelus appetendo id, quod moraliter nō est malum, si remoueretur illa circunstantia, quod Deus hoc non uelit.

Intellectus practicus iudicat in singulari cum circunstantiis.

Dices unde cōstat, quod intellectus in illa minori debeat considerare illas circunstantias in particulari? Respondeo, ex eo, quod electio est obiecti particularis cum circunstantiis particularibus, electionem autem, quia est actus uoluntatis, præcedit illud iudicium intellectus formatum prudentia, quæ circa singula-

Electio est obiecti particularis.

gularia cum circumstantiis uersatur.

Secunda conclusio in peccato Angelorum, primo necessario praecessit non ignorantia, sed inconsideratio.

Ignorantia alia priuatiua alia negatiua.

Explico, ignorantia duplex est, quaedam est priuatiua, quaedam negatiua. Priuatiua est quando ignoratur, id quod quis debet, & potest scire, quae dicitur persaepe prauae dispositionis, ut in cap. 15. primi post. quae in speculatiuis interdum prauae electionis, quae circa agibilia. Negatiua est mera nescientia eorum, quae scire non tenentur, quae ignorantia, & in omnibus, solo Deo excepto etiam in beatis, respectu plurimarum rerum. Ignorantia priuatiua duplex est, quaedam dicitur iuris, quam Aristoteles uocat vniuersalium; quaedam vero facti, quam Aristoteles uocat particularium. Iuris est, si ignoretur maior illius syllogismi à nobis supra explicati, Facti, si ignoretur minor, Hae autem ignorantiae tam iuris, quam facti interdum sunt inculpabiles, inuincibiles, probabiles, interdum crassae, supinae, affectatae, &c. ideo interdum excusant à peccato, interdum autem non excusant, interdum sunt de re, quae dirigitur, & ordinatur ad opus, interdum de re, quae non ordinatur. Haec secunda propriè appellatur peccatum ignorantiae: prima autem est circumstantia operis, nec constituit particulare peccatum, sed reducitur ad peccatum, ad quod disponit, quia in omni peccato est ignorantia. Vnde Arist. lib. 3. moralium ad Nicomachum. c. 1. dicit Αγνοεῖ πᾶς μοχθηρὸς, idest ignorat omnis flagitiosus, Vnde tractum est illud vulgatum exioma in ethicis, omnis malus ignorans, in cuius explicationem Iulius Valerianus integrum opus conscripsit, quod inscribitur. Omnis malus ignorās. Huiusmodi igitur ignorantia fuit, quae in daemone fuit, dum confecit illam minorem.

Ignorantia iuris, & ignorantia facti. quae?

Ignorantia culpabilis, uel inculpabilis: quae?

Ignorantia quando est speciale peccatum.

Ad argumenta. Ad primum Respondeo illa loca scripturae explicare iudicium, & discursum, qui erat in mente Luciferi informata illa ignoratione.

Ad secundum, Respondeo fuisse maximum illud peccatum, quia licet processerit ex inconsiderantia, tamen erat de obiecto maximo, & quod poterat aduertere diabolus, si rectè sibi consuluisset. Haec enim ignorantia, licèt persaepe excuset, tamen saepe etiam grauat peccatū; quando aliquis adeo uoluntarie in obiectum aliquod propendet, ut obliuiscatur eius, quod scire deberet, ita diabolus considerans sibi bonum futurum, si caeteris imperaret, adeo hac uanitate, & superbia concepta delectatus est, ut non apposuerit regulam, nec aduerterit id, quod maxime aduertere, & poterat, & debebat.

Ignorantia interdū minuit interdū agrauat peccatum.

Ad tertium. Respondeo patet in solutione secundi, quam probabiliter ponatur.

Ad quartum habuisse, in secundo instanti pleniorem deliberationem, scilicet cum maiori libertate.

Ad quintum patet ex dictis, in secunda conclusione quia haec

ignorantia non constituit propriam speciem peccati, sed reducitur ad speciem peccati, quæ est tantum obiectum.

Ad sextum patet, in prima conclusione.

Ad septimum. Respondeo præcessisse hanc ignorantiam non mere casu, sed culpabiliter, & uoluntariè interpretatiuè, & indirectè, quatenus delectatus excellentia prælationis non considerauit quod considerare debuit.

Ad octauum, Respondeo non referre beatitudinem supernaturalem in Deum, ut supernaturalis, uel naturalem in Deum, ut auctor naturæ, si sit coniunctum cum actu uolitionis, quia nolit referre cum tenetur, esse peccatum grauissimum, quia tamen hoc referre est preceptum affirmatiuum, non obligat ad semper, & ita pro eo tempore, quo non obligat, non est peccatum.

Ad nonum nego sequelam, fuit enim peccatum appetitus excellentiæ, quam præcessit inconsideratio.

Quomodo intelligatur quod stante intellectu in apice rationis uoluntas non possit peccare.

Ad decimum, Respōdeo primo non transire sequanam, secundò potest intelligi quod stante intellectu in apice rationis, quo ad maiorem propositionem, sillogismi non possit uoluntas moueri ad malum, sit error, vel in apice rationis speculatiuæ, & non practice.

Ad undecimum, patet ex dictis.

Ad ultimum. Respondeo non est huius loci hoc explicare.

DISPVTATIO IIII.

An illa ignorantia Luciferi fuerit mala moraliter.



Cauendum est hic maxime, nequis ita dicat hanc ignorantiam malam fuisse moraliter, ut uere uoluntariam, dicat, quia tunc causaret, uel peccatum ignorantiæ, vel peccatum omissionis, & ita primū peccatum Luciferi fuisset peccatum ignorantiæ, uel omissionis, quod esse non potuit. Dicendum igitur est, quod esse fuit mala moraliter, quia est circunstantia occasionalis peccati, non tamen est uoluntaria formaliter, sed interpretatiue, & indirecte, sicuti omnis ignorantia, quæ communiter est in omni peccato.



DI-

DISPVTATIO V.

Vtrum Diabolus sit naturaliter malus.

Diuus Augustinus 11. de Gen ad litteram cap 30. & Epiphanius hæresi 66. duo inquit contra Manicheum principia edidisse, o barbare mente, & humanæ naturæ hostis, & alterum quidem appellasti lucem, alterum tenebras, & rursus alterum bonum, alterum malum, ita & Concilium Braccarense primum cap. 1. can. 7. ex 8. dicit, fuisse etiam errorem Priscillianistarum & D. Augustinus refert quosdam dixisse Angelos quosdam a Deo factos esse malos. Ita Sanctus Leo epistola 91. in Consilio Arelatensi capitu. 1. numero 6. refert Priscillianistas dixisse diabolum non esse opificium Dei, sed eum è tenebris, & chao emersisse. Theodoretus epithome diuin. decre. cap. de diabolo, & dæmonibus hãc hæresim tribuit Cerdoni, Marcioni, & Mauicheis; Manichei etiam, & cũ ipsis Marchion ponentes duo principia, alterũ rerum bonarum alterum malarum, dæmones a malo principio esse dicebãt, Quod autem Dæmon natura sit malus conantur ostendere ex scripturis.

Primò, Ioan. 8. ille homicida erat ab initio, ideo conuincuntur etiam Iudęi desideria diaboli perficere uolentes esse homicidæ primæ Ioan. 3. ab initio diabolus peccat. Iob 41. Ecce Beemoth. quem feci tecum 70. habent hoc est initium figmenti Domini, quod fuit, ut illudetur ei ps. 103. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei; & de diabolo illud dici posse uideretur quod de gentibus dicit Salomon Sap. 12. Nequam erat natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perfectum; Semen enim eius erat maledictum ab initio Ioan. 8. Cum diabolus dicit mendacium ex proprijs loquitur.

Conclusio catholica & de fide est dæmones creatos esse a Deo bonos, quo ad naturam, & uoluntatem. Hæc conclusio probatur. Diabolus quo ad naturam bonus est.

Primò, ex sacris litteris Gen. primo uidit Deus cuncta, quæ fecerat, & est erant ualde bona, & Iob cap. 4. in Angelis suis repperit prauitatem, Ezechiel. 28. tu signaculum similitudinis plenus decore &c. in deliciis paradisi Dei fuisti, & alia loca, quæ a nobis citata sunt in quæstione, an Angeli sint creati beati. Ioan. 8. ille in ueritate non stetit, Lucæ 10. uidebã Sathanam tamquam fulgur de cœlo cadentẽ, & illud Ezechiel, quomodo cecidisti de cœlo lucifer &c. & Es. 14. detracta est ad inferos superbia tua. Apoca. 12. cauda traxit tertiam partem stellarum, tum ex illo quod Angelis atque homini commune est. Deus mortem non fecit, Deus hominem fecit inexterminabilem, sed ipse se miscuit infinitis quæstionibus.

Secundò, ex determinatione Cōcilij Braccarēn. 1. cap. in tom. 2. Conc. can. 7. dicitur si quis dicit diabolum non fuisse prius Angelum bonum a Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam eius, sed dicit eum e tenebris emersisse, nec aliquem sui auctorem habere; sed ipsum esse principium, & substantiam mali, sicut Manicheus, & Priscillianus dixerunt anathema sit, & can. 8. si quis dicit diabolum aliquas creaturas fecisse, ut tonitrua, fulgura, siccitates &c. anathema sit. Concilium Lateranen. sub Innocentio 3. ca. 1. refert de sum. Trinit. & fide catholica cap. firmiter diabolus enim inquit, & alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni; sed ipsi per se facti sunt mali; Sanctus Leo. 1. in decretis post Concilium Arelatense epistola 91. cap. 1. mem. 6. Diabolus bonus esset, si in eo in quo conditus est permaneret. Concilium Carthaginense 4. cap. 1 in 1. tom. conc. decernit ab eo, qui sit ordinandus episcopus, quærendum esse &c. Quærendum inquit est ab eo, qui est ordinādus Episcopus si noui, & ueteris testamēti, hoc est Christi ex prophetarum, & Apostolorum unum, eumdemque credat auctorem, ut Deum, si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus.

Essentia bonorum & malorum Angelorum non differt. Tertiò, ex Patribus D. Athanas. q. 3 ad Antiocum essentia Angelorum, & dęmonum non differt; sed uoluntas diuersa est, sicut boni, & mali hominis animus inter se differt. Chrisostomus ho. 3. de patientia Iob. diabolus, ait non naturę nomen, sed pręsumptionis, non enim diabolus factus a principio; sed Angelus creatus est, diabolus uero, qui detrahebat ex Deo apud homines, & hominibus apud Deum appellatus est.

Diuus Prosper lib. 1. de uita contemplatiua capit. 3. Hoc iudicium inter Sanctos Angelos, & immundos credimus factum quia cum essent ubique sine peccato creati, quidam, eorum uoluntate propria deprauari uoluerunt & lib. 3. de uita contemplatiua cap. 2. Diabolus factus est ex Angelo per superbiam, & in responsionibus ad obiectiones Vincentianas, responsione 5. dicit: non igitur cuiusque peccati auctor est, sed naturæ creator Deus est, qui cum potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit.

Diabolus est nomen operis non naturæ.

Diuus Augustinus de Incarnatione Verbi cap. 3. diabolus inquit Angelus fuit, sed Apostata effectus quam plurimos Angelorum secum declinare fecit & lib. 2. q. ueteris, & noui testamenti q. 90. diabolus inquit est nomen operis, non naturæ, & lib. qq. in numeros q. 47. diabolus fuit creatus a Deo bonus; sed a seipso est malus, lib. contra Iulianum cap. 20. diabolus Angelus fuit ex Dei opere bonus, sed ex opere suo malus effectus, prius se uulnerādo prostrauit & lib. 6. cont. Iulianum diabolus est spiritus immundus, erit utique bonum, quod spiritus, sed malum quod immundus, quoniam spiritus natura, immundus uitio lib. 19. Ciuit. Dei cap. 13. Diaboli natura inquantum natura mala non est; sed per-

uersitas cum malum fecit, Itaque in ueritate non stetit; sed ueritatis, iudicium non euasit &c. Bonum Dei, quod illi est in natura non eum abstrahit iustitiæ Dei, qua ordinatur in pœna, & in dialogo ad Orosiú, diabolus se ipsum fecit non enim natura, sed peccando diabolus est effectus, & lib. de casu diaboli cap. 23. cum putatur diabolus numquam in ueritate stetisse, numquam cum Angelis beatam uitam dixisse, sed ab initio suæ conditionis cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria uoluntate deprauatus, ut malus à bono Deo creatus putetur.

Leo epistola 91. cap. 6. sexta adnotatio indicat eos (loquitur autē de Priscilianistis) dicere, quod diabolus nūquam fuit bonus, nec natura eius opificium Dei. Sed eum ex chao, & tenebris emanasse, & infra cum fides uera, atque catholica omnium creaturarū, siue spiritualium, siue corporalium bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam, &c.

Sanctus Dionysius capit. 4. de diuinis nominibus initio, Deus, cum sit summum bonum, ideo bonitatem suam ueluti sol radios in creaturas suas diffundit, cum ergo Diabolus à Deo sit conditus erit, ergo bonus factus.

Sanctus Epiphanius hæresi 66. post epistolas Manichei, sed & scimus inquit de diabolo distinguendū esse; quod non à creatore naturaliter malus creatus sit, sed sibi ipsi; post tempus malum facere excogitauit, & de quo ignotum non est, qualis creatus fuerit. Verum creatus est una cum omnibus bene, cum Deus propter excellentem suam iustitiam omnes, & omnia utilissima esse uoluerit, ergo.

Sanctus Basilius hom. quod Deus non sit auctor malorum, paulo post medium. Vnde malus diabolus inquit ex eadem causa, qua homo, nam & ipse per se liberam habet uitam, & liberum arbitrium in se situm, aut manendi apud Deum, aut ab alienandi se a Deo, Gabriel Angelus est & Deo assistit, Satanas Angelus est, & ex proprio ordine penitus excidit & illum uoluntas in supernis seruauit, & hunc mentis libertas deiecit. Poterat enim ille desistere, & hic non delabi, & infra. sic est malus Diabolus ex uoluntate malitiam habens, non natura bono apposita.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 6. fuse hanc nostram conclusionem probat soluēs scripturarum loca, quibus aduersarii nitebantur, dicit autem. Vt igitur paucis agam quæcumque scripturæ testimonia diabolum à Deo factum commemorat intelligenda sunt secundum substantiam, & naturam Diabolum à Deo esse, non secundum culpam, quo postquam creatus est sponte sua incurrit, & apostata factus perlapsus est.

Theodoretus epitome diuinorum decretorum cap. de Diabolo, & Dæmonibus Deus inquit malam naturam non est fabricatus, bonorum. n. est, sicut & ipse bonus est effector, & infra. suapte ergo snīa, & sponte malus est Dæmon, & qui sunt eius partium.

Sanctus

Sanctus Anselmus lib. de casu Diaboli per totum hanc tantam quæstionem tractat, cuius plene aurea sunt uerba, quæ habentur cap.1. Nempe, inquit sicut à summo bono non est nisi bonum, & omne bonum est à summo bono, ita à summa essentia, nō est nisi essentia, & omnis essentia est à summa essentia, Vnde quoniam summum bonum est summa essentia, consequens est, ut omne bonum sit essentia, & omnis essentia bonum. Nihil ergo & non esse sicuti sic est essentia, non est bonum; infra non ostendit diabolum tura bonum, peruersitatis suæ uitio malum effectum esse.

Aurea B. Anselmi de Dei bonitate sententia.

Sāctus Damascenus lib.2.de fide orthodoxa.cap.4. Ex iis inquit Angelicis uirtutibus ea, quę terrestri ordini præerat, & cui à Deo terræ cura commissa est, non natura mala facta est, sed bona existens & à bono facta, & nullo pacto in seipsa à conditore malitiæ uestigium tenens, &c. & infra lumen igitur ipsa creata est ab opifice, & bona facta naturæ uidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona, libera uoluntatis potestate tenebræ facta est, infra de reliquis dæmonibus loquens, dicit Collabens autē, & committens ipsa corruit infinita multitudo Angelorum, sub ea subditorum. Eiusdem igitur naturæ cum Angelis existentes, mali facti sunt electione ex bono in malum uoluntarie declinantes.

Sanctus Gregorius lib.32.moral.cap.18. disertissime excellentiam diaboli ante lapsum prosequitur dicens. Quid namque boni non habuit signaculum Dei similitudinis fuit, De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen, quasi maius aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicitur, ut quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa.

Sanctus Gregorius Nazianzenus hom.1.de pace cum Angelorum excellentiam descripsisset, subdit. Ex Angelis autem ii, qui seditionem mouere, seque supra dignitatem suam efferre, atque ceruicem aduersus dominum omnipotentem attollere, atque ut dicit scriptura sibi supra nubes cathedram excogitare ausus est, dignas carentia sua pęnas dedit in hoc. s. damnatus, ut pro luce, caligo sit, &c. Nazianzenus oratione 1. contra Iulianum & oratione in sanctum baptisma, Crede nullam mali essentiam esse, nec principatum, aut principiis expertem, aut a seipso subsistentem, aut à Deo creatum, sed nos, pestiferumque spiritum fabros eius, & architectos esse; quod etiam docuit Clemens Romanus lib.3.& 4. recognitionum; & fuse Ireneus lib.4. contra hæreses. Valentia, capitulo 72. Augustinus libro 4. hipognosticon, & libro 4. contra Iulianum.

Nulla est mali natura.

Quis mali sit faber, & architectus.

Possent plurium sanctorum Patrum auctoritates adduci, sed in re apertissima diutius nobis insudandum non est.

Quartò optimis rationibus, quia alioqui si Deus malum fecisset

set dæmonem, iniuste illum puniret, ita Epiphanius, & Cyrillus ubi supra.

Quintò, Omne ens bonum, ergo diabolus, quo ad entitatem bonus erit.

Ad argumenta, Respondent Patres ubi supra, præcipue Cyrillus, & Epiphanius, ex ijs locis colligi oppositum eius erroris si enim in ueritate non stetit, ergo bonus aliquando fuit, & si fuit homicida ab initio, & peccauit ab initio, certum est, quod ipse primus peccauit, cum autem peccare, & homicidam esse sit operari, operari autem sequatur ipsum esse, ideo illud esse dicimus a Deo, peccatum à diabolo. Quod si dicitur factus ad illudendum ei, intelligitur supposito peccato.

DISPVTATIO VI.

Vtrum Diabolus peccarit in primo instanti.

Diuus Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram à cap. 9. & sequentibus, vsque ad 25. hanc quæstionem tractat ex professo, & ita tractat, ut uideatur omnino uelle Angelos in primo instanti suæ conditionis peccasse, adeo, vt semper, quo ad uoluntatem malus fuerit: ideo in cap. 24. eorum plurima, quæ de diabolo in persona Regis Babilonis dicuntur per Esai. 14. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, &c & in cap. 25. ea quæ in persona Regis Tiri ab Ezechiel capitu. 28. tu signaculum similitudinis non tam de Luciferi persona, quā de toto eius corpore, idest apostatarum secta, atque adeo malorum hominum, qui corpus Diaboli sunt congregatione dicit esse intelligenda.

Quidam in hanc sententiam citant Altisiodorensem libro. 2. sententiarum tract. 2. cap. 4. sed uere Altissiod. ibidem oppositum docet. dicit enim peccasse in secunda die, licet deinde putet probabilius peccasse in prima die, non tamen in primo instanti; solet tamen hæc sententia probari.

Primò, Quia constat, quod diabolus fuit auctor primi peccati, ideo dicitur ab initio diabolus peccat, vel ergo peccauit, vt bonus, uel ut malus, non primum, quia bonum esse, non est ratio peccandi alicui, ergo secundum, sed si dicatur secundum, iam sequitur peccasse in primo instanti, & semper fuisse malum, ergo sequela probatur, si enim peccauit, ut malus, ergo esse malum est ratio peccandi, ergo antequam peccet intelligitur malus, si malus antequam peccet, ergo necessario sequitur semper malum fuisse.

Cōtraria tamen sententia communissima est omnium doctorum, quæ est etiam sententia D. Augustini licet enim uideatur in primam sententiam propendere, ipse tamen tum alibi, tum in eo

ipso

ipso loco citato sententiam suam explicat, ita ut uideatur uelle ali quando duxisse uitam beatam, cum alijs Angelis, licet de natura-li beatitudine sit intelligendus, ita ergo habet lib. 11. de Gene. ad litteram, cap. 16. in fine in ueritate non stetit, & hoc ab initio, ex quo ipse creatus est, qui staret, si stare uoluisset, quomodo etiam duxisse uitam beatam inter beatos Angelos credi potest. Et quam uis prima sententia differat ab errore Manicheorum, & eorum, quos in præcedenti difficultate citauimus, ut notauit D. Augustinus lib. 11. ciuit. cap. 13. tamen erronea merito à D. Thom. & discipulis ipsius dicitur, quia uirtualiter illi proxima est, ideo Diuus Bonauentura, dicit damnatam fuisse primam sententiam à docto ribus Parisien. ut erroneam.

Nullus Angelus in primo instanti peccauit.

Conclusio decisiua. Nullus Angelus in primo suæ creationis instanti peccauit, probatur.

Primo ex testimoniis, tum scripturarum, tum Conciliorum, tum sanctorum Patrum citatis, quorum plurima, non solum dicunt non fuisse diabolum factum malum, sed bonum, per aliquod tempus fuisse, quod expresse concludunt locutiones scripturæ, in deliciis paradisi Dei fuisti, plenus decore, &c. Iudas in epistola Canonica Angeli uero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, nota illud tuum, Ioan. 8. in ueritate non stetit, quod dictum ponderat D. Augustinus supra, & dicit, si malus fuisset initio diabolus, non diceretur in ueritate non stetisse, sed numquam in veritate fuisse.

Secundò, Patebit ex sequenti dubitatione.

Ad argumentum, Respondeo peccasse Angelum, ut malum præcesserit duratione peccatum, sed hoc ipso quod deseruit rectitudinem, factus est malus, & peccauit. Vnde D. August. lib. 7. Ciuit. cap. 5. Nemo quærat causam efficientem malæ uoluntatis; neque enim illa est efficiens, sed deficiens, deficere nâque ab eo, quod summe est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere malam uoluntatem, præintelligitur igitur malus ante peccatum, non duratione, sed ratione, aduertendum est, autem illud argumentum non solum contra peccatum dæmonis procedere; sed etiam fieri posse de quolibet peccato hominis iusti, ut ostendatur homo iniustus, antequàm peccet.

Angelus ante peccatum an præintelligi possit malus.



DISPV-

DISPVTATIO VII.

Vtrum dæmones peccare potuerint in primo instanti suæ creationis.



D maiorem confirmationem supra explicatæ difficultatis, hic quærimus posito quod non peccarint, an saltem peccare potuerint, in primo suæ conditionis instanti, qua de re est.

Prima sententia dicentium Angelos potuisse peccare, in primo instanti, ita Scotus. 2. dist. 5. quæst. 2. Greg. ibid. q. 1. art. 2. Maior. ibid. q. 3. Marsil. quæstio. 3. art. 2. Ocham quolib. 2. q. 1. Gab. dist. 4. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Aureolus apud Capreol. distinc. 4. art. 2. Ioan. de Bassolis, distinc. 1. quæst. 1. art. 3. Henricus quolib. 9. quæst. 10. licet conditionate, dubitans loquatur, eandem tenet Valentia de malitia Angelorum, quæst. 4. puncto. 4. Molina, q. 65. in comm. primæ par. art. 5. probatur hæc sententia.

Primò, quia Angelus ea omnia habuit, in primo instanti, quæ etiam habuit, in secundo, idest perfectam vim intelligendi, uolendi, deliberandi, & in suis operationibus non eget tempore,

Secundò, quia omnes Angeli ex sententia D. Tho. habuerunt actum meritorium in primo instanti, ergo etiam potuerunt peccare, consequentia probatur, quia si meruerunt; ergo habuerunt liberum arbitrium.

Tertiò non repugnat, neque ex parte Dei, neque ex parte Angelorum, ergo probatur antecedens non ex parte Angelorum, ut in primo, & secundo argumento. Non ex parte Dei, quia sicut Deus concurrit ad actus productionem tantum quo ad substantiam actus naturalem, non autem quo ad deformitatem, uel malitiam, in secundo instanti sic potuisset etiam, in primo. Dices operatio, quæ simul incipit cum natura est ab auctore naturę, sicut dicit D. Tho. & est ipsius fundamentum; sed contra primo quia hoc non uerificatur nisi in actionibus naturalibus, non autem in moralibus, secundo quia potuit esse à Deo actus peccati, quo ad entitatem tantum naturalem, non autem quo ad malitiam, ita ut solus Angelus peccauit non autem Deus.

Quartò, quia de facto potuisset, & etiam modo posset Deus creare Angelum in actu secundo dilectionis, uel odij Dei humilitatis, uel superbiæ, & tamen Deus non peccaret, ergo antecedens probatur, primo quo ad illud, quod non peccaret, quia si Deus de facto concurrit ad omnia peccata quo ad entitatem naturalem, & tamen non peccat; ita neque tunc peccaret. secundo quo ad id, quod Deus posset, quia patet, quod Deus quædam alia creauit in actu secundo, verbi gratia solem lucentem, & Angelos in primo instanti cum actu bono.

Quintò Angelus in primo instanti habuit libertatem saltem quo ad exercitium, qua posset operari,& non operari, si uero ita posuisset illi Deus præceptum operandi, nonne potuissent non operari? & ita peccare peccato omissionis?

Sextò, quia ex sententia nostra Angeli habuerunt gratiam per suam dispositionem, ergo consequentia probatur, quia potuissent nolle se disponere, & resistere gratiæ.

Septimò, quia homo concipitur in peccato,& in primo instanti conceptionis peccat, ergo etiam Angelus.

Secunda sententia est dicentium Angelos non potuisse peccare in primo instanti, est D.Thom. 1.par.quęst.63.art.5.& 2.dist.5. quæst.2.de malo, quæst.16.art.4.& lect.6. in cap.8. Ioan.Riccard. 2.dist.3.ar.8.quæst.2.Dur.dist.5.quæst.2.Adamus Goddam. 1.d.1. quæst.8. Argent.dist.7.quæst.2.licet hic in oppositam sententiam titubare uideatur Alb.dist.3.art.14. len. 2.par.quæst.109. memb. vlt.& discipulorum D.Thom. Capreol.Caietani.Ferrar. Banes, quorum aliqui, ut Caietanus & Ferrar.uidentur uelle implicare contradictionem, quia actus naturalis pręcedere debet actum liberum, & actus uoluntatis, ut natura est, præcedere debet actum uoluntatis, ut uoluntas est.

Non implicat contradictionẽ q Angeli peccare possent in primo instanti.

Prima conclusio. Non implicat contradictionem quod Angeli peccare potuerint, in primo suæ creationis instanti.

Primò, hanc conclusionem satis probant argumenta, primę sententiæ præcipuè, 1.3.4.5.6.

Secundò, si qua esset implicantia maxime esset quia uideretur Deus esse causa peccati Angelorum, sed non implicat hoc, quod Deus concurrat, quo ad materialem entitatem peccati, non autem quo ad malitiam, & quod simul cum esse naturæ concreet actum in illa natura malum moraliter, ita tamen, ut malitiam non causet, sicut causat actum bonum.

Secunda conclusio. De potentia Dei ordinaria Angeli non potuerunt peccare in primo instanti, probatur.

Angeli peccare non potuerunt in primo instanti.

Primò ex fundamento D.Thom. quia operatio, quę simul incipit cum esse rei est in ea ab auctore illius naturæ, sed à Deo non potuit peccatũ inesse in ipsis Angelis, ergo minor est apertissima, quia Deus nulli est causa peccandi, maior probatur quia experientia patet in motu grauium, & leuium. Huic argumento solent adhiberi tres responsiones.

Prima negando maiorem: secunda concedendo illam, sed addendo, quod Deus erit causa illius operationis, cum non quo ad malitiam, sed tantum, quo ad entitatem naturalem: tertia quam falsum sit, quod elementa moueantur à generante, sed de hac, tertia responsione nihil est hic dicendum cũ enim philosophica, sit philosophis relinquatur, maior igitur probatur à nobis exemplo Solis, si Sol creetur illuminans, illa illuminatio est, in Sole ab auctore ipsius Solis, probatur.

Secundo

Secundo à priori, quia omnis actus secundus præsupponit aliquem actumprimum, qui determinet potentiam ad agendum, & ipsam potentiam constituat, in actu primo, ita patet, quod lapis non descēdit, nisi per grauitatem sit in actu primo: nec ignis ascendit, nisi per leuitatem, quam habet in actu primo: nec calefacit, nisi calorem habeat in actu primo: nec oculus uidet, nisi informatus specie uisibili, & constitutus in actu primo: nec intellectus speculatur, nisi habeat scientiam in actu primo: nec uoluntas eligit nisi per intellectum sibi proponatur obiectum, per quam ipsa est in actu primo. idem inductione patet in omnibus operationibus, ergo etiam Angelus si malus est in actu secundo debet prius in actu primo esse malus. Erit autem malus in actu primo quando ei propositum erit obiectum malum, quando intellectus carebit ea consideratione quam debet habere, ut supra dictum est, & quando quædam tendentia in obiectum in uoluntate ponatur in actu primo ad quam sequitur electio in actu secundo. Hoc autem quod sit actu primo, non potest Angelus in se produxisse, quia nulla potentia est causa sui actus primi, sed tantum actus secundi, sicut neque potentia potest sibi esse causa essendi in actu, sed hoc habet, uel ab obiecto, uel ab efficiente.

Actus primus semper præcedit actum secundum.

Tertiò patet ex modo, quo quis iustus ad peccandum actu disponitur, neque enim statim in peccatum prorumpit, sed ut dicit S. Iacobus in epistola Canon. cap. 2. Vnusquisque tentatur prius à concupiscentia sua primo abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Ita patet ex communi Patrum doctrina, quod peccatum incipit per delectationem, delectatio consensum elicit. Et licet hæc communiter dicantur de modo peccandi hominum, tamen proportionaliter etiam de peccato Angelorum debent intelligi, patet enim ex supradictis cum de peccato Angelorum, quod dæmonem posuimus, uel sui ipsius excellentia adeo delectatum, ut hac allectus, & abstractus non cogitarit id, quod debebat cogitare, ideo statim prosilijt in actum superbiæ appetens in alios principatum. Hæc ergo concupiscentia, hoc allectamentum, hæc delectatio, quodammodo diaboli mentem in actu primo peccati constituerūt ad quod sequutum est ipsum actu peccatum; si ergo in primo instanti habuissent actum secundum peccati, ergo prius à Deo debuisset esse creatus cum illo actu primo, si autem hac ratione esset creatus, vere illud peccatum Deo tribuendum esset, non ut causę elicienti (illa enim fuisset diabolus) sed ut efficienti, sicuti, si Sol creetur illuminans, Sol eliciet quidem illuminationem, sed effectiue illam producet Deus.

Dices adhuc posito illo actu primo in Angelis, Angeli habent liberum arbitrium, ergo adhuc possent non peccare, quare peccatum non imputaretur Deo, sed solis Angelis, Contra, nam licet

in Angelis sit liberum arbitrium, tamen quando in intellectu practico, per quem uoluntas constituitur in actu primo fuerit illata conclusio practice practica, tunc non potest uoluntas, non sequi illud iudicium, & non potest non eligere, quia necessitatur, tum quo ad exercitium, tum quo ad specificationem, illud autem iudicium includitur in ijs, per quæ diximus potentiam constitui in actu primo ad peccandum, tamquam potentia proxima, quæ simul est cum forma, si ergo hac ratione ponatur determinatum arbitramentum diaboli patebit necessario reducendum esse peccatum in ipsum Deum.

Non potest uoluntas nō sequi iudicium practice practicum intellectus.

Dices secundo sufficit, quod reducatur peccatum in Deum, quo ad entitatem naturalem, non quoad malitiam, & hæc erat secunda responsio, ad argumentum D.Tho. Contra, si enim hac ratione ponatur diaboli mens in actu primo ponitur quoad circunstantias morales in actu primo & ita non solum, quoad entitatē, sed quoad morales circunstantias peccatum erit reducendum in Deum, secundo quia si hac ratione efficeret Deus uere esset causa actus mali in dæmonibus, & licet forte saluari posset, quod ipse Deus non peccaret, tamen non posset saluari, quin esset causa peccati, etiam quoad malitiam: hoc autem est contra Sanctos Patres citatos supra, qui docent uere Deum fecisse diabolum bonum, & ipsum diabolum sponte sua se malum effecisse non effecisset autem se malum sponte, si a Deo malus factus esset in actu primo. Maneat ergo hæc D.Thom. ratio, tamquam ea quæ in Sanctorum Patrum doctrina, & in philosophia optimum habet fundamentum.

Secundò probatur, hæc conclusio, ex optima coniectura si enim in primo instanti potuissent peccare, mirum quodamodo esset, quod ex tot millibus millium Angelorum, nullus plane peccasset.

Tertiò, non fuit conueniens, quod actu peccaret in primo instanti, ne uideretur Deus, eos malos fecisse, ergo neque etiam quod potentiam habuerint, quia hac ratione magis elucescit Dei bonitas, & ipsorum Angelorum excellentia.

Quartò, Quia Angelus peccauit ex inconsideratione, uel ergo tunc habuit cognitionem, uel non, si non, quare Deus non dedit si sic, ergo non potuit peccare: Adde quod peccatum fuit quoad supernaturalia, si ergo per fidem habuisset exactissimā cognitionem non peccasset, si non habuisset inculpabiliter illa caruisset, quia non tenetur habere id quod Deus non dedit in primo instanti sui esse.

Ad Argumenta primę sententię. Ad primū, Respondeo in primo instanti habuisse omnia ea naturalia, quæ habuit in secundo, at in secundo instanti potuit a concupiscentia allici, & inclinari ad actum malum, iam sua culpa in actu primo constitutus, quod non erat in secundo instanti, Quare ex imperfectione potuit

pec-

peccare in secundo instanti, licet non in primo.

Ad secundum, Respondeo. optime respondet D. Tho. potuisse Angelos habere actum meritorium, non autem peccatum, quia actus meritorius est quidem actus Angelorum, sed tamen est a Deo, at actus peccati non potuit esse a Deo.

Ad tertium, patet ex dictis repugnare ex parte Dei, quod constituat aliquem in actu primo ad peccandum, & rationem illam esse solidam.

Ad Quartum, Respondeo procedit argumentum de potentia Dei absoluta, quia secundam illam non est necesse, est actus secundus præsupponat primum in eodem genere.

Ad Quintum, Respondeo forte concludit argumentum de absoluta Dei potentia, tamen de facto non potuit primum peccatum esse omissionis, quia omnis negationis causa semper est aliqua affirmatio, & semper peccatum omissionis reducitur in aliquem actum commissionis, qui illius est causa. Quare omne peccatum omissionis præsupponit aliquid commissionis.

Ad sextum, Respondeo negando antecedens, quia disposuerunt se effectiue & moti a Deo.

Ad ultimum, Respondeo homo non concipitur in peccato actuali, sed originali; peccatum autem Angelorum non potuit esse originale; sed necessario actuale, quare est dispar ratio.

Omne peccatum omissionis præsupponit aliquod peccatum commissionis.

DISPVTATIO VIII.

Vtrum fuerit aliqua mora inter creationem, & lapsum.



Ecolenda sunt hic quæ diximus de Angelorum instantibus, cum de merito Angelorum, in ea quæstione. Quando Angeli meruerunt, tum etiam, quæ de ipso merito: posuimus enim ibi tria instantia, primum quo creati sunt, & meruerunt, sed non cum plena libertate: secundum quo meritum continuarunt, cum plena libertate: tertium glorificationis.

Nunc agemus de instantibus uiæ in malis Angelis.

Prima sententia est D. Tho. qui licet uarie hac in re uariis in locis sit locutus, ideo desudant docti ipsius discipuli in inuenienda uera D. Tho sententia, tamen communiter hac ratione explicatur quod duo tantum instantia posuerit, primum in quo meruerint omnes beatitudinem, secundum in quo boni continuarint meritum, & sint beatificati, & mali mortificauerint meritum peccando, & sint damnati, ita D. Tho. p. p. quæst. 62. art. 8. & quæst. 63. art. 5. ad 3. & ad 4. ita D. Tho. sentent. explicat & tuetur Capreolus 2. dist. 4. quæst. 1. conclusione 5. & dist. 5. quæst. 1. conclusione 4. Gaietanus apud D. Tho. ubi supra, Ferrar. lib. 3. cont. gent. capit. 110. Ba-

110. Banes 1. p. quęſ. 63. art. 3. 6. dubitatione 3. Georgius Buſtus in quæſtionibus Theologicis q. 1. de Angelorum merito. Seraphinus Caponi in elucidatione huius articuli, Viguerius in inſtitutione de uoluntate Angelica uer. 13. de potentia luciferi ubi etiam plurimas alias Thomiſtarum ſententias quo adhoc refert legendas apud ipſum, quæ ſententia probatur.

Primò, Quia fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, poſſunt autem omnia ſaluari per duo tantum inſtantia, ergo probo min. quia poſito, quod omnes meruerint in primo inſtanti; in ſecundo inſtanti hæc omnia ſimul eſſe potuerunt, poſſe peccare, actu peccare, & damnari. Sicuti etiam in bonis Angelis hęc ſimul eſſe potuerunt, poſſe peccare, non peccare, & confirmari in bono & beatificari.

Secūdò, ex Gregorio Nyſſeno lib. 1. philoſophiæ cap. 3. Ita uero inquit quidam uolunt Angelos poſt caſum minime ea, quæ ex pœnitentia eſt ueniam potiri; mors enim horum eſt caſus, at ante caſum ad ſimilitudinem uitæ hominum eos gratia dignos effici &c. quod etiam habet Damaſc. lib. 2. de fide orthodoxa cap. 4. D. Auguſtinus de fide ad Petrum capit. 3. Pars autęm illa inquit Angelorum quæ a creatore ſuo Deo uoluntaria prorſus auerſione diſceſſit, equitatis ſupernę iudicio, initium ſuę damnationis in ipſa auerſione uoluntatis inuenit; ut non aliud ei fuerit cępiſſe perire, quam illius beatifici fructus dilectione deſtitui, quod etiā, Iudæ epiſtola ſatis uidetur indicare. Angeli qui dereliquerunt ſuum domicilium &c. Ex quibus auctoritatibus liquido conſtat quod quo inſtanti peccarunt, in eodem etiam ſunt damnati. Neque etiam apparet ratio, cur differri debuerit eorum damnatio, ergo duo tantum inſtantia ſunt ponenda.

Tertiò, uel ſecundum inſtans correſpondet inſtanti noſtri temporis, uel parti temporis, neutrum dici poteſt, ergo prob. min non primum quia eſſēt duo inſtantia immediata, non ſecundum, tum quia mali poſt peccatum permanſiſſent in cœlo per aliquod ſpatium temporis, tum quia non ſtatim eſſent damnati, tum quia nec boni ſtatim beatificati. Vt quid igitur tanta mora?

Quartò ſi inſtans tertiū ponendū eſt in Angelis malis maxime erit, quia inſtans, quo peccarunt, et inſtans, quo damnati ſunt non poſſunt eſſe unicum inſtans, ſed neceſſario duo, idem dici poſſet de inſtantibus Angelorum bonorum, quod inſtans meriti diſtinguatur ab inſtanti beatificationis, ſed hoc dici non poteſt, ergo. Maior eſt clara quia doctores oppoſitæ ſenten. ita diſtingunt, min. patet ex ſola conſideratione inſtantium temporis diſcreti, quę ponuntur in Angelis, hæc enim inſtantia plurificantur tantum quoad diuerſitatem operationum ipſorum Angelorum, eadem autem fuit operatio in malis Angelis, quando peccarunt, & quando damnati ſunt, & etiam in bonis quando meruerunt, & quando beatificati ſunt, ergo min. patet quoad Dæmones, quia ipſo-

ipsorum peccatum fuit superbia, quando autem damnati sunt in superbia etiam permanserunt ita expresse ps. 73. superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. De bonis etiam patet, quia meruerunt per actus charitatis; actus autem charitatis in glorificatione nõ tollitur, sed manet, & potius pficitur, in hoc enim Apostolus fidem a charitate distinguit, quod fides euacuatur, charitas perficitur: fides deficit, charitas manet, ergo Lege Apostolum in Epistola prima Cor. cap. 13.

Secunda sententia est eorum, qui saltem tria instantia dicunt esse ponenda in Angelis nonnulli etiam quatuor ponũt, sed con tra hos non est disputandum, quia hæc sententia iam ab omnibus explodiiur, & nullum habet fundamẽtum. Qui autem tria instantia ponunt uaria ratione ponunt.

Alij ita ponunt dicentes Angelos in primo instanti conditos esse in puris naturalibus, in secundo quosdam accepisse gratiam, & meruisse beatitudinem, & in tertio beatificatos esse, quosdam uero posuisse gratiæ obicem, & peccasse in secundo, & in tertio esse obduratos in malo, & damnatos. Ita communiter omnes qui Angelos negant in gratia esse creatos, ita Magister, 2. dist. 3. & 5. Alen. 2. parte, quæst. 109. membro 11. Alb. dist. 3. art. 14. Gregorius Ibidem, quæstio. 1. art. 3.

Alij ponunt tria instantia, primum in quo omnes sint in gratia creati, & omnes habuerint actum dilectionis Dei supernaturalem, quo meruerint beatitudinem: secundum in quo boni, cum perfecta libertate, qualẽ non habebant ita perfecte in primo continuarunt meritum & in tertio sunt beatificati. Mali uero in secundo instanti mortificarunt meritum, quod habuerunt in primo instanti, & ita peccarunt, & in tertio sunt damnati, ita Scotus 2. dist. 4. & 5. simul quæst. 1. Gab. dist. 5. quæst. 1. art. 2. Bassolis ibidẽ Maior, quæst. 3. Tattaret. 2. dist. 4. & 5. quæst. 1. Pelbartus in suo Rosario parte. 2. uerbo Angeli 8. §. 85. ubi citat suum Guilelmum, Valentia idem tenet de Angelis malis esse, scilicet duplex instans uiæ & tertium termini ita de perfectione Angel. quæst. 13. puncto 2. §. Hoc igitur posito. q̃ sententia, mihi uñ esse certissima ideo sit.

Conclusio unica decisiua, inter creationem & lapsum fuit quædam mora quæ à nobis tribus instantibus explicabitur, per lapsum autem intelligo non tantum peccatum; sed etiam damnationem. Antequam hanc sententiam probem. *Tria instantia in Angelis ponenda.*

Suppono primo Angelos esse creatus in gratia.

Secundò, Omnes in primo instanti meruisse.

Tertiò, Instãtia Angelorum sumi penes diuersas operatiões, uel penes intrinsecas uariationes ipsarum operationum.

Quartò, Operationem, quam habuerunt in primo instanti omnes Angeli non fuisse plene liberam, deinde cum plena libertate fuisse operatos. His suppositis sic argumentor.

Primò, Inter primum instans creationis, & instans damnationis,

nis,necessario intercipi debet aliquod aliud instans in malis Angelis, ergo dantur tria instantia, probatur antecedens, primo ex suppositis. Angeli in primo instanti meruerunt per actum bonum, in secundo instanti mali Angeli peccant; Hæc operatio essentialiter diuersa est à prima, quia actus bonus, & malus, actus supernaturalis, & naturalis, actus procedens ex gratia & actus ex superbia; actus ex amore Dei usque ad contemptum sui, & actus procedens ex amore sui usque ad contemptum Dei essentialiter distinguuntur, & de ijs nulla potest esse difficultas.

Quando etiam diabolus in secundo instanti peccauit libertatem habebat, qua ita poterat non peccare, ut etiam posset bonum facere: At in tertio instanti quo intelligitur in malo obduratus non habet eam libertatem, non enim potest amplius bonum facere: Quare illa instantia ex hac uariatione conditionis in operando sunt, ut distincta accipienda.

Secundò, Actus peccati mortificat meritum, dum est in termino non mortificat meritum, uel præsupponit meritum mortificatum.

Tertiò, Per actum peccati demeretur æternam damnationem, essentialiter, actus dum est in termino non demeretur damnationem essentialem, sed augmentum accidentalis damnationis. Nec dicas hæc argumenta procedere de actibus, quos modo habent dęmones, nam ego per actus termini non intelligo tantum actus, quos modo habent, sed actus illos quos habuerunt in ipso primo intrinseco statu damnationis quando damnatio per primum sui esse incipit in dęmonibus, tunc enim habebant actum superbiæ de hoc loquor, & de hoc argumenta concludunt, essentialiter distingui ab actu peccati, quo mortificauit meritum: & demeritus est damnationem.

Ita in sanctis Angelis in primo instanti habuerunt actum meritorium, sed ita ut non possent peccare, secundo cõtinuarunt illud meritum, ita ut peccare possent, tertio sunt beneficati, secundum à primo essentialiter distinguitur, quia posse peccare, & non posse peccare, facere libere, & non facere essentialiter diuersificant operationem, quare etiam instans secundum etiam à tertio essentialiter distinguitur, quia licet utrobique sit actus charitatis, tamen unus, qui in secundo est charitatis imperfectæ, alter qui in tertio est charitatis consumatæ, secundus sequitur fidem, quæ est ęnigmatica uisio, tertius sequitur uisionem claram, secundus est uiæ, tertius termini, secundus est cum libertate ad utrumlibet, tertius non item, secundus est meritorius, tertius non, sed quo ad beatos Angelos fusius explicatum est, cum de ipsorum merito.

Huic argumento Respondet Banes, & quod ad Angelos quidem malos attinet, concedit tria instantia esse ponenda; quod etiã quidam alii ex citatis in prima snia concedunt; & ostendit optime hoc non esse contra D.Thom. quod ad bonos autem Angelos

non

non admittit nisi duo instantia, quia ipse contendit non distingui actum cõtinuationis meriti ab actu quem habuerunt in primo instanti, quia essentialiter est idem actus, & licet sit in continuatione cum libertate, quo ad specificationem etiam ad peccandum, tamen etiam in primo instanti habebant libertatem, si non quo ad specificationem, tamen quo ad exercitium. Cũ ergo ille actus essentialiter non diuersificatur à primo, ideo unum instans conficit non autem duo. Sed contra, nam in continuatione habent Angeli libertatem quo ad exercitium, & quo ad specificationem in instanti creationis non habebant libertatem, nisi quo ad exercitium, secundo in actus continuatione Angeli potuerunt peccare in primo non potuerunt peccare, ergo.

Respondet Banes, Capreolus & communiter Doctores, primæ sententiæ, ad primam nostram instantiam non deduci consequentiam, quia libertas quo ad specificationem non est de essentia libertatis, ideo non diuersificare essentialiter operationẽ.

Ad secundum, Respondent posse peccare non esse conditionem intrinsecam operationis, ideo non diuersificare essentialiter actum continuationis meriti, ab actu ipsius meriti, qui fuit in primo instanti, quare illud unicum: tantum instans fuisse.

Ego uero antequam has responsiones impugnem colligã sarcinulas, & ex dictis ipsorum iam habebo instans glorificationis distinctum esse ab actu meritorio, neque hoc gratis facio, sed quia Georgius Bustus in suis quæstionibus Theologicis, quæ est prima de Angelorum merito dicit instans continuationis meriti, esse distinctum ab instanti glorificationis, quia in secundo libertatem perfectam habuerunt, sed tamen hoc instans continuationis dicit non esse distinctum ab instanti glorificationis. Hoc posito.

Dico ipsos præsupponere, quod tamen adhuc non probarunt, primo quod, primus actus fuerit plene liber libertate, quo ad exercitium non quo ad specificationem, quod ego puto esse falsum, & contra doctrinam D. Tho. qui arriculo præcedenti docuit actum, qui simul incipit cum esse rei esse in illa re ab auctore naturæ; quod si est in ipsa re ab auctore naturę, ergo non potest non esse, quia auctor naturæ, utrumq; producit, licet etiam Angelus concurrat elicitiue, tamen necessario elicit etiam quo ad exercitium.

Secundo præsupponunt libertatem, quo ad specificationẽ non esse de essentia libertatis, sed solam libertatem, quo ad exercitiũ; ideo libertatem, quo ad specificationem aduenientem Angelis in operando non mutasse essentialiter operationem illam Angelorum, quod fortasse non ita certum est; ad perfectam enim libertatem non solum spectat, posse agere, uel non agere; sed etiam posse hoc, uel illud agere; fateor tamen eam libertatem secundum speciem, quæ etiam includit libertatem ad peccandum, non

esse de essentia, nec perfectionem dicere, sed potius defectum libertatis; sed hæc missa faciamus ostendamusq; uere, in secundo instāti Angelos mutasse operationes essentialiter: quod sic probo, & sit secundum argumentum demonstratiuum.

Secundo, Rñdeo. In secundo instanti Lucifer, ut patebit in sequentibus dubitationibus tentauit omnes Angelos, & quidam consenserunt ei, quidam autem noluerunt consentire. Imo factum tunc est, prælium magnum, & dum dixit draco similis ero altissimo, surrexit Michael dicens, quis ut Deus? de quo Apoc. 13. Nec dicat quis factum esse prælium postquam sancti confirmati sunt, & mali sunt damnati; hoc enim facilè concedetur ita tamen, ut nobis necessario concedendum sit, pugnam illā, quæ fiebat suggestione mali Angeli factam esse, in secundo. hoc autem concedendum esse probat auctoritas illa, quæ habetur in Apocal. cap. 12. Vicerunt Angeli propter sanguinem Agni propterea letamini cœli; propter quam specialem luctam ponit Ludouicus Carbo in expositione orationis dominicę, cap. 55. glorificationem factam; licet enim ad litteram intelligatur de persecutionibus Ecclesiæ, tamen mystice à Patribus, de prælio facto in cęlo inter ipsos Angelos explicatur, ipsi igitur Angeli reluctantes, & uolentes consentire operationem suam essentialiter mutabant.

Prælium in cælo cur factum.

Ad argumenta. Primæ sententiæ. Ad primum nego min. & patet ex dictis non saluari omnia.

Ad secundum, Respondeo dum quod ad diabolum attinet nobis cum conueniant plurimi, primæ sententiæ, ideo non esse laborandum de argumento, quod ita ipsis, sicuti, & nobis negotiū facessere potest. Dico tamen ex ijs locis Patrum nihil colligi contra hæc instantia, sed tantum, quod post peccatum sint damnati.

Ad tertium patebit infra.

Ad quartum, Respondeo nego min. ad probationem, Respondeo licet eadem fuerit operatio, quo ad substantiam, quæ ex obiecto desumitur, tamen intrinsecas circunstantias esse mutatas, quæ actum essentialiter diuersificant, ut supra dixi.



DISPV-

DISPVTATIO IX.

Quomodo se habeant illa tria instantia comparata ad nostrum tempus.



VArij uaria dicunt, & in re exigui momenti in referendis aliorum placitis non debeo immorari. Dicam ergo quid ego sentiam.

Primo instanti correspōdere censeo, primum instans, quo conditus est totus orbis.

Secundo instanti tempus.

Tertiò instanti, instans claudens uiam Angelorum, & principians statum Angelorum, tum beatorum in patria, tum damnatorum in obdurationem, quod instans sit extrinsecum uię, intrinsecum termino.

Probatur hæc sententia quo ad primum dictum, quia supra ostensum est Angelos productos esse, in primo instanti orbis, ita in Concilio Lateranen. sub Innoc. 3. refertur de sum. Trinit. &c. Qui in principio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam, & mundanam, item ex eo quod hæc operatio in Angelis ponatur in primo instanti.

Secundum instans se ita habere patet, quia duo instantia nostri temporis non possunt esse immediata, ut patet ex 4 Physic.

Tertium instans patet, quia beatitudo incipit intrinsece, ita etiam uia extrinsecè clauditur. Quod Scotus vbi supra explicat hac ratione merentes, usque ad nunc præmiationis, in illo nunc præmiati sunt. Quod autem uia desinat extrinsecè patet, quia in illo instanti non sunt amplius uiatores, sed in termino, quia tempus extrinsecè definit, & ex hoc, quod si beatitudo, utpotè indiuisibilis incipit intrinsecè, per primum sui esse, necesse est quod uia desinat extrinsece, per primum sui non esse, ne idem instans intrinsecum sit utrique durationi.

Obiicies contra ea quæ pro secundo instanti dicta sunt Patres citatos in secundo argumento, primæ sententiæ dicentes statim atque peccarunt esse damnatos. Respondeo ita esse intelligendos, neque quod in eodem præcise instanti, quo peccarunt sint etiam damnati; sed quod spatium penitendi non habuerunt, sicuti homo habuit, patet hæc explicatio ex ipsorum uerbis.

Dices secundum illud instans, seu tempus nostrum correspondens secundo instanti quantum fuit? Chrysost. hom. 22. in cap. 6. Gen. dicit quosdam putasse diabolum ex inuidia peccasse; quod inuiderit homini facto ad Dei imaginem, quare secundum istos durasse saltem sex diebus, uel aliquid amplius. *Diabolus ante conditum hominē peccauit.*

Altisiod. lib. 2. trac. 2. c. 4. dicit peccasse malos Angelos, secunda

 die

die, sed postea probabilius dicit peccasse prima die. Ioan. de Combis. lib. 2. cap. 13.

Respondeo ego quoniam hac de re nihil certi habemus, neque ex scriptura, neque ex Ecclesię determinatione, neque ex sanctis Patribus, nihil certi statui posse, de quantitate illius temporis, certum tamen esse quod peccarint dæmones ante conditum hominem, ita expresse Chrisostomus ubi supra, contra eos agens dicit. Verum scriptura nos aliter docet, quod antequam formaretur Protoplastus à sua dignitate exciderant, & diabolus, & qui cum eo maiorem, quam decebat dignitatem ambiebant.

D. Aug. de admirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 2. dicit: Non solum ergo peccatum hominis præcessisse diabolica ruina credéda est, sed etiam perfectionem creaturarum, illarũ, quæ in die sexta facta est. Crediderim igitur tempus non fuisse breuissimum, quasi in ictu oculi, quia illa uia erat probationis, Secundò quia lucifer in tam exigua duratione uix potuisset omnes Angelos, qui in infinita propemodum quantitate sunt tentare, & seducere tertiam partem ipsorum, quos cauda traxit: Nec censeo statim post lapsum in eo apparuisse damnationis signa, ut alijs tentandis locus esset, sicuti etiam non statim atque Eua comedit pomum nuditatis in ea deformitas insorduit; sed corrupta mente atque infecto corde peccato, adhuc tamen caro deformata non fuit, quo ad etiã Adamus pomum comedisset. Probabilius igitur crederem prima die omnes cecidisse, quia & ea die diuisa est lux à tenebris, boni à malis Angelis.

Via malorũ Angelorum licet breuis fuerit nõ tñ fuit instantanea.

Non statim post peccatũ in Lucifero apparuisse dãnationis signa.

Prima die Angeli peccauerunt.

DISPVTATIO X.

An Angelus supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes.



Egatiua sententia, multis Patrum & scripturæ testimonium confirmatur.

Alb. 2. dist 6. q. 1. art. 1. & post ipsum omnes fere doctores in negatiuam sententiam, citant Diuum Augustinum quia lib. 11. de Genesi ad litteram capit. 19. quæstionem hanc excitat, & relinquit insolutam Cardinalis Stanislaus Ossius in confessione catholica in determinationibus humanis prope finem dicit fuisse ex ordine Cherubim, non autem ex ordine Seraphim; propter testimonium Ezechielis. Diegus Payua lib. 3. orthodoxarum explicationum uidetur dubitare de hac re, dicit enim non dubito quin aliqui dæmones natura sint præ multis beatissimis spiritibus nobiliores. Damascen. autem libro 2. orthodoxę fidei cap. 4. dicit supremam uirtutem inter peccantes esse ex terrestri ordine cui à Deo terræ cura demandata erat, Ex Angelicis inquit uirtutibus ea quæ præerat terrestri ordi-

ni,

ni,&c. libet hic Greca uerba afferre, quia paullo aliter ſonare uidentur. Ἐκ τούτων τῶν Ἀγγελικῶν δυνάμεων πρωτοστάτης τῆς περὶ γεῖου τάξεως καὶ τῆς γῆς τὴν φυλακὴν ἐγχειρισθεὶς παρὰ θεοῦ, ideſt Ex ijs angelicis poteſtatibus perfecta terreſtri ordini δύναμις. n. & uirtutem.& potentiam,ſeu poteſtatem ſignificat,per magni autem referret noſſe an legendum eſſet poteſtates,aut uirtutes,quia licet uterque ordo ſit in ſecunda hierarchia,tamen poteſtas uirtuti ſubditur, nulli tamen dubium eſſe poterit, quin hic δύναμις pro uirtute accipiatur, quia in ſuperiori capite enumerans ordinem Angelorum,ſecundam hierarchiam dixit eſſe τῶν Κυριοτήτων,καὶ δυνάμεων,καὶ τῶν ἐξουσιῶν, ideſt dominationum, uirtutem, & poteſtatem.

Secundò, ex ſacris litteris numquam habemus Luciferum fuiſſe ex ordine Seraphim cum tamen conſtet Seraphim, ordinem omnium eſſe ſupremum; ſed apud Ezechiel dicitur Cherubim, Ezechiel 28. Tu Cherubim extenſus. Iob. 40. dicitur: Beemoth. בהמות non Angelum ſignificat, ſed beſtiam, quam aliqui elephantem, alij propriæ ſpeciei animal eſſe dicunt, de quo Hebræi mira fabulantur. Lege Marcum Marinum in Arca Nohe in uerbo Behemot qua ratione etiam dicitur draco leo, mala beſtia &c.ita Apoſtolus,qui prędicabat Epheſ.3. vt innuteſceret principatibus & poteſtatibus &c. numquam tamen Seraphim nominauit inter malos ſpiritus & ibi.dum dicit non enim eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, non nominat Seraphim, ſed tantum dicit;ſed aduerſus principatus & poteſtates,aduerſus mundi rectores tenebarũ harũ contra ſpiritualia nequitię in cœleſtib. **Behemoth quid.**

Tertiò, Quia alienum uideretur a diuina prouidentia, quod omnium nobiliſſima creatura periiſſet, & in primario ſuo effectu quodammodo fine fruſtratus eſſet.

Contraria tamen ſententia communis eſt,tum ſanctorum Patrum, tum etiam Scolaſticorum, Magiſter cum Scola, ſecundo diſt.6. Alb.2.diſt.6.quæſt.1. art.1. & ſecunda parte ſummæ, quæſt. 20.de quatuor coęuis,quæſt.10.art.1. Alen. ſecunda parte, quæſt. 109.in aliis,q.4.mem.1.art.1.& 2.D.Thom.1.p.q.63.art.3. contra gentes,capitu. 109. Bonau.ubi ſupra: & alia ſcolaſticorum turba.

Concluſio, Lucifer fuit primus, & ſupremus omnium Angelorum, probatur. **Lucifer fuit ſupremus omniũ Angelorum.**

Primò, ex ſacris litteris, Iob. 40. Ecce Beemoth quem feci tecum,ipſe eſt principium uiarum Domini; Ezechiel 28. Tu ſignaculum ſimilitudinis,Diuus Gregorius 32.moral.18.quid namque boni non habuit ſi ſignaculum Dei ſimilitudinis fuit, De ſigillo enim annuli talis ſimilitudo imaginaliter exprimitur, qualis in ſigillo eodem eſſentialiter habetur, & licet homo ad ſimilitudinem Dei creatus ſit, Angelo tamen quaſi aliquid maius tribuens, non eum ad ſimilitudinem Dei conditum; ſed ipſum ſignaculum Dei ſimilitudinis dicit, omnis lapis prætioſus

sus &c. Diuus autem Gregorius infra aduertit numerari nouem lapides, quia nouem sunt ordines Angelorum, & omnes Angeli illum ornabant;& illud in medio ignitorum lapidum,lapides autem igniti intelliguntur Seraphim, in quorum medio ambulabat, Quia tamen Seraphim est nomen charitatis, ideo D. Bonauentura 2.dist.6o.art.1.quæst.2.aduertit,quod quia peccando contra charitatem ambulauit, ideo licet reliqui sui ordinis nomen retinuerunt, Lucifer tamen etiam nomen amisit Esa. 14. Quomodo cecidisti de cœlo. Lucifer &c. sed præclara est illa descriptio Ezechiel. 28.Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei,abietes non adequauerunt summitatem eius & platani non fuerunt æque frondibus illius omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi & pulchritudini eius, quod explicans D.Gregorius lib. 32.moral.cap.18. in aliis editionibus capit.23.dicit quid per has arbores, nisi illa cælestium uirtutum proceræ celsitudinis agmina in terræ letitiæ uiriditate plantata,quæ quamuis excelsa sint condita tamē huic nec prælata sunt, nec æquata, Et infra qui idcirco peccans sine uenia damnatus est, quia magnus sine comparatione creatus fuerat Ezechiel. 28.tu Cherubim extensus, & protegens,quod ibidem D. Gregorius explicat bene inquit extensum, & protegentē dicit, omne enim quod extensi protegimus adumbramus; Et quia comparatione claritatis suæ cæterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extensus & protegens fuisse perhibetur, reliquos enim quasi adumbrando operuit,qui eorum magnitudinem excellentia maiore transcendit Matt.sic primi nouissimi &c.

Omnes Angeli Luciferum antequam caderet exornabant.

Cur Lucifer peccando Seraphim nomen amiserit.

Cur Lucifer peccans misericordiam nō inuenit.

Lucifer cur Cherub extensus.

Tertiò, ex Patribus D. Augustinus lib. diuersarum quæstionum ad Orosium Angelus quanto sublimior in gloria,tanto maior in ruina lib. 1. mirabilibus Sacræ Scripturæ capit.3.Quare irremediabili uindicta Angelorum summus percussus est, lib.cur Deus homo cap.1.tanto deterius deliquit,& grauius ruit,quanto sapientior ac celsior fuit; sed ruina eius est omnium maxima, ergo.

Tertullianus 2.contra Marcionem capit. 8. Origenes 1.periarcon, capit.8.& tract. 9.in illud Matt. 20.erunt nouissimi primi,& primi nouissimi.

Chrisostomus homil.de Adam & Eua,& lapsu hominis.

Lactantius Firmianus lib.2. diuinarum institutionum capit.9.

Hieronymus in id Iob.40.ipse est principium uiarum Domini

Augustinus lib. de quæstionibus ueteris & noui testamenti,quæstio.2.

Gregorius 4.moral.cap.12.lib.9.cap.2.lib.32.cap.18.& hom.34. In Euangelia.

Benardus serm. 1.de aduentu,& serm.de gradibus humilitatis gradu 1.

Isidorus lib.1.de summo bono cap. 12.dicit prius creatus est ordinis

dinis prælatione, non temporis quantitate, primatum habuisse inter Angelos diabolum excellentia prælationis, ex qua fiducia cecidit, ita ut sine reparatione laberetur. Glossa in id Esa. 4. quo modo cecidisti & Ezechiel. 28. & in ps. 103. draco iste &c.

Quartò, Quia uix credibile fuisset infimę hierarchię, uel etiam mediæ Angelum dominatum supra alios præripere uoluisse & altissimo similari.

Ad Argumenta primæ sententię. Ad Primũ Respondeo. Quod attinet ad D. Augustinum satis eius mentem esse claram ex locis supra a nobis adductis. Diuus autem Damasc. explicatur quidem a D. Thom. sed uiolenta uidetur explicatio, satis igitur sit Damasceno tot Sanctorum Patrum auctoritates opponere.

Ad secundum patet ex dictis; est enim argumentum ab auctoritate negatiua, ratio autem cur non nominetur Seraphim, optima est, quam ex D. Bonauentura attulimus.

Ad tertium, Respondeo ex hoc magis elucescere Dei maiestatem in cuius conspectu nobilissima creatura, pro nihilo computatur, nec frustatur fine, qui supra ipsam eleuat infirmiorē naturam humanam ad eruditionem & terrorem fidelium. Si enim Angelis peccantibus non pepercit, &c. Damnatio Luciferi eruditio ad terrorem fidelium est.

DISPVTATIO XI.

Vtrum peccatum primi Angeli fuerit alijs occasio peccandi.



RIma sententia est dicentium non fuisse alijs occasionem peccati, nec alios tentasse, sed unumquemque absque alterius suggestione peccasse, ita Guliel. Parisiensis in secunda parte secundæ partis de vniuerso capit. 60. qui dicit non solum Luciferum, non persuasisse aliis, nec alios subornasse, imo potius ipse Lucifer uidens aliorum uoluntates promptas ad rebellandum, contra Deũ, occasionem sumpsit suæ superbię, Quia nullus unquam solus absque tractatibus, cum inferioribus audet arma contra suum regem præripere, ita neque etiam Lucifer hoc ausus fuisset. Castro de hæresibus uerbo peccatum hæresi 3. hæc sententia probatur.

Primò, quia peccatum Luciferi fuit appetere se esse similem Deo, non est autem credibile, quod singulis alijs potuerit persuadere, quod illi etiam appeterent esse sicut Deus, ergo.

Secundò, dicimus ualde probabile esse, quod peccatum Luciferi fuerit appetentia alicuius dominationis, supra alios, ut dicunt sancti Patres, sed non est credibile, quod Lucifer uoluerit alijs persuadere, quod & ipsi appeterent eandem dominationem,

imò quia solus regnare uolebat, probabilius est, quod si alij appetere uoluissent, eos deteruisset ab instituto.

Tertiò diximus etiam probabile esse, quod superbia Luciferi fuerit in appetenda unione hypostatica; sed optime nouerat Angeli non esse illam unionem propositam, nisi in una natura, ergo Lucifer in sua natura fieri uolebat, primo alios idem appetentes fieri in sua potius deteruisset, quam hortatus fuisset.

Quartò, si secundum D.Thom. mentem peccatum Angeli fuit tantum non referre suam beatitudinem naturalem in Deũ, non potuisset Lucifer persuadere aliis Angelis ordinum inferiorum, vt non referrent, & ipsi beatitudinem suam in Deum, quia cum ipsi uiderent maximam differentiam inter suam, & superiorum Angelorum substantiam, nouerant etiã se id non debere, quod alij superiorum ordinum nobiliores Angeli fortassis possent efficere.

Quintò, hæc persuasio omnino fuit impossibilis, ergo antecedens probatur, uel enim suggessit Lucifer aliis manifestando eis voluntatem suam per locutionem, uel quod alij Angeli uiderint absque locutione uoluntatem Luciferi, neutrum dici potest ergo probo minorem, non enim potest dici secundum, quia supra probatum est Angelos non cognoscere secreta cordium; neque primum potest dici, quia illa manifestatio est manifestatio rei alicuius iam in actu positæ, ergo prius debuit Lucifer peccasse, & postea uoluntatem hanc ostendisse, sed hoc dici non potest, quia ex Damasc. lib. 2. cap. 3. ex Nisseno lib. 1. philosophiæ, cap. 3. de homine, idem est casus in Angelis quod mors in hominibus, & D. Augus. lib. de fide ad Petrum cap. 3. dicit in ipsa auersione sui a Deo cecidisse, si ergo Angeli uidissent Luciferũ præcipitantẽ, & iam malæ suę uoluntatis pœnas luentem sine dubio illi non consensissent; uel demus quod non statim ruerit saltem statim debuit in ipso apparere fœditas peccati: Angeli ergo uidẽtes eius uoluntatem necessario deformitatem, & turpitudinem illius uoluntatis uidissent. Neque dicas cum præpositiuo, & Altisiodor. lib. 2. tract. 2. cap. 5. uidisse quidem alios Angelos, & uoluntatem Luciferi, & etiam turpitudinem illius; sed quoniam adeo intenti erant uidere uoluntatem, ideo non contulerunt, an illa turpitudo esset ab illa uoluntate, hoc enim nulla ratione dici potest, tum quia Angeli non cognouerunt conferendo, tum quia in illa ipsa uoluntate inerat turpitudo causata ab ipsamet uoluntate.

Idem lapsus in Angelis, quod mors in hominib.

Sextò, uel peccarunt omnes Angeli simul, uel unus ante alios, si primum ergo unus non est causa alterius, quia ubi non est dependentia non est ratio causæ, uel effectus: si unns ante, alius post, ergo non omnes peccassent in secundo instanti, nec simul omnes, sed unus ante alios, & sic erit eadem difficultas tacta, in quinto argumento.

Septimò, uel Lucifer persuasit aliis aliquod bonum morale,

[illegible] ... rigit [illegible] Ange[illegible] habere [illegible].

O[illegible] ex G[illegible] mo Par[illegible] supra e Lucifer [illegible] inferio[illegible] quibus na[illegible] quib[illegible] quibus præmiis?

Contraria tamen sententia communissima est omnium a[illegible]rum dicentium Luciferum alios inferiores te[illegible], [illegible]se, quæ sententia ue[illegible]ima est; Vario tamen m[illegible] Do[illegible] suggestionis huius modum explicant.

D.Tho.duos modos explicat,primus est quod in peccatis Angelorum sit ordo, quo ad quantitatem culpæ, non autem durationis, scilicet quod non prius manifestarit Lucifer per locutionem uoluntatem suam aliis Angelis, deinde Angeli consenserint; sed tantum quod uidentes uoluntatem e[illegible]s, statim [illegible]i adhæserunt.

Secundus quod inferiores videntes Luciferum non referre, se nec beatitudinem suam naturalem in Deum, neque etiam ipsi referre uoluerint, qui modus erat etiam Alber. præceptoris sui.

D.Bonauent. ponit etiam quod Lucifer locutione manifestarit cæteris secretum suæ uoluntatis, & quod reliqui consenserint sit, ergo.

Conclusio decisiua Angeli inferiores ex suggestione Luciferi peccarunt, probatur. Angeli ex Luciferi suggestione peccarunt.

Primò, ex scripturis Apoc.12. draco cauda traxit tertiam partem stellarum, Esa.14 corruisti in terram qui vulnerabas gentes, ibidem perdidisti populum &c. Secundò, quia in scripturis fiunt duo ordines, seu duæ societates, ut appellat D. Aug. ut in[illegible]ra una bonorum, alia malorum: bonis præficitur Michael, quia primus obstitit dicens. Quis ut Deus, ideo princeps est cælestis militiæ, malis præficitur diabolus, ita Apocal.12. Michael, & Angeli eius præliabantur, Draco, & Angeli eius, Matth.25. ignem paratum diabolo, & Angelis eius.

Secundò, ex Patribus Damasc. lib.2. de fide Orthodoxa, cap.4. collabens autem, & comitans ipsam (scilicet virtutem, quæ præerat terrestri ordini, quam putabat esse Luciferum) corruit infinita multitudo Angelorum, sub ea ordinatorum, D Augu[illegible].lib. cur Deus homo, cap.1. Angelos inferiores uocat fautores Luciferi, dicit enim de lucifero omnia cœlorum agmina putauit ad suum uelle posse flectere. Quorum quidam eadem prauitate principaliter infecti, quidam uero minus cauti huic tam inaniter

[illegible]es, [illegible] eo[illegible] [illegible] ad [illegible]derunt.

Tertio, [illegible] probat [illegible] [illegible] ca[illegible], [illegible] perue[illegible] a tamen [illegible] Gregor. d'a[illegible] [illegible] non [illegible] x[illegible] sint [illegible] ea u[illegible] ta e [illegible] rece[illegible]unt, qua[illegible] [illegible]o su[illegible]jcere pr[illegible]mo appetie[illegible]n[illegible]

Obijcies [illegible] Patres rationem discrimin[illegible] [illegible]is cur à Deo homines a[illegible], dæmones non saluentur assignant, quia [illegible] peccarunt, diabolus autem nullo [illegible] D.Bernardus serm.8. in Cantica [illegible] est, [illegible] [illegible] præcipitauit di[illegible] cap. 10. [illegible] aliud quo, & perditus homo [illegible], & superbus ille spiritus reparari non possit, [illegible] Angelus sua malitia cecidit, homo uero aliena.

Respondeo [illegible] uarias huic argumento afferri posse responsiones. Prima non ab omnibus eandem afferri, sed potius solere ad Dei [illegible] remittere sequentes D.Paul. Heb. 2. Angelos nusquam [illegible] apprehendit, sed semen Abrahæ, & Rom. 5. ubi abundauit delictum, superabundauit, & gratia, secundo solere afferri rationem ex e[illegible], quod homo carne circundatus ex infirmitate magis, quam ex malitia peccauit Angelus uero solum ex malitia, ita D.Gregor. lib. 4. moral. cap. 9. Duas inquit ad intelligendum se naturas fecerat Deus, Angelicam uidelicet, & humanã, utramque uero superbia perculit, atque ab ingenitæ rectitudinis statu deiecit, sed una tegmen carnis habuit, alia uero nihil infirmum de carne gestauit. Misertus ergo creator, ut redimeret illam ad se reducere debuit, quam ex infirmitate aliquid habuisse constat, illam uero repellere, quæ nihil infirmum ex carne gestauit. Respondeo tertio sæpè sumi diabolum pro toto corpore, idest pro tota massa dæmonum, idest corpus simul cũ capite suo Lucifero, quomodo D. August. lib. 11. de Gen explicat & hac ratione u[illegible] peccasse nullo suggerente, quia caput primus fuit [illegible], & membra ex capitis suggestione. Quarto, Respondeo sæpe nomine diaboli de solo lucifero Patres loqui, [illegible] patet expresse legenti locum illum citatum D.Bernar.

Ad argumenta. Primæ sententiæ. Ad primum, secundum, & tertium unica responsione satisfaciendum est; quod siue Angelus supremus appetierit tyrannicum dominium, siue unionem hypostaticam, siue aliud quoddam, quod alios seduxit, non ut ipsorum quilibet illud dominium, uel unionem appeteret, sed ut [illegible]iferum sibi esse præfectum, uel in tyrannica dominatione, uel in unione hypostatica, & hac ratione dicuntur a Patribus [illegible]sse suo creatori Deo non quod positiue uo[illegible]e, sed quia sub ipso Deo aliud caput [illegible]rrita[illegible] modo etiam Deus dixit Samueli de filiis Israel. 1. Reg. 8.

non

non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos, & cap. 12. Samuel dicit populo. Grande malum fecistis petentes super vos regem, cum Dominus Deus uester regnaret in uobis.

Ad quartum, Respondeo nos non [illegible].

Ad quintum, Respondeo [illegible]. Respondeo, primo luciferum [illegible] hoc autem malum adhuc delitescebat in corde suo, [illegible] tionem manifestauit cæteris mysterium consilij sui, & eus cohortando seduxit; Ad instantias quod uidissent vel [illegible] deformitatem luciferi, quare non peccassent, &c. Respondeo quod sicut Eua prius peccauit, quam Adam comederet de pomum, [illegible] tentationi locus esset, in ea non apparuit statim [illegible] ditatis, ita etiam licet lucifer prius peccauit, tamen non potuerunt alij turpitudinem illius uoluntatis inspicere, & hac ratione consentientes corruerunt, & per hoc patet solutio, ad sextum Argumentum.

Ad septimum, Respondeo persuasit aliquid, quod ex genere suo non erat malum; sed ex defectu debitę regulę fuit malum. Ad octauum, Respondeo cum hac de re nihil ex scriptura habeamus, neque christiana pietate sit dignum eos condolere, dicamus loco maximi primi potuisse proponi, quod non [illegible] principi subessent, qui ipsis superioribus [illegible] ret, &c.

DISPVTATIO XII.

SECTIO I.

Vtrum peccatum Angelorum sit remissibile.

Cogor hac in re non parum ab instituto [illegible] di, & paulo altius, non tamen [illegible] is meæ ex [illegible].

Plato in Thimæo, Phedone, & Meno [illegible] omnium animas simul cum [illegible] putarit, docuit deinde ob naturam [illegible] perpetrata, in corpora siue nobiliora, siue ignobiliora [illegible] sorum peccatorum ratione, quantitate, ac qualitate, [illegible] carcerem esse coniectas, quam [illegible] Augustinus E[illegible] de perenni philosophia cap. 28. ostendit, etiam fuisse [illegible] rem ipso Platone, & principium [illegible] ab Orpheo, Pythagora, & Mercurio, illo ter maximo. Quoniam [illegible] poterat [illegible] quomodo hæ animæ in corpora [illegible] recor-

darentur [illegible] quæ in pristina [illegible] la uita gessissent, ut tantam *ἀτ» πλαν* [illegible], [illegible] at Dæmonem quendam præesse ianuæ illi, qua animæ [illegible] ingrederétur, q animas omnes, ex lethæo [illegible] poculo [illegible] epot[illegible] ret, atque ita omniũ plane rerum, quæ ipsas ante corporis ingressum euenissent obliuisci, Ita etiam Natalis Comes. lib. [illegible] Mythologiæ, cap. [illegible] timo [illegible] scribit antiquos duas portas [illegible] o fecisse alteram in Cancro, alteram in Capricorno, per primam, quæ erat in Cancro hominum animas noua ebrietate [illegible] tes, in corpus influere per alteram uero quæ esset in Capricorno animas purgatas ascendere, quare & Cancer porta [illegible], Capricornum porta, Deorũ dicebat, Has animas ita purgatas [illegible] ras in lacteo [illegible] ulo collocabat Hanc de obliuionis poculi propinatione [illegible] itiam, non minus docte quam acute [illegible] Irenæus Doctor antiquissimus, lib. 2. contra hæreses. V [illegible] cap. 60. hac ratione si obliuionis poculum potata est; anima postquam autem ebibitum est omnium factorum afferis obliterare memoriam. Hoc ipsum unde scis, o Plato, cum sit nunc in corpore anima [illegible], quoniam priusquam in corpus intraret a Dæmone, potata est obliuionis medicamentum? Si enim dæmonem, & poculum, & introitum reminisceris, & reliqua oportet [illegible] antem illa ignoras, neque dæmon uerus, neque artificiose [illegible] obliuionis poculum; sed de hoc obliuionis poculo [illegible] dicta sint. Rursus igitur Plato locus quosdam, & [illegible] ponebat, quibus animę à sordibus expiarentur, ut rursus [illegible] possent quæ loca satis curiosè prosequitur Augustin. [illegible] in libris de perenni philosophia, vt & dogmata [illegible] perennitatem ost [illegible] & etiam antiquiores [illegible] professionem tra[illegible] in re eo [illegible] la datione di[illegible] hæreses, cap. 4[illegible] & 46 Clemen. Alex. lib. [illegible] & lib. 1. [illegible] Euseb. Cæsar. lib. 7. de [illegible] cap. 3. & lib. 11. cap. item [illegible] in adhortatorio ad gentes. Sed [illegible] habet de Platone, Clem. Alex. lib. 1. [illegible] aliud est Plato quam Moyses loquens attice, [illegible] Euseb. Cæsar. [illegible] præparatione. cap. 3. Nu[illegible] hil aliud esse Platonem, [illegible] sinceritatem quam [illegible] proscit [illegible] fabulis constupra[illegible] superstitiose dicta anti[illegible] Iacobum Mazonium po[illegible] Religiosę uitæ ponit [illegible] m, cuius ipse carmina [illegible] accommodantur. Q [illegible] omnes, & antiquos omnes [illegible] pto-

Ianuę quib. animæ [illegible] [illegible] &c ed[illegible] ex[illegible]

Porta [illegible] [illegible]m. Porta Deorum.

A[illegible] S[illegible] in Platonē argumentatio.

An[illegible]

[illegible] os [illegible]iemus, & præci[illegible] [illegible] myſteria ab illis cognita, & explicata la[illegible]. Cum tamen hos mirum in modum reprehendant D. Hier. in epiſtola ad Paulinum.

Ex ijs igitur Platonis, & antiquorum fontibus Origenes [illegible] de animabus ſententiam hauſit docens & propter antea [illegible] peccata in corpora relegari. Ideo ut ſcribit Epiphan. in aurea illa epiſtola ad Ioannem Hyeroſolimitanum Epiſcopum animas ψυχὰς appellari dicebat ἀπὸ τοῦ ψυχέσθαι quod refrigerari ſiue frigidari ſignificat quia animę in corpora immiſſæ priſtinum caloré amittebant ideo σῶμα, ideſt corpus dictum putabat quaſi Σῆμα quod monumentum ſeu ſepulcrum ſignificat, ita & corpus δέμας quaſi uinculum, & carcerem dicebat.

Hanc deinde hæreſim ad Angelos tranſtulit docens, Angelos quòd peccarunt in ſcelerum ſuorum ultionem detruſos, eſſe in hunc mundum, imo ex occaſione peccati, tum Angelorum, tum etiam animarum docet hunc mundum à Deo conditum, poſtquã uero dignas, pro [illegible] ſupplicijs pœnas dederint, tunc rurſus ad cęleſtem gloriam, cum alijs bonis Angelis euolaturos, ita habet origenes hom. 8. in Io[illegible], & hom. 18. Ioann. explicans illud Ioann. 8. Quo ego [illegible] non poteſtis uenire. Hom. 13. in Hieremia, idem dicit de animabus quod in die iudicii purgatę euolabunt ad cœlum, idem lib. 8. in epiſtolam, ad Rom. lib. 1. περὶ Αρχῶν cap. 6. & 8. Dæmones qui leuius peccarunt citius dicit eſſe purgandos.

Hãc hæreſim a[illegible] ſunt, Anabaptiſtę qui demoniaci dicti ſunt, ut refert Prateolus lib. 4. de ſectis hæreticorum, cap. 2. & libertini eodem referente lib. 10. cap. 4. eandem libertinis attribuit frater Seraphinus Caponi, in dilucidationibus in D. Thom. hic eandem habuit Machometes, ita Prateolus lib. 11. cap. 3. nu. 7. eandem habuit Didimus, & Euagrius, ita in Conc. Conſtantien. 3. actione 11. in confeſſione fidei. Conſtantini Imperatoris, & Cõc. Conſtantinopol. 6. ſub Agathone Papa actione 11. Scio plurimos excuſaſſe origené, apologias pro ipſius tuẽda doctrina ſcripſiſſe: ita Ruffinus in Apologia pro origene contra Diuum Hieronymum, Iacobus Al[illegible]ibia ſimilem apologiam ſcripſit, alia etiam Io. P[illegible]us M[illegible] apologia pro [illegible] origenis, Euſeb. Cæſarien. n[illegible] [illegible] origenis [illegible]dibus eoque defendendo. Pamp[illegible] Mar. apol. ſcripſit pro origene, quæ cum operibus origenis circumfertur illum, ét excuſat, Xiſtus Senen. lib. 4. bibliotb. Sotus 4. diſt. 45. quæſtio. 2. articu. ſecundo, nonnulli putant illum retractaſſe mu[illegible]s errores in fine uitæ. Tum alios errores ab hæreticis confictos dicunt. Verum quicquid ſit de hac re. Certum eſt in operibus i[illegible]s origenis, hoc errores repperiri certum eſt etiam apud ſanctos Patres origenem in hanc ſententiam citari, & confutari, ita Epiphanius in citata Epiſtola ad Ioan. Hier. Epiſcopum Athanaſ. libro de communi eſſentia Patris & Filij & Spi-

Origenes plures habuit excuſatores.

Spiritus Sancti, Theodorus [illegible] Pascalium. D. Hieronymus epistola ad Auitum, & [illegible] & in Apologia contra Ruffinū, Diuus Augustinus [illegible] Ecclesiasticis dogmatibus,& libro 21. Ciuitate Dei, capitu.17 & 24. Diuus Gregorius, lib.34. moral.capitulo.11. & 12 & libro de hæresibus,ad Quod uult Deum hęresi 43. Sophonius in sua epistola, quæ habetur in 6. Sinodo actione 11. Vt interim taceam plurimos alios errores, qui apud Origenem reperti sunt, qua de causa in decret. distinctione 15. capit. Sancta Romana Ecclesia, dicit Gelasius Papa Origenem cum sua doctrina damnamus, ibique reprehendit Euseb. Pamphili quod nimius fuerit in laudando Origene ita D. Hieronymus & Epiphanius Origenem uocant Arrij fontem & Patrem. Quare semel malus præsumetur semper malus in eodem genere mali. At hoc grauius est. Quod hic error soleta multis attribui Sãctiss. Hieronymo, ita Ruffinus in inuectiua contra Diuū Hieronymum, & uere hoc dicit Diuus Hieronymus in capitulo primo, ad Ephesios ibi. Supra omnem principatum in capitulo 2. eiusdem epistolæ, & capitulo quarto, ex quo totum corpus compactum est lib. primo contra Pelagianos & in commen. Esaiæ capitulo ultimo.

Videtur etiam Diuus Ambrosius esse in hac sententia, quia in epistola ad Ephesios capitulo 3. explicans illud Apostoli. Vt innotescat principibus & potestatibus habet hæc uerba. Tantum de hoc bene sentit Deus, ut non solum gentibus, hunc Magistrum Sanctum Paulum daret uerum, etiam u[illegible] eum ueritas Christi innotescat spiritibus, in cœlestibus, qui sunt principes & potestates, ut agnoscentes per Ecclesiam quæ multifarie adiuta est ad uitam in Christo maius Dei munere mysterium desinant ab errore. Id enim agitur, ut prædicatio Christiana, etiam iis prosit, et desinant assensum tirannidis diaboli, qua aduersus Dei unius fidem impia præsumptione &c. & infra affert illud Psal. 127. Attollite portas principes uestras &c. Vide Xistum Senē. lib. quinto annota. 131. & libro. 6. annotatio. 298. 299. ubi citat etiam alios in hunc errorem.

Sed tamen absit hoc à fidelium mentibus, ut præclarissima duo Ecclesiæ candelabra, Hieronymum, & Ambrosium, nefario hoc errore infecta arbitrentur. Nam quod ad Diuum Hieronymum attinet, ipsemet uiuens, oppositum docuit, & in expurgatione sua contra apologiam Ruffini, dicit, [illegible] tantum sententiam Origenis retulisse, non autem ex sua sententia esse locutum. Quod ad Diuum Ambrosium attinet. Is sine dubio est contrariæ sententiæ, & ibi dicit, quod hæc prædicatio, quantum est ex se iuuit principatus, & potestates, quia illis manifestauit uerum ipsorum caput ut liberentur, ab eo errore, quo se diabolo tamquam capiti [illegible] sint, non loquitur tamen, quod ita i[illegible]os iuuerit, ut ipsos a tartareis pœnis ereptos trasuehere possit ad patriam. Fuit etiam ual-

de

de perniciosa sententia Matthæi Palmerii Florentini, (hunc esse puto qui auctor fuit eius additionis ad lib. Chronicon Eusebij, post Diuum Hieronymum, & Prosperum Aquitanicum, ab anno salu tis 449. usque ad annum 1449. post quam sequitur Chronicon Matthia Palmerii Senen. Hic igit Matthæus Palmerius in quodam lib. qui non extat, sed ex uigilantia Inquisitorum Sanctissimi Officii merito propter hos errores igni traditus est. Citatur tamen a Ioann. Baptista Gello Academico Florentino in explicatione carminis 16. Dantis, de purgatorio dicebat, Angelos omnes à Deo conditos esse in puris naturalibus, & tertiam partem ipsorum ad Deum esse conuersam, & hi sunt Angeli sancti tertia pars sequens Luciferum est auersa, & hi sunt dęmones; reliqua tertia pars neque se conuertere ad Deum, neque ab ipso Deo se auertere uoluit. Vt igitur Deus mentem, & consilium istorum Angelorum nosceet, eos aggregauit corporibus, & iste sunt animæ hominum, in quibus corporibus per opera sua intentionem suam exprimere debeant an cum Deo ambulent nec ne.

SECTIO II.

Quidnam de Angelorum peccato sit sentiendum.

INter Scolasticos quãuis plurimi inter se diffideat de causa uel obstinationis dęmonum uel irremiscibilitatis peccati eorundem tamen omnes in eo conueniunt, quod de facto numquam dimitti debeat peccatum ipsorum. Quamuis Scot. 2. d. 6. q. 2. in solutione ad argumenta principalia ad quartum dicit, quia demon in uia habuit plura peccata, de omnibus pęnitere potuisse, quousque peruenit ad ultimum in quo primo fuit in termino, quam sententiam habet etiam Gab. 2. d. 6. q. unica art. 2. conclusione prima, & Pelbartus Rosario parte 2. uerbo dęmones 3. §. 32. Verum hæc sententia cum longe ab Origenis errore dissideat, licet sit falsa tamen erronea censenda non est, Gratianus non ille Monacus Cassinen. sed Frater Minorita 2. d. 7 quæst. 1. Ioseph. Angles in floribus quæst. in 2. sententiarum d. 6. & 7. quæst. 2. difficultate. 3.

Conclusio decisiua. Dæmones propter ipsorum peccata damnati nunquam liberabuntur.

Hæc conclusio est de fide & opposita est erronea, & etiam heretica & scriptionis in Epistola Iudæ Angelos uero qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei uinculis æternis sub caligine reseruauit. D. Pet. 2. Pet. 2. Si. n. Angelis peccãtibus non pepercit, & cũ D. Pet. loqueretur, de excidio Sodomorum & Gomorreorum excepit Loth, cum filijs, cum de diluuio excæpit Noe & octo animas, at de

Dæmonum peccata nũquam dimittentur.

de Angelis uniuersaliter loquitur Apoc. 12. Draco & Angeli eius deiecti sunt è cœlo, ita Draco cauda traxit tertiam partem stellarum, & misit eas in terram, & non est inuentus eorum locus amplius in cœlo. Lucę. 16 Magnum chaos inter nos & inter uos firmatum est, ut ii, qui apud nos sunt ad uos traimeare non possint &c. Iob. 7. qui descendit ad inferos, non ascendet, nec reuertetur ultra in domum suam, nec agnoscet eum amplius locus eius. Prouerb. 27. Infernus & perditio nunquam implentur. Sapientiæ 7. non est qui agnitus, sit reuersus ab inferis, Apoc. 2. Diabolus missus, est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia & pseudo prophetæ cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum. Tritum est illud. In inferno nulla est redemptio. Huc accedit quod cruciatus inferni dicuntur æterni, & ignis inextinguibilis. Matt. 25. Ite in ignem æternum, & infra. Ibunt in supplicium æternum. Marci. 9. Bonum est tibi, claudum ingredi in uitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis. Esaiæ ultimo. & Marci. 3. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ecclesiastici 11. Vbicunque ceciderit lignum ibi erit 2. Thessalon. 1. In flamma ignis dabunt pænas æternas. Daniel. 12. Multi de ijs, qui in puluere dormiunt euigilabunt, alij in uitam æternam, alij in opprobrium. Apoc. 14. fumus tormentorum ascendet in secula seculorum.

Verum ijs testimonijs respondent quidam dicentes colligi quidem ignem æternum esse, sed combustionem, sed exarctionem, sed pænas non esse æternas, sed aliquando finiri.

Acerbitas suppliciorũ in inferno.

At impia, & execrabilis hæc glossa facillime diluitur primo quia Matt. 25. dicitur non solum ignis, sed etiam supplicium æternum, itẽ ex locis ubi dicitur erit fletus & stridor dentium. Es. 32. dñtur ardores sempiterni 2. Thes. 1. dabunt penas æternas. D. Augustin. lib. de spiritu & anima cap. 56. sine fine semper cruciantur, uiuent sine spe ueniæ & infra. Vbi erit tortor cædens, uermis, corrodens, ignis consumens. Peccata detegentur, rei puniuntur, & hoc totum perenne. Quisquis ad tormenta ibit, non amplius redibit, & in lib. quæstionũ super Iosue cap. 9. Ignis inquit nomine, pænam significari, testis scriptura est lib. 21. Ciuit. cap. 17. Quidam credere nolunt pęnam sempiternam, futuram; Quia in re misericordior fuit Origenes, sed illum merito reprobauit Ecclesia & in ps. 54. dicit Diabolus & Angeli eius in scripturis sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem æternum sunt destinati, horum tantum desperanda correctio est, & ibid. capit. 23. Impios inquit æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in secula seculorum. Quod si ita est, quomodo ab huius æternitate penæ, uel uniuersi, uel quidam homines subtrahentur, ac non statim eneruabitur fides qua creditur sempiternum dæmonum futurum esse supplicium lib. de triplici habitac. c. 1. plurima pænarum genera enumerat, & omnia æterna & cap. 2. subdit uel illis qui hæc omnia ma-

la

la ſubite, ſine fine merentur. De fide ad Petrum capit. 3. circa medium dicit: Neceſſe eſt animam, quæ male uixit, in corpore, cum corpore eodem interminabilia gehennæ ſuſtinere ſupplicia, ubi diabolus cum Angelis ſuis in æternum arſurus eſt, quid clarius? & lib. meditationum cap. 3. Ardebunt miſeri in igne ęterno, in æternum.

Sanctus Cyprianus in lib. ad Demetrianum. Cremabit addictos ardens ſemper gehenna, & uiuacibus flammis uorax pœna, nec erit unde tormenta, uel requiem aliquando poſſint habere uel finem, & in ſermone de Aſcenſione Chriſti. Immortales miſeri uiuent inter incendia. In proprio adipe frixę libidines bullient, & inter ſartagines, flammeas cremabuntur, & omni tormento atrocius deſperatio, condemnatos affliget: Non miſerebitur ultra Deus, neque tunc audiet pęnitentes. Sera erit omnis illa conuerſio.

Hugo Victorinus lib 4. de anima cap. 13. Ibi omnes comburuntur, & corroduntur, nec conſumuntur. Vermis eorum non morietur & ignis non conſumetur, Nulla ibi uox niſi Væh, Vęh, Vęh, tortores diabolici torquent pariter & torquentur, & eorum nunquam finis erit, aut remedium.

Sanctus Chriſoſt. hom. 5. ad Theodorum. Cum ignem audis, ne arbitreris eſſe ignem ſimilem huic igni; accenſus enim deferueſcit, & mutatur, ille autem ſemel in flammam exurgens, ardet perpetuo, nunquam intermoritur, & infra uis ne centum annos, aut bis centum, Verum quid hi ſunt ad ſecula interminabilia.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus in oratione de exitu animæ. Huc demerguntur animæ peccatorum in omne ſeculum crematuræ.

Sanctus Proſper lib. 1. de uita contemplatiua cap. 3. Hoc futurum credimus, ut nec remunerati pręmium finiant, nec damnati ſupplicium, & lib. 3. de uita contemplatiua cap. 12. Proinde omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximis conſumpti doloribus aliquando deficiant, ſed ut in illis pęnaliter uiuant.

Caſſianus lib de confeſſione Theologica parte 3. In ipſo continue mortis loco qui infernus appellatur, quid aliud niſi iugis flamma, perſeuerans tribulatio, & perpetua pęna; atque infinita totius mali calamitas eſſe poteſt?

Gregorius lib. 9. moral. cap. 45. Recte inferni clauſtra tenebroſa terra nuncupantur; quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pęna tranſitoria aut phãtaſtica imaginatione cruciant; ſed ultione ſolida, perpetuæ damnationi ſeruant. in libris dialogorum, plũrima ad hoc teſtimonia afferuntur.

Innocentius III. Papa, lib. 1. de contemptu mundi cap. 3 damnati pœnitebunt ad pœnam, ſed non conuertentur ad ueniam.

Sanctus Bernardus Epiſtola 255. Ob hoc proculdubio inflexi-

bilis,& obstinatæ mentis punitur æternaliter malum. Et libro meditationum cap. 3. dicitur. Procul a beata paradisi patria exulati, cruciabuntur in gehenna perpetua, tamquam lucem uisuri numquam refrigerium adepturi, sed per millia milliunm annorum in inferno cruciandi, nec inde umquam liberandi. Vbi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur; Sic tormenta aguntur, ut semper renouentur.

Secundò, probatur conclusio ex definitionibus Ecclesiæ. Concilium Lateranense 3. in cap. firmiter dicitur. Homines mali simul cum diabolo accipient pœnam perpetuam.

Sanctus Athanasius in Symbolo ab Ecclesia approbato. Quam nisi quisque firmiter, fideliterque crediderit absque dubio in æternum peribit. Concilium V. œcumenicum quod fuit Constantinop. 6. act. 11. & eius determinationē refert Photius Patriarca in epistola de septem Oecumenicis Concilijs in Concilio V. dicens. Præterea damnarunt, & confuderunt Origenem, & Dydimum & Euagrium; ueteres fideliū morbos, qui sane omnes Grecorum fabulas in Dei Ecclesiam inferre conati fuerant docuerunt enim isti animas ante corpora existere dæmonibus pristinam dignitatem reddiderunt. Reuersuros enim ad sublimem illam gloriam fingunt ex qua ceciderant, idem docet Concilium Toletanum 4. Arelatensæ 4. in confessione fidei. Verba Concili Constantinopolitani 6. sunt ista. Vitam illam, quæ post præsentem uitam futura est, credimus per mansuram, & immortale habemus supplicium; illam quidem indesinenter exhilarantem bonorum operum patratores; istam uero ineffabiliter affligentem; nec non & cruciantem eos, qui hic affectatores malorum operum effecti sunt, & pœnitentiam agere noluerunt.

Tertiò, Quia in scripturis nullus plane locus est unde colligi aut deduci possit error ille origenis, imo omnino oppositum habetur.

Quartò, Accedit consensus totius Ecclesiæ, qui solus sufficeret ad faciendam propositionem de fide. Plura testimonia maxime Canonistarum si quis videre vult, legat Ioānem Montholonium in Promptuario Iuris Canonici verbo Infernus.



DISPV-

DISPVTATIO XIII.

Quare peccata dæmonum sint irremiscibilia ;

Seu

Quæ sit causa obstinationis eorum.



Ariæ huiusce rei causæ solent tum à Sanctis Patribus tum à Doctoribus Scolasticis assignari, maxime si peccata dæmonum comparentur, cum peccatis hominum, quare horum sint remiscibilia, illorum sint irremiscibilia, in quo sensu præcipue loquuntur Sancti Patres. Hominum peccata cur dimittantur Angelorum non item.

Gregorius lib. 4. moral. cap. 9. Nyssenus primo philosophię, cap. 3. Cassian. collatione 4. cap. 14. Gregorius lib. 9. moral. cap. 36. Isidorus lib. 1. de summo bono, cap. 12. Damascen. lib. 2. cap. 3. quia homo carnis fragilitate præmitur; dæmon uero non ita.

Diuus Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, quia diabolus nullo suggerente peccauit; homo autem ex suggestione alterius. hæc ratio est etiam D. Greg. 4. mor. cap. 10. Ber. serm. 85. in Cant. & serm. 1. de Aduentu.

D. August. in Enchyr. 18. quia uniuersa hominis natura corrueerat; non item diaboli.

D. August. de mirabilibus sac. script. cap. 2. quia diabolus in summo honore conditus fuerat.

Diuus Anselmus lib. 1. Cur Deus homo cap. 21. quia peccatum hominis nō potuit reparari, nisi Deus carnem assumeret, ita nec peccatum Angeli nisi Angelicam, &c. lege ibi, quæ sequuntur.

Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus, quia diabolus ex malitia, non ex ignorantia peccauit, quia habebat lucidissimum intellectum.

Posset addi quòd homines uniuersi unius peccato corruerant, scilicet per Adę peccatū, quare & natura filij iræ nascebantur, quā innuit B. Anselmus, ubi supra, sed hæ omnes congruentiæ sunt, non adequatæ rationes. Adequata autem ratio reducenda est in imperscrutabilia diuini consilij mysteria, ut exclamemus cū Apostolo. O altitudo, &c. & maxime laudemus Dei misericordiā in nos, & paueamus item maxime, si enim Angelis peccātibus non pepercit, &c. Quare homo sit redēptus Angelus non itē.

Inter scolasticos autem hæc quæstio in alio sensu tractatur. Cū enim conueniant omnes præter Scotum, & alios quos supra retuli, propter sæpe citatas sanctorum auctoritates, quod idem in Angelis est casus, seu lapsus, quod mors in hominibus, quare post

peccatum sunt in termino, neque amplius conuerti, & pœnitere fructuose possent. Quæritur quænã sit huiusce rei causa, An quod in ipsis, sit malus habitus eos necessitãs, an sit subtractio diuini auxilii, & gratiæ, an quod hæc sit conditio Angelorum, quòd habeãt liberum arbitrium inflexibile: An hoc proueniat ex ratione termini, & sunt uariæ doctorum sententiæ.

Quidam Vdalricus in lib. 4 suæ summæ citatus, a Chartus. d. 2. q. 7. prima dicit, qd subtractio omnis gratiæ, est causa cur quis labatur in peccato, deinde sit in termino, uerba eius sunt, Dũ Deus deserit hominem, in hac uita; mox sequitur lapsus in culpã. Hæc ponatur prima sententia, sed est erronea, imo hæretica in eo quod dicit quod prior est omnis gratiæ subtractio, quã lapsus, & quod illud est, huius causa, damnata à Concilio Tridentino, quod dicit quod Deus prius nos non deserit, nisi prius deseratur à nobis, & qa de fide est facienti, quod in se est nõ negari gratiam. Imò quod nulli adulto negatur gratia sufficiens.

Prima sententia est dicentium. Causam cur Diabolus non possit conuerti, esse quia Deus conseruat in ipso; postquam est in termino actum illum malum, quo in uia cæpit, odisse Deum, vel habitum intentissimum causatum ex illo actu, quo necessitantur, ut male uelint, & odio habeant Deum, ita Ochan, & eius discipulus Gab. ut autem defendant quomodo Deus nõ male faciat duas rationes assignant.

Prima, Quia ita exigit ipsorum status, sicut etiam status beatorum exigit, quod in ipsorum intellectu Deus producat actum bonum.

Secunda, quia dicunt causari tantum quoad entitatem materialem non autem quoad deformitatem. Et hæc ratio communis est etiam omnibus damnatis.

Secunda sententia est dicentium, hoc esse ex intensissimo habitu malitiæ, qui in ipsis causatur ex actibus præteritis, uel quod sit causatus a Deo; ita Aureolus relatus à Marsilio 2 p. q. 5. act. 3. Non multum differt à prima sententia.

Tertia sententia est D. Bon. d. 7. art. 1. q. 1. dicit esse subtractionẽ auxilii diuini, & omnis gratiæ, etiam sufficientis, in quam conuenit etiam Gregorius, & Marsilius, ubi sup. Laurẽtius Opimus, sequitur 2. d. 2. q. 7. circa finem, quia totaliter, & irremediabiliter tota latitudine diuini auxilij sũt priuati. Ricc. 2. d. 7. 2. p. d. q. 1. Gaspar Cassalius lib. 4. quadri. iust. lib. 1. p. 1. dicentes, ideo non deponere diabolum illum actum, quia cum eo Deus non vult concurrere ad actum aliquem bonum. Cap. 2. d. 7. q. 1. concl. 2.

Quarta sententia est Henrici quodl. 8. q. 11. hoc fieri ex eo qd Diabolus in sua electione toto impetu sese immergit, in obiectũ in quod fertur, ut amplius resilire non possit, sed omnem syndere sim uincens adeo fortiter impingit, ut regredi non possit, sicut inquit ferrum acutum penetrans in interioribus ossis, ibi retunditur,

tur, nec euelli amplius potest.

Quinta sententia est D.Thom.2.d.7.q.2.art.2.& p.p.q.64. art.1 de ueritа.q.24.art.1.& 2.In quæst.dispu.de malo.q.16.act.5. quem communiter sequuntur omnes ipsius discipuli, quod hoc sit ex propria ratione Angelicæ naturæ. Quia enim Angelus non discurrendo, sed simplici apprehensione rem apprehendit, atque adeo unico intuitu uidet, quicquid in est, & quicquid ei competere potest; ideo immobiliter fertur in illam, quia ea ratione fertur in rem sicuti intellectus noster fertur in prima principia, ita enim intellectus noster primis principiis assentit, ut amplius ab ijs dissentire non possit. Deinde etiam dicit ex ratione, status termini non posse amplius penitere, sed hanc causam communem dicit esse Angelis, & hominibus, illā uero Angelorum esse propriam Cum D.Thom. consensit etiam Alexan. Alen.4 p.q.12.to.2.art.1. Henric.quodl.8.q.11.Bon.2.d.7.art.1.q.1. Altis.lib.2.tract.2.cap. 6.Caietanus, Banes, Bartholomæus Sybilla in speculo peregrinarum quæstionum decade 2.cap.2. Io.Arboreus lib.j. Theosophiæ cap.5.Io.de Combis lib.2.compendij.cap.17. & 25. in suis locis. Hæc sententia probatur.

Primò, quia uoluntas Angeli debet esse proportionata apprehensioni ipsius Angeli, quia electio sequitur intellectum sicut appetitus sensitiuus sequitur sensum, sed Iudicium Angeli est immobile, quia est per solam simplicem apprehensionem, seu per modum habitus primorum principiorum, ergo.

Secundò, uoluntas Angeli perfectior est uoluntate hominis, ergo magis accedit ad uoluntatem Dei; sed Deus non amouetur ab eo quod semel uoluerit, ergo.

Tertiò, ex quo patet, quia de facto omnes, qui bono adhæserunt, nunquam sunt auersi, qui malo nunquam sunt conuersi, ergo.

Quartò, aliquid peculiare est ponendum in Angelis, quam in hominibus, sed nisi ita se habent, nullum discrimen ponitur, ergo maior probatur, quia nisi ita fiat sequitur, quod si diabolus post peccati actum non fuisset in termino potuisset penitere.

Quintò, nulla ratio assignari posset. Quare Deus adeo breuem uiam assignasset Angelis, qui tam misericorditer longissimam concessit hominibus.

Sexta, sententia est dicentium causam cur non possit dæmon conuerti, & peccatum illius dimitti esse, quia post peccatum, primum fuerunt in termino, & ex sola tantum ratione status, seu termini habere; ut non amplius conuerti possint. Hanc rationem, & D.Thom.& discipuli assignant, & omnium est communissima, tamen ita alii hanc assignant, tanquam propriam, ut illam D.Tho.causam, de inflexibilitate arbitrii ex eo quod per simplicem operationem primam intelligunt reiiciant, ita D.Bonau. 2.dist.7.parte prima, art.1.quæst.1.Scotus.2.distin.7.quolib.unico,

Dur.

Dur.ibid.quæst.1.Chartuſ.2.diſt.7.quęſt.1.Guliel.de Rubone d 7. quęſt.2.Gab.2.diſt.7.Pelbart.2.par.Roſarii,uero dęmones,3.§.32. Tattaret.2.diſt.7.quæſt.unica,Greg. Arim.ibid.Ioſeph Angles.in 2.diſt.6.& 7.q.2.dub.4 difficult.8. Iodocus Clictoueus in com. in cap.3.lib.2.Damaſc.licet etiam nominet ſententiam D.Thom.in hanc uidetur propendere Gratianus Minorita, in 7.diſt.7. quæſt. unica.Franciſcus Lychet.ibid.Illuſtriſſ.Cardin.Sarnanus in Conciliationibus ſuis Conciliatione 18. Valentia de ſtatu, & pœna Angelorum,q.15.puncto 1.Molina in comm. D.Th.p.p.q.63.diſput.2.quæ ſententia mihi etiam placet.

Prima concluſio, Peccatum dæmonum non eſt irremiſsibile ex eo,quod Deus cauſet malum actum,vel habitum inclinantem ſeu neceſſitatem Diabolum in actum malum contra primam, & ſecundam ſententiam, probatur hæc concluſio.

Ex auctoritatibus & rationibus adductis in probando, qđ diabolus non ſit naturaliter malus,Ex eo enim,quod ibi probauerimus,quod Deus diabolum non fecerit malum, nec etiam potuerit, cum illa auerſione concurrere ſecundum entitatem naturalem patet etiā quod huiuſmodi actum malum,vel habitum cauſare non poteſt.Eſſet enim, hoc ualde temerarium, & intollerabile, quod Deus actum aliquem poſitiuum ſolus cauſaret, qui formaliter inclinaret,in actum peccati.

Secunda concluſio cauſa illa adducta à doctoribus tertiæ ſententiæ per gratiæ, & auxilij ſubtractionem, bona eſt, ſed non eſt adęquata patebit hęc infra.

Tertia concluſio, cauſa immediata, & adequata obdurationis dęmonum, non eſt præciſe, quod abſque diſcurſu cognoſcant, abſtrahendo a ratione ſtatus,Hanc concluſionem probat Scotus.

Primò ex uerbis D. Augu.lib.de fide ad Petrum cap.3.ante medium. Si poſſibile eſſet,ut humana natura,poſtquam a Deo auerſa bonitatem perdidit uoluntatis,ex ſe ipſa rurſus,eam habere potuiſſet,multo poſſibilius hoc natura haberet Angelica,quæ quanto minus grauatur terreſtri corporis pondere,tanto magis hac eſſet prædita facultate. Reſpondet Caietanus illam auctoritatem ueram eſſe, ſed cum ueritate illius conditionalis ſtare ueritatem huius Cathegoricæ, quod nullus conuerti poſſit ſine gratia; ſi ergo homo ſine gratia conuerti poſſet, multo magis Angelus & hac ratione putat,ſe auctoritatem illam eneruaſſe,cum tamen adhuc perſiſtat in ſuo robore.Quia infero ego.Ergo D.Auguſtinus nihil amplius poſuit, in Angelis,quo uoluntas eorum ligaretur, ex inflexibilitate arbitrij,quam in hominibus,quia ſi Angelus ex natura ſua haberet inflexibilitatem, ergo etiam ſi homo non habens arbitrii inflexibilitatem conuerteretur, tamen adhuc conuerti,non deberet Angelus.

Secundò Argumentatur Scotus exemplo Lazari reſuſcitati, cum quo nos tam multos alios ab inferis excitatos coniungere poſ-

possumus; & sic argum[illegible] homines iam erant in termino, & ex speciali Dei munere restituti sunt in statum uiæ, quare cum prius haberent uoluntatem determinatam, [illegible] mutari potuerunt. Ergo si hoc singulare beneficium Deus conferret Angelis etiam ipsi mutari possent.

Tertiò, Argumentatur Scotus, quod sit prælium inter bonos, & malos. Imo sæpe inter ipsos bonos est discordia uoluntatum; & unus alteri resistit Daniel. cap. 10. dicitur: Princeps regni Persarum &c. & tamē deserunt postea uoluntates suas discordes & conciliantur inuicem, ergo, non ita sunt arbitrio inflexibiles, quin mutari possint. Respondet Caietanus non esse illas uoluntates plenas, & deliberatas sed Contra nam etiam quando peccarunt, peccarunt ex ignorantia, seu ex inconsideratione, qua non plene obiectum cum circunstantijs nouerant.

Quartò Argumentor, ego ex illo loco D. Pauli ad Heb. cap. 2. Angelos nusquam apprehendit sed semen Abrahæ, & ex doctrina Patrum, quorum loca longum esset hic recensere ea tamen ijs qui mediocriter lectitandis Sanctis Patribus uersari sunt facile occurrent in quibus exaggerantes Dei misericordiam, erga homines docent Deum propter nimiam charitatem &c. noluisse Angelos redimere, saluare &c. sed homines. Ex ijs locis ego sic argumentor. D. Paulus & cæteri Sancti Patres supponunt tamquam firmum, quod Deus potuerit Angelos redimere, tamen noluerit. Loquuntur autem ut patet de potentia ordinata, sed si hoc esset in Angelis ex natura ipsorum, quod non possent diuelli ab eo, quod libere semel elegissent, non posset eos Deus redimere, uel melius ipsi redimi non possent, quia eorum natura immutaretur. Dices loquuntur Patres de potentia absoluta quod potuisset, sed noluit; Contra apparet enim ex ipsorum lucutionibus, quod uere loquuntur de potentia ordinaria. Quia cum de absoluta loquuntur dicunt rem non posse fieri, ut quod cęcus uideat, quod mortuus exurgat, uel non posse fieri nisi ex miraculo, At uero de diabolo numquam dixerunt, quod reparari non potuerit, sed tantum uel quod non debuerit, quia ex malitia peccauit, uel quod Deus noluerit.

Dei in homines clementia.

Deus potuit dæmones saluare.

Quintò, Ex doctrina D. Tho. Omnes Angeli in primo instanti meruerunt, & per consequens habuerunt libertatem, quo ad exercitium, licet nō quo ad specificationem quam deinde habuerunt in continuatione actus. Ideo autem non ponitur secundum instans uiæ in Angelis, quia licet aduenerit in continuatione actus libertas, quoad specificationem hæc tamē non est de essentia libertatis, ideo non diuersificauit essentialem illum actum, quare nec multiplicauit instantia: Ex hac doctrina infero ego. Ergo in primo instanti habuerunt perfectam libertatem, quantum spectat ad ea, quæ essentialia sunt, ad libertatem; si ergo illa prima operatio fuit libera, & deliberata, ergo sequitur quod cum possunt am-

amplius ab ea operatione & electione, diuelli quare diabolus, nũquam peccare potuisset, Respondet Banes quæst. 63. art. 6 dist. 2 conclusione 4. quod non meruerunt, ita perfecte, ex parte electionis deliberatæ, ut non potuerint discedere; sed contra. In continuatione illa peto ego, an aduenerit bonis Angelis aliquid, quo uoluntas ipsorum sit facta perfectæ electionis deliberatæ, uel non? si non, ergo, ita post continuationem (abstraho nunc ab eo quod sint in gratia confirmati) poterant quantum erat ex parte sua diuelli ab eo, sicuti ante continuationem; quia nunq. am fuit plene deliberata electio; Si aliquid aduenit, uel illud est intrinsecum electioni, ergo diuersificat illud instans continuationis ab illo primo; Si extrinsecum ergo nõ spectat ad quidditatem electionis deliberatæ, ergo illi primæ operationi nihil essentiale defuit, quod faceret illam non essentialiter deliberatam; sed si hoc dicatur iam sequitur quod omnes Angeli etiam mali habuerint operationem, uere & essentialiter deliberatam, & meritoriam in primo instanti, ergo non potuerunt amplius ab ea diuelli.

Sextò, Peccatum Angeli fuit ex inconsideratione, ergo adueniente post peccatum illa consideratione poterunt ab eo diuelli. Confirmatur quia si illam cognitionem habuissent, qua per illam ignorantiam priuati sunt, uere obiectum illud cognouissent esse malum propterea fugiendum, ergo si postea cognouerint illud esse malum, etiam cognoscunt esse fugiendum. Respondet Cap. Non potuisse illud malum illius circunstantiæ, uel debitæ regulæ cognosci, a diabolo, quia statim fuit obtenebratus, quoad intellectum, Contra quia afferre obtenebrationem est recurrere ad rationem status, seu termini, in quo indurati sunt, non aũt discurrere de ipso ex natura rei, si ergo non esset subsecuta illa obtenebratio, & cognouisset illud obiectum esse malum sine dubio indicasset etiam esse fugiendum.

Septimò, Tam Angeli boni, quam mali de facto quoad uoluntatem mutantur, ergo antecedens patet de bonis, nam ille Princeps Regni Persarum, impediens liberationem populi mutatus est, & illam amplius noluit impedire. Quoad malos quia diabolus prius uolebat Christi mortem, suadens uxori Pilati ut Christi mortem impediret, ergo.

Octauò, Deus posset tantam gratiam, & adeo efficacia auxilia conferre dæmonibus ut cor eorum, omnino emolliretur, & omnino conuerterentur.

Nonò, Quia si in intellectu diaboli infunderet lumen gloriæ, tunc necessitaretur diabolus ad Deum, diligendum, quia uideret illum in summa ratione boni. Dices tunc non esset diabolus Respondeo quęstio nostra non tractatur in sensu composito, hoc enim certum est non posse diabolum ut malus est, esse bonus; sed in sensu diuiso, & sic is, qui modo est diabolus efficeretur Angelus lucis, & est mutaret malam suam uoluntatem in bonam.

De-

Decimò, Ange[illegible] uare in [illegible] neque [illegible] cum in [illegible] s, [illegible] ritas, quod [illegible] ue co[illegible] da, [illegible] operatio illa natura[illegible] cogno[illegible] per [illegible] principiorum.

Vndecimò, Peccatum Angelorum [illegible] in Deum, tñ debuit esse non referre se in De[illegible] supernaturalem, quia cum essent in uia exercebant [illegible] naturalia. At supernaturalia non possunt c[illegible]re & [illegible] scere, quia cognoscunt illa per fidem ergo non pu[illegible] in eo electionem, cum perfecta cognitione elice[illegible], ergo [illegible] runt auelli, Dices habebant plenam cognitionem & [illegible] quod deberent referre, se in Deum, lice[illegible] non ita [illegible] rent de Deo ut supernaturalis est [illegible] C[illegible] ta[illegible] decepti sunt maxime ex [illegible] bitæ signum est, quod n[illegible] rum principiorum operab[illegible].

Duodecimo, de [illegible] primum principium, [illegible] cogitur negare hoc princi[illegible] ab ijs, quæ per modum primo[illegible] pr[illegible] intellectus noster auelli potest ergo etiam A[illegible] tia patet, quia una eademq; ratio, quæ mo[illegible] ctu notitiam est euidentia, quæ ratio comm[illegible]s est in[illegible] nostro, & Angelico, quia de facto hoc de[illegible]itur ex in[illegible]na ratione intellectus. Confirmatur quia unu[illegible]quisq; fidelis d[illegible] se dispositus, negare potius prima principia, quam fidem, ut [illegible] dei conclusionem ergo, & ex hoc elicio nou[illegible] ar[illegible] & sit.

Decimotertio, Angelus captiuans, & subigēs int[illegible] Deo per fidem te[illegible]atur [illegible] ei assensum præterre, c[illegible] scientiæ ac cognitioni ip[illegible], er[illegible] non [illegible] rali cognitioni fidere, ut immobiliter illi [illegible]reret.

Decimoquarto, quia illud quod mouet uo[illegible], est obiectum ipsius, scilicet bonum, ut bonu[illegible]em mouet ut quo. Ergo si in obiecto quod prius puta[illegible] denter cognosceret rationem mali, necessario illud resp[illegible], & si in illo cognosceret bonum, licet prius malum, sibi uisum, esset necessario illud diligeret, ergo.

Vltimo sequeretur aliquam creaturam natura sua esse impeccabilem, quia si Deus creasset Angelos in puris naturalibus, & primum actum elicuissent circa Deum diligendum, saltem ut[illegible]

[illegible], [illegible] naturam, essent [illegible].

[illegible] nis [illegible].

[illegible] quia [illegible] gratia [illegible] ipse perficitur, & [illegible] quia [illegible] in termino, ideo dixi in conclus. 2. quod ille [illegible] equata. Cum etiam sit [illegible], ut patebit in [illegible] Deus nulli a iusto uiatori subtrahit [illegible] si post primum peccatum nō fuissent [illegible] omnis gratia subtracta.

D[illegible] con[illegible] po[illegible]. [illegible], quia rationem illam quam [illegible] conatus sum [illegible], [illegible] el- [illegible], & [illegible] abstrahendo a ratione status; [illegible] in causam non reiicio, sed ut imme- [illegible] am, non [illegible]. Puto enim perfectionem [illegible] causam, quare Angelo- [illegible] breuis, quia scilicet præditi sunt maxi- [illegible] ignorent, est ex culpa ipso- [illegible] carnis pondere, ac passionibus [illegible] breuissima. E contra uero [illegible] 2. de generat. animal. cap. 3. Homo prius ui- [illegible] lis, tandem uita hominis, ideo [illegible] longa, quia prius uitam more bru- [illegible] lo sensitiua, donec paulatim formetur in [illegible] passiones sensitiuas subigere, & perfe- [illegible] spiritus carni [illegible] ari.

[illegible] c igitur [illegible] nem status; arbitrii inflexibi- [illegible] & [illegible] ionis perfectionem, sic [illegible], ut apprahensionis perfectio sit causa, [illegible] Angelus esse in termino: ter [illegible] ionis gratiæ; gratiæ subtractio- [illegible] tuam inflexibilitatis. Hæc conclusio sic [illegible], & primo quod illud quod perfectio appræ- [illegible] breuitatis uiæ accipio, ut concessum commu [illegible].

[illegible] ex eo quòd sit in termino sequitur subtractio [illegible] gratia, est semen gloriæ data præcipue ad- [illegible] fructum gloriæ producat; ita gratia est medium ad [illegible], ideo iis, qui ad gloriam, non destinantur, non datur gra [illegible] autem de gratia in propria gratię acceptione. Cum [illegible] est in termino, si terminus est bonus, gratia consu- [illegible] malus gratia subtrahitur.

[illegible] ndò, quia prius est aliquem esse in termino, quam esse

gratia

gratia priuatum, quia de fide est, ut dixi nu[illegible] ad[illegible] gratiam sufficientem.

Quod uero, ratio status, seu ter[illegible]ini co[illegible]n[illegible] ctione gratiæ sit causa immediata, & ad[illegible] iis positis absque omni alio sequitur inflexibili[illegible]s ablatis sequitur flexibilitas.

Secundò, quando aliqua passio plur[illegible] illud conuenire respectu alicu[illegible]s [illegible] flexibilitatis,arbitrii conuenit p[illegible]bus, ergo debet conuenire respectu al[illegible]u us [illegible]mu[illegible] termini,qui communis est utrisque.

Tertiò,ab opposito impeccabilitas inest ratione [illegible]a tis,ergo econtra inconuertibilitas ratione termini.

Quartò, quia hoc ostendũt locutiones scripturæ Apo[illegible].G[illegible]. dum tempus habemus operemur bonum.Io.c.11.Nonne duodecim horæ sunt diei ambulate dum lucem habetis, ut non tenebre uos compræhendant, & illud Ioan. cap.9. Venit nox in[illegible]a nemo potest operari. Huc facit illud,quod habetur apud Esaiam vbicunque ceciderit lignum ibi erit. Ecclesiastici cap.11. Et illud Esa.28.Pallium breue est,utrumque operire non poterit. Et i[illegible]ud Matt.25.Non omnes qui dicunt mihi Domine Domine intrabit in Regnum Cœlorum. Huc facit parabola de fatuis virginibus quibus dictum est nescio uos,& parabola diuitis Lucę cap.16.Magnum chaos firmatum est &c. parabola de non habente uestem nuptialem,& illud.1.Cor.cap.9 Nescitis quod ij qui in stadio currunt,& illud Luc.12.stulte hac nocte morieris,& quæ parasti cuius erunt?& allegorice huc fauent uerba. Esa.cap.5. Auferam sæpé eius, & erit in direptionem diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Non putabitur non fodietur, & nubibus cœli mandabo ne pluant super eam imbrem,& apud Salomonem Sapien. cap.1. Gementes præ angustia dicunt. Quid profuit nobis luxuria nostra, & diuitiarum iactantia, &c. q[illegible]a [illegible]la pœ[illegible] coacta est, & infructuosa ex ratione, status.

Ad argumenta, primæ sententiæ non est al[illegible] quod illa probant nostrum dictum, q[illegible]e An[illegible]beat esse breuissima.;



DISPVTATIO XIIII.

Vtrum intellectus dæmonum per peccatum sit obtenebratus.



Æc quæst. tractari potest, tũ de intellectu speculatiuo; tum de practico, & de utroque seorsum in ordine, tum ad naturalia, tum ad supernaturalia, & omnibus iisce modis à nobis maxima, tamen cum breuitate tractabitur.

SECTIO I.

Vtrum intellectus speculatiuus dæmonum sit obtenebratus quo ad supernaturalia.



Xplico, Cum intellectus, tam Angelicus quam humanus consideratus in puris naturalibus sit improportionatus ad cognoscenda supernaturalia, qui uix sufficit ad cognoscenda omnia naturalia, iuxta illud Ioan. si terrena dico uobis, & nõ creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia capietis, ideo necessarium est, ut intellectus, siue Angelicus, siue humanus illustretur per habituum supernaturalium infusionem, verbi gratia, per habitum fidei, sapientiæ, scientię, consilii, ideo, hic quæstio. est Vtrum per peccatum, hos habitus supernaturales amiserint, & sunt duæ sententiæ. Quæ autem hic dicentur de dæmonibus poterunt intelligi etiam de hominibus damnatis.

Prima sententia est [illegible]centium dæmones spoliatos non fuisse supernaturali hoc [illegible], ita Alex. Alen. 3. par. sum. q. 74. [illegible].7.8.9. qui [illegible] Angelis ante peccatum non fuisse ha[illegible] fidei [illegible] ænigmaticum, ut in hominibus, sed loco hu[illegible] [illegible]andam cognitionem infusam, claram rerum su[illegible] [illegible], similem [illegible]ni beatorum hanc deinde in pec[illegible] [illegible]is mansisse quidem quo ad substantiam habitus, [illegible] [illegible]em, & postea factam esse enigma[illegible] [illegible], sed informen, & simul cũ hoc [illegible]n habitum dicitur manere in dæ[illegible] [illegible] intellectum, non quatenus mouet [illegible]um fidei acquisitum per actus qui[illegible] [illegible]upernaturalem cognouit. Hanc [illegible]us [illegible]par. Rosarii uerbo fides. 3. tit. de [illegible]ecto fidei Duran. etiam in 2. dist. 23 q. 9. art. 2.

art. 2. dicit in damnatis hominibus manere habitum fidei infusum, in dæmonibus autem inquit, si ante peccatum fuit habitus fidei erit etiam post peccatum. Tartaret. 2. d. 7. quæst. unica dub. 2. dicit secundum uiam Scoti esse dicendum in dæmonibus, ante peccatum non fuisse fidem, quia habebant scientiam Dei, per speciem infusam. hæc sententia probatur.

Primò, quia Iacobi cap. 2. dicitur etiam dæmones credunt, & contremiscunt Glosa in illud Ro. 1. de fide in fidem dicit. Est fides informis, quæ est dęmonum, & nomine tenus Christianorum in illud Galat. 5. fides quæ per dilectionem operatur, Glossa ait. fides cum dilectione Christianorum est, sine dilectione dęmonis est, & in illud Thimoth. 1. Confitentur se nosce Deum factis autem negant dicit Glossa. fides talium proprie est dęmoniorum.

Secundò, D. August. lib. de fide & operibus cap. 16. lib. 15. Trin. cap. 18. & tract. 6. in Ioan. dicit fidem peccatorum, esse dæmonum fidem, ergo.

Tertiò, quia habitus fidei non amittitur, nisi per infidelitatis actum, sed hic non est, in dæmonibus, uel in damnatis, ergo.

Quartò, status termini non repugnat fidei, sed tantum uisioni claræ, ergo.

Quintò, conueniens est, quod aliquod distinctionis principiũ sit in damnatis, ut cognoscantur fideles, ab infidelibus, sed non potest esse aliud nisi fides, ergo.

Sextò, quia de facto dæmones confessi sunt plurimas fidei ueritates. verbi gratia, quod Christus sit filius Dei, quod haberet potestatem expellendi eos, &c. quod superat cognitionem ipsorum naturalem, ergo.

Secunda sententia est dicentium in damnatis nõ esse habitum fidei infusum, uel formatum, nel informem, ita D Thom. 2. 2. q. 5. art. 2. & ibid. Caietan & Banes, Altis. lib. 3 trac. 2. cap. 7. quæst. 2. & Chartus. 3. dist. 23. quæst. 3. Riccar. 3 dist. 23. art. 6. quæstio. 3. & communissima Theologorum quæ sententia adeo est uera, ut opposita censeatur erronea.

Conclusio fides infusa non est in dæmonibus, uel in damnatis hominibus probatur. Fides nõ est in dãnatis.

Primò, ex citatis auctoritatibus, in prima sententia, qui distinguunt, fidem dæmonum, a fide Christianorum, quia hæc infusa, est, ista non item.

S. Ignatius epist. 5. ad Philippen. diabolus sapiens est ad male faciendum, quod bonum est autem, nescit aliquando, quia ignorantia repletus est, per inobedientiam, & infra alloquitur diabolum dicens, multa enim te latent Virginitas Mariæ, gloriosus partus, de cuius corpore Deus processit, stella orientis qui apparuit, Magis munera ferentibus. Archangeli salutatio ad uirginem facta, Virginis gloriosa conceptio, desponsatæ puellæ pędicatio, & Virginis in utero infantis præuisio, Angelorum hymni glo-

riæ,

riæ, ad gentium pastores anunciatio, &c. & infra, & quod Virgo peperit ignoras, sed confundit te Angelorum laudatio, Magorum adoratio, stellę apparitio; Ignorantiam enim per contumaciam incurristi.

Secundò, Ex definitione fidei est enim substantia sperandarum rerum: at damnati nihil sperare possunt, ergo.

Tertiò, Quia fides infusa habitus est inclinans, & mouens hominem in Deum, sed hæc motio, non potest esse in Dæmonibus, ergo.

Quartò, Apostolus fidem dicit euacuari, quod non solum fit per uisionis successionem in patria, sed etiam ex eo quod ipsa pænitus auferatur in damnatis.

Quintò, Fides est quid gratuitum, & supernaturale: at status damnatorum omni gratuito contrariatur.

Sextò, Fides est intrinsece medium ad beatitudinem comparandam, At damnati nulla ratione ad æternam patriam aspirare possunt, ergo. lege eam quæstionem, An Angeli mali cognoscant mysteria gratiæ, in distinctione undecima, disputatione duodecima.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum, & secundum. Respondeo, Dæmones credere non fide infusa, sed coacta credulitate, uel fide naturali, & acquisita, de qua inrelligantur, omnia illa loca citata.

Ad tertium, Respondet Caietanus, ubi supra, fidem amitti, non solum actu contrario, sed etiam per negationem actus, quia scilicet habitus ille est superfluus. addi potest, quod amittitur per rationem status damnationis, qui maxime gratuitis repugnat, & per hoc patet ad quartum.

Ad quintum, Respondeo. Distingui per characterem baptismalem.

Ad sextum, Respondeo, Dæmones confessos fuisse illas fidei veritates, quia cogebantur ab euidentia miraculorum, & signorum.



SE-

SECTIO II.

An intellectus Dæmonum obtenebratus sit quo ad naturalia.



Ommunis Doctorum sententia, paucis quibusdã exceptis, quos infra afferemus est intellectum dæmonum, non esse obscuratum, quo ad naturaliũ cognitionem maxime propter auctoritatem D. Dyonis. qui cap. 4. de diuinis nominibus dicit munera à Deo Angelis tributa mansisse integra, & splendidissima, D. Bernardus epistola. 77. in fine. Sane inquit Bernardus, & reprobi spiritus, & si destituti sũt participatione gratiæ spiritualis, non tñ uiuacitate industriæ naturalis. Isidorus lib. 1. de summo bono capit. 12. dicit uigere uiuacitatem. Augustinus. 2. de Genes. capitu. 17. lib. 12. capitu. 16. lib. de diuinatione dæmonum, capit. 4.

Munera Angelorum naturalia etiã post peccatũ splendidissima in ipsis mansere runt.

Quod si Alen. 2. par. q. 113. m. 1. ad primum. Bon. 2. d. 7. art. 3. q. 1. Gregorius, dist. 7. quæst. 1. Gulielm. Parisien. 3. p. secundæ partis de vniuerso cap. 1. dicunt intellectum speculatiuum esse hebætatum quo ad naturalium cognitionem propter peccata quædam, quæ contra naturæ ordinem cernunt, in dæmonibus maxime in obsessione energumenorum, in dæmonibus succubis, & incubis. Hæc intelligi possent in ordine ad eam cognitionem, quæ ordinatur ad operationem aliquam moralem.

Dices homo per peccatum non solum spoliatus fuit gratuitis, sed etiam vulneratus in naturalibus, ergo etiam dæmon. Respondeo ita est, licet enim in ordine ad vera naturalia speculatiua non sit obtenebratus intellectus tamen in ordine ad praxim maxime obtenebratus est.

Rationem huius assignat, Diuus Thomas, quare non debuerit intellectus obtenebrari, quia cedit in grauiorem ipsorum pœnam.



SE-

SECTIO III.

Vtrum intellectus practicus dæmonum sit deprauatus.

PRima conclusio intellectus practicus quoad supernaturalia, est omnino obtenebratus, & obscuratus: Conclusio est communis, & patet ex ijs, quæ dixi sectione prima, & patebit ex secunda conclusione.

Secunda conclusio, etiam quo ad naturalia deprauatum est iudicium intellectus practici, probatur.

Primò, Quia non potest esse rectum iudicium de medijs nisi sit recta existimatio finis. At finis existimatio deprauata est in dæmonibus ob peruersitatem uoluntatis, ergo maior probatur. Tum ex Aristotele in lib. Ethic. tum ex D. Thom. p.2.q.8.art.3. & quod uidetur uoluisse Salomon cum Sapientiæ cap.5. dixit. Inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.

Secundò, Patet ex operibus, quæ maxima cum peruersitate fiunt ab ipsis exultant enim in rebus pessimis, & lætantur cum malefecerint.

Tertiò, Ex locis & doctrina Patrum supra citatorum.

Quartò, Huc afferri possunt, quæ contra homines à Iuda Apostolo scribuntur. Quæcumq; uero tamquã muta animalia norunt in ijs corrumpuntur, & illud Rom.10. Ex excæcatum est incipiens cor eorum.

Quintò, Quia hoc vr̃ esse effectus ꝓprius peccati, cæcitas mẽtis.

DISPVTATIO XV.

Vtrum dæmon possit aliquod bonum morale facere.

SCotus 2.d.7.q.unica dicit Angelos non posse habere actus bonos meritorios, posse tamen habere aliquos actus moraliter bonos, ex genere, & ex circunstantijs, licet propter intensissimum malitiæ habitum de facto nunquam habeant actum bonum moraliter. Ita etiam dicit posse omnem actum suspendere eandem sententiam sequitur Dur. ibid. Pelba[illegible]tus 2.p.Ro[illegible]. uerbo Dæmones 3 [illegible] de obstinatione dæmonũ §.38.q C[illegible]t Ochan. Tattaret. 2.d.[illegible].q. 1.dub. 2. Ioseph. Angles p. p. quęst. Theologicarum in 2. sententiarum d.6.& 7.quęst 2.conclusione 8.dub.6. Gratianus. 2.d.7[illegible] unica probatur hęc sententia.

Primò, Quia dęmones sępe habuerunt actus fid[illegible]i, & confessi sunt articulos & alia mysteria fidei. Verbi gratia qđ Deus sit omnipo-

nipotens quod creauerit orbem, quod Christus sit filius Dei, sed isti actus sunt boni moraliter, Vnde dicit Glossa in illud Luc. cap. 5. quoniam filius Dei est. Erubescat Manicheus, qui dicit Christum creaturã solum, cum diabolus fateatur, quod est filius Dei.

Secũdò, Diues ille Luc. 16. Ex charitate in fratres rogabat mitti Lazarum, hic autem erat actus omnino bonus moraliter. D. Gregorius hom. 40. in Euangelia, dicit reproborum mentem, pęna sua quandoque erudit ad Charitatem, ut etiam tunc spiritualiter diligat suos, qui in uita, nec se diligant.

Tertiò, Quia in Angelis manserunt naturalia integra, & splendida, & perfectum liberum arbitrium, cum ergo bonum morale, pure naturale non excedat facultatem dæmonum, cur eis negabitur saltem actus bonus moraliter in potentia?

Quartò, Homo quamuis peccator maximus potest aliquem actum bonum facere. Verbi gratia ex compassione mere naturali, dare elemosinam, cur non etiam dæmones.

Quintò, Actus intellectus præcedens omnem actum uoluntatis, non potest esse malus, sed aliquos huiusmodi actus possunt habere dæmones, ergo maior patet, quia bonum, & malum sunt in uoluntate non in intellectu; minor probatur, quia ante actus uoluntatis necessario præcurrere debet actus intellectus, sed habent actus uoluntatis, ergo etiam intellectus.

Sextò, In dæmonum uoluntate inest illa propensio in bonum, ut bonum tamquam proprium illius obiectum, sed hic actus expetendi bonum, ut bonum, non potest esse malus, ergo.

Septimò, Est dubitatio Porphyrij in epistola ad Anebonum, relata ab Euseb. Cęsar. lib. 5. de præparatione cap. 6. Quod dæmones inuocati iubent eos plurima bona facere ieiunare, abstinere, a uenereis, ab homicidio &c. uolunt per uirgines inuocari. &c.

Contraria sententia dicentium adeo deprauatum esse uoluntatis dæmonum affectum, vt quamuis non implicet, contradictionem, quod diabolus bonum aliquod opus moraliter faciat, numquam tamen non solum eliciat, sed ne elicere quidem possit, ita Sot. optime 4. d. 10. quæst. 1. art. 4. & 5. Gaspar Cassalius lib. de quadripartita iustitia parte p. lib. 1. egregie dicit non posse uelle, nisi malum, uel bonum male D. Tho. hic & p. p. q. 64. art. 2. de malo q. 16. art. 5. de ueritate quæst. 24. art. 10. Bona. Gab. Chart. apud ipsum Vdalricus. Io. Echius hom. in dom. 2. post Pent. Deus ait malos indurauit bonos confirmauit, ita ut ij peccare amplius nequeant illi bene operari non possint. Hadrianus in quartum sententiarum de Sacr. Pœnit. q. an semper maneret facultas pęnitendi Seraphynus Firmanus Opusc. de interna oratione cap. 9. Gregorius & Cap. 2. d. 7. Henricus quolibeto 8. q. 10. Caietanus, & Banes apud D. Tho. Alen. 2. p. q. 102. membro 2. & 3. Alb. 2. p. q. 25. membro 1. art. 1. 2. & 3. Altisiodoren. lib. 2. tract. 2. cap. 7. q. 1. & 2. quæ sententia uerissima est. Pro qua.

Non implicat contradictionem quod diabolus efficiat actum bonum moraliter, nunquã tamen illũ eliciet.

Nn Con-

Conclusio Diabolus non potest aliquem actum moraliter bonum elicere; Hæc conclusio intelligitur de actu bono moraliter, idest non tantum ex genere, seu ex obiecto, fateor enim posse huiusmodi actus fieri, sed ex obiecto fine, & circunstantiis dico fieri non posse, & probatur.

Primò, ex Dionys. quia bonum est ex integra causa, malum ex singulis defectibus, sed finis malus est, quia cum superbia eius semper crescat ex intensissimo habitu malitiæ, quem cohibere non potest, semper in malum tendit.

Secundò, Hoc indicant loca scripturæ Gen. 3 super pectus tuũ gradieris, scilicet ut se ipse eleuare non possit, & terram comedes omnibus diebus uitæ tuæ. Glossa ordinaria super pectus, superbiæ tuæ gradieris, & terram, Hebraicæ habetur puluerem comedes omnibus diebus, puluis autem mystice inane significat, ut illud in puluerem suum reuertentur, Iob. 40. cum dixisset. Ecce Behemoth quem feci tecum, subdit protegent umbræ umbram eius, & inf a nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Nunquid feriet tecum pactum, aut accipies eum seruum sempiternũ? Psalmo 6. Quoniam non est in morte qui memor sit tui. In Inferno quis confitebitur tibi? ps. 93 Quoniam loquetur iniquitatem in corde suo. Iob. 10. sempiternus horror inhabitat. Iob. 41. Indurabitur cor eius quasi lapis. Habacuc primo cogitat interficere gentes. Exodi. 5. Non minuetur quisquam &c. 2. Corint. 6. Quæ est conuẽtio Christi ad Belial. Io. 8. ab initio diabolus peccat. & lib. Pro. c. 18. Impius cũ in profundũ uenerit cõtemnit Ps. 111. dentibus suis fremet & tabescet. Quorum locorum uis si diligẽter expendatur non solum de facto, & euidenter conuincunt actu non facere bonum, sed nec posse quidem. maxime illa. Quæ est conuentio Christi ad Belial. Impius cum in profundum uenerit contemnit & illud. Quoniam non est in morte & illud. In inferno quis confitebitur tibi: de quibus dæmonibus a fortiori dici illud poterit. Ier. 13. si potest Etiops mutare pellem suam, & Pardus uarietates suas, sic & uos poteritis benefacere cũ didiceritis malum, ubi si de uiatoribus propter diu ex antiquatam peccandi consuetudinem dicitur, quod non possunt benefacere, a fortiori de diabolo dicetur, qui ab initio peccat, & intensissimum habitum peccandi contraxit.

Secundò, Ex D. Augustino de fide ad pet. cap. 3. pars illa Angelorum, quę a Deo uoluntaria auersione recessit, æquitatis supernę iudicio, iudicium suæ auersionis in ipsa auersione uoluntatis inuenit; ut ei ignem Deus in æternum præparet in quo omnes illi pręuaricatores Angeli, nec mala possint umquam uoluntate carere, nec pœna.

Diabolus sapiens est ad male faciendum. Sanctus Ignatius Episto. 5. ad Philippenses, Multiformis enim malitię princeps furans sensus, contrarius sibi ipsi, & alia quidem suggerens, alia uero ostentans, sapiens est, ad male faciendum, quod

quod bonum eſt autem neſcit aliquando;ignorantia enim repletus eſt per inobedientiam.

Proſper lib. 3.de uita contemplatiua cap.12. Quid eſt obmuteſcentes manibus pedibusque ligari, niſi in inferno, ubi nullus Deo confitetur actione priuari?

Diuus Bernardus epiſtola 253. ad Garinum. Ob hoc proculdubio inflexibilis, & oſtinatę mentis punitur æternaliter malum licet temporaliter perpetratum, quia quod breui fuit tempore, uel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci uoluntate, ita ut ſi numquam moreretur, nunquam uelle peccare deſineret; imo ſemper uiuere uellet, ut ſemper peccare poſſet.

Hugo.de S.Victore lib.4.de anima cap.13.In inferno nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali, omnis qui in eo eſt, odit ſe, & omnes alios.

Innocentius Papa.III. lib. 3. de contemptu mundi & miſeriæ humanę conditionis cap. 7. Erit in reprobis mentis obliuio tanta cæcitas animi, tanta confuſio rationis, ut raro uel nunquam ad cogitandum quicquam de Deo poſſint aſſurgere, ne dum ad confitendum ualeant aſpirare. Nam amor ſui tanquam ab eo qui non eſt perijt confeſſio, ſcriptum eſt enim. Nō mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te & capit. 77. propter temporale peccatum punietur in ęternum, quia licet peccandi facultas illum demiſerit, ipſe tamen non dimittit uoluntatem peccandi. Tantum enim excreſcet malignitas odij, ut uellent illum omnino non eſſe, per quem ſciunt ſe tam infœliciter eſſe. Maledicent altiſſimum & blaſphemabunt excelſum conquerentes eū eſſe malignum, qui creauit illos ad pœnam & nunquam conuertetur ad ueniam. Voluntas, ergo damnati licet amiſerit poteſtatis effectum, ſemper tamen habebit malignitatis effectum. *Cur peccatis finitis pena debentur in finita.*

Niſſenus ubi infra. Si quis carnalis efficitur ſecundum mentem nec poſtquam corpus exuerit remouetur a paſſionibus eius.

Tertiò, Rationibus ad hoc, ut actus ſit moraliter bonus non ſufficit, ut eligatur bonum, ſed etiam requiritur, ut bene eligatur, ſcilicet ut eligatur bonum ſecundum quod ipſum 2. Ethic. cap.4. at nunquam damnati ſe ita præparabunt ad bonum, ergo.

Quartò, Quia homo abſque gratia licet quædam bona moralia ex infimis ſolis naturę uiribus poſſit efficere, tamen neque multa neque ex altioribus moralibus poterit ſine gratiæ auxilio efficere, at diabolus, & dānati, tum propter peccata, tum ob habituum pondus, tum ob ſtatus miſeriam, multo grauius infirmantur, quam uiator ex ſolo peccato, ergo niſi Deus auxilia conferret benefacere non poterunt. Deus autem numquam auxilia gratuita donat, ergo.

Quintò, Vt conſtat ex Bernardo, & Innocentio, ſupra citatis ſemper eorum uoluntas fixa hæret peccato in quo deceſſerunt.

Sextò, Beati nunquam possunt habere actum malum, ergo nec damnati actum bonum.

Diabolus veritatem si quando fatetur hoc facit ad facilius disseminanda mẽdacia.

Septimò, Quia Opus bonum morale, est aliqua participatiò diuinæ bonitatis, & regulæ à qua illi omnium auersi sunt.

Ad argumenta, Respondeo cum D. Chrisost. hom. 29. in 1. Corinth. licet Dæmones confiterentur, Christum esse Deum; tamen Christus increpabat eos, quia ficte loquebantur, vt semel vera dicentes compararẽt sibi auctoritatem ad mendacia stabilienda, ita etiam Athanas. explicans illud Luc. 4. Increpans &c. Dicit quamuis vera fateretur Dæmon compescebat tamen eum Christus ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulgaret, vt nos assuefaciat ne curemus de talibus etiam si vera loqui videantur. Nefas est enim cum adsit diuina scriptura, vt a diabolo erudiamur.

Epulo ex charitatis affectu, non rogabat mitti lazarum ad fratres suos.

Ad illud de diuite rñdendum est, non eum ex charitate noluisse, mitti Lazarum, sed quia ut dicit Isidorus libro de summo bono cap. 32. de charorum suorum supplicijs additur, pœna defunctis: ideo dolens de pœna sua, quam contra iustitiam pati nollet, rogabat. Quare D. Gregorius eadem hom. 40. dicit diuitem doluisse supplicia sua, & reseruatam fuisse illi cognitionem illam ad maius malum. Gregorius Nissenus citatus in cathena aurea in illum locum, Diues quasi quodam fisco detinetur, ẽt post mortem a uita carnali; Nam si quis omnino carnalis secundum mentem fiat, nec postquã corpus exuerit: remouetur à passionibus eius. Amb. citatus ibid. notandum inquit est, ardente diuite quanta supplicia cumulantur: ad pęnam namque suam ei cognitio seruatur, & memoria; de eorum enim supplicio torquẽtur quos inutiliter amauerunt. Ad D. Greg. uerba respondetur erudiri ad opus charitatis ex obiecto, sed non ex intentione charitatis, cum potius peccato fixi hæreant; ideo Ioannes BoKimcham quæstione 6. in lib. sent. per octo conclusiones. Ostendit quod quantacunque pœna Deus damnatos afficiat in inferno, semper eos tamen punit citra condignum.

In dãnatis reseruat cognitio ad maius ipsorum malũ.

Sẽper Deus punit citra cõdignum.

Ad secundum, Iam patet ex dubitationibus licet enim naturalia manserint integra, tamen affectus est deprauatus, & hic sufficit ad deformandum, & uitiandum actum.

Ad tertium, Respondeo patet ex dictis solutio.

Dãnati põt hẽre actus bonos naturaliter non autẽ moraliter.

Ad quartum, Respondeo illos actus, hoc ipso, quod non pendent ab electione non esse morales, sed naturales, possunt enim efficere actus naturaliter bonos, non autem moraliter.

Ad quintum, Respondeo cum illa propensione in bonum, ut bonum stat illa deprauatio affectus, in uerum bonum, quæ actus deprauat.

Ad sextum, Libet hic, ut apertius actus, & nequitia dæmonum cognoscatur subijcere ea quæ scribit Euseb. Cesar. lib. 5. præparat. cap. 6. Porphyrius inquit miratur maxime consulitque Anebonũ Aegyp-

Aegyptium tamquam ea in re peritum sic dicens. Magnam uero dubitationem mihi,illud affert,quia,ut meliores rogant,& superioribus imperant, Deinde cur cum ipsi Dij iubeant, cæteris esse iustos, iussi multa iniqua committunt? Nam cum nullo modo uelint exaudire hominẽ, qui multis se diebus ab operatione uenerea,non abstinuit,ipsi uocati ad iniustam uenerem,multos impellunt. Præterea nolunt. b esu carnium ad inuocandum uatem accedere,ne scilicet animalium cędę inquinentur, ipsi uero nidore ac sanguine maxime ducuntur. Ad hæc qui mortuum tetigit,ei ad uisionem accedere non licet: mortuis autem, & cadaueribus animalium,omnes fere diuine res peraguntur. Illud autem mihi rationem habere uidetur,quod non dico dæmoni aut animæ,sed ipsi Regi atque Reginæ, soli dico, ac lunæ, aut alicui cœlestium Deorum famuli,nonnunquam,& scelesti homines terrorem inferunt,& multa falso dicentes,ad manifestandam ueritatem illos compellunt. Falsa enim profecto dicunt, & impossibilia cum se scissuros cœlos,& arcana Isidos edicturos, & membra Osyridos Typhoni tradituros minantur,nisi dij respondeant. Quomodo deiecti atque formidolosi non sunt, qui ficto huiuscemodi terrore,tamquam infantes mouentur. Moueri autem eos istis Cheremon etiam sacer scriba testatur. Hæc ille similia etiam refert Sanctus Augustinus lib.10.de ciuit. Dei, cap.11. Ex quibus patet ipsosmet gentiles falsitatem,& proteruiam, & ut ita dicam cordis duplicitatem in dæmonibus conspexisse. Dæmonum fallacia etiã a gentilibus cognita.

DISPVTATIO XVI.

An hic aer caliginosus sit locus pœnalis dæmonum.



HIc incipit posterior pars distinctionis Magistri, in qua de loco pœnali dæmonum agit, de quo etiam nobis fuse agendum est.

Proprium pœnarum dæmonum locum esse infernum ostendunt luculẽtissima scripturæ, & Patrum testimonia quæ adduximus cum de ęternitate pœnarum demonum. Constat etiam ex uarijs nominibus,quibus explicatur infernus; ideo dicitur locus tormentorum,abyssus,lacus miserię, procella tenebrarum,tartarus,inferi,tenebræ exteriores,&c. sed quoniam de hoc inferno plura erunt inferius tractãda; ideo hic prius uidendum est, an in hoc aere caliginoso sint ad homines impugnandos relicti dæmones. Inferni nomina.

Conclusio. In hoc aere caliginoso sunt dæmones. hæc conclusio est de fide,& D.Aug.lib.11.de Gen.ad litteram uocat apostolicam fidem, probatur. Dæmones sunt in hoc aere caliginoso.

Primo, Ex sacris scripturis. Ephes.6. Non est nobis colluctatio

ad-

aduersus carnem & sanguinem, &c. Aduersus mundi rectores tenebrarum harū contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, Apo. capit. 12. Vęh terræ marique, quia descendit ad uos diabolus iram magnam habēs sciens quia modicum tp̄s habet. In epist. Iudæ Angelos, qui dereliquerunt suum domicilium æternis uinculis sub caligine reseruauit Ephes. 2. Principem potestatis aeris huius, Ex euangelijs habemus dæmones sæpe eiectos ex corporibus maxime. Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, &c. Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi Matt. 12. & Marci 5. ubi legio dicitur fuisse in uno obsesso. Iob 1. Circuiui terram, &c. & D. Pet. Aduersarius uester Diabolus tamquam leo rugiens. 2 Cor. 12. Angelus Sathanæ. Es. 19. Spiritus uertiginis. Huc faciunt loca quibus homines confirmantur ad pugnandum contra diabolum. Irridebam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem; ideo dedi uobis potestatem super, &c.

Secundò, ex Patribus D. August. lib. 3. super Gen. cap. 6. in aere est habitatio dæmonum, & cap. 10. Non est mirum si post peccatum transgressores cum principe suo diabolo in istam sunt detrusi caliginem, & infra non est mirum si conuersa sunt, & pęna in aeream qualitatē, ut iam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris aliquid pati, nec aeris saltem spatia superiora, atque pauciora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis pro suo genere quasi quidam carcer est vsque ad tempus iudicii, idem docet lib. 11. Ciuit. Dei cap. 34. lib. de agone Christiano cœlum dicitur, & ipse aer ubi uenti, nubes, procellæ, & grandines fiunt. Hoc dixi ne quis ibi habitare dæmonia putet, scilicet in cœlo superiore unde lapsum illum credimus lib. 11. de Gen. ad literam cap. 26. dicit. Tamen & peccatores Angelos minime dubitemus detrusos tanquam in carcerem caliginis huius aereæ circa terras iuxta apostolicam fidem in iudicio puniendos seruari, lib. 4. quæstionib. super numeros, quæst. 29. peccantes Angelos in huius aeris detrusos caliginem scriptura dicit tanquam carceribus inferni puniendos reseruari & citat locum illum. 2. Pet. 2. si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens tradidit puniendos in iudicio reseruari lib. 3. de Ciuit. Dei, cap. 15. licet nos interea dæmones in aere habitent, tamen illos nobis præponi rediculum est, D. Prosper, lib. 3. de uita contemplatiua, cap. 2. diabolus inquit, sciens se per superbiam de cœlestibus corruisse, & in hūc caliginosi aeris carcerem trusum homini subuertendo &c. Ludouicus Viues in commen. in lib. 8. Ciuit. cap. 15. & lib. 21. cap. ult. Grego. 2. moral. cap. 25. Scimus quod immundi spiritus, qui de cęlo ethereo lapsi sunt in huius cœli, se neque medio uagantur Chrysost. hom. 4. in c. 2. Ephes. iuxta potestatem aerei spiritus, qui locum habeat eum, qui sub cœlis est, D. August. lib. de natura boni, cap. 33. in Psal. 148. Theodoret.

doret.lib.4.de curandis græc. affect.Bernar.serm.55.in Cant.

Tertiò, ratione optima, D.Thom.1.parte, quæst.65.art.4. Deus hominum salutem operatur, tum bonorum Angelorum custodia, tum dæmonum, quibus ad coronæ meritum impugnamur. Hæc autem militia, usque ad finem mundi, & ad iudicii diem perdurabit, ideo etiam tamdiu dæmones esse debent in hoc aere caliginoso. Hinc patet non esse admittendã expositionem Claudii Guilliaudi, qui in capit.2. ad Ephes. dicit, dum dicuntur dæmones principes aeris non intelligi aerem elementaré, sed subtile corpus simplex nostris sensibus incognitum. Quoniam autem nonnulli negarunt dari infernum, ideo primo loco quæremus. An detur infernus. Dæmones sunt in hoc aere caliginoso ad homines impugnandos.

DISPVTATIO XVII.

Vtrum detur Infernus.



Plurimi uiuentes infernum negarunt, in quem nunc detrusi pœnarum, atque cruciatuum immanitate conuicti, negare nec auderent, nec possent. Qui infernum negauerint.

Prateolus enim lib.1. de sectis hæreticorum, c.29. & Bernardus de Lucemburgo, in suo cathalogo hæreticorum. refert quendam Almaricum Parisien. negasse infernum, post aliam uitam, sed tantum esse in hac uita, in eo qui in se haberet mortale peccatum; & lib. 8. capit.10. refert quendam Hermannum Riffuich, qui uiuus combustus fuit anno Domini 1512 is irridebat eos, qui infernum admittebant, & lib.17.capit.21. refert Seleucianos, & Hermianos asseruisse nõ alium esse infernum, nisi hunc mundum. Hunc errorem Albanensib.ascribit Guido Carmelita. Cic. etiam lib. 1. Tuscul. disput. ut ostendat mortem, non esse malum dicit aniles esse nugas, quæ de suppliciis scribuntur, quamuis posset excusari, quòd de illis loqueretur, quæ Poetis fingebantur Philon quoque Iudæus. lib. de congressu quærendæ eruditionis causa, & Plutarcus opusculo de Sera numinis uindicta. Contra hanc hæresim scripserunt Alphonsus Castren. & Guido Carmelita, Bernar. de Lucemburgo, Iulianus Toletanus lib.2. prognosticon cap.4.5.6. Petrus Auratus, Paradoxo 42. Petrus Canisius, in summa doctrinæ Catholicæ, ti. de quattuor hominis nouissimis.§.4. Scolast. communiter, tum in hac distinct. tum in 4. dist.50. Paulus Cortesius in lib.4. senten. dist in 11. quest. unica.

Conclusio Catholica fides conuincit dari infernum. hæc conclusio, probatur.

Primo ex scripturis longum autem esset omnia loca enumerare Luc.16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno, & Es.14.

Detracta

Detracta est ad inferos, superbia tua. Apoc.21. Missus est in stagnum ardentem igne, & sulphure.19. Missi sunt in stagnũ ignis, & sulphuris. Deut.32. Ardebit usq; ad inferni nouissima, Iob 24. vsque ad inferos peccatum illius Eccles.21. finis peccatorum inferi, & tenebre, & pœnæ Iob 7. sic qui descenderit ad inferos Psal.40. Sicut oues in inferno positi sunt. 2. Pet. 2. detractos in Tartarum. Adde loca in quibus fit mentio de pœnis, ut Matth.8. Luc.13. Marci.9.

Secundò, ex determinatione Eccles. Concil. Floren. in litteris santissimæ Vnionis. Qui in actuali peccato decedunt, uel in solo originali mox in infernum descendere pœnis, tamen disparibus puniendos, de quo licet apud Concilia non habentur plurimæ decretales, quia ut de re certissima non opus fuit peculiari determinatione uti passim, tñ fit de illo mentio. Concil. Toletan.4. in confessione fidei Arelatense 4. Adde, quòd in symbolo Apostolorum, & Nycæno quorum alterum fere in omnibus sacris Conciliis recitatur. habetur quòd Christus ad inferos descendit.

Tertiò, ex sanctorum Patrum testimoniis quæ a nobis citata, & relata sunt supra in disp.8. sect.2.

Quartò, ex consensu totius Ecclesiæ, quæ credit, & fatetur infernum infernique æternas pœnas.

Quintò, ex rationibus, qui enim scælestissimam uitam in hoc mundo uixerunt, omnibusque se se flagitiis obstrinxerunt, quis non uideat iis acerbissimas deberi pœnas? Ac cum plurimi huiusmodi fuerint, ideo locus aliquis iis assignandus in quo debitas luant pænas, hunc autem locum infernum appellamus.

Infernus qd dicatur.

Gentiles ipsa ueritate coacti infernum agnouerunt.

Sextò, liceret ex Ethnicorum dogmatibus doctrinam nostram confirmare, Est enim hæc ueritas adeo lumini naturali conformis, ut ueritate ipsa coacti gentiles pænarum locum excogitarint; qua de re lege Eugubinum lib. 10. de perenni philosophia, cap.22. Natalem Comitem lib.3. Mithologiæ, cap.1.3.& 19.

DISPVTATIO XVIII.

Vbi nam sit infernus.



Lurima quidem de loco qualitate, ac penis inferorum à Poetis ac gentilibus fabulose tradita fuerunt, quæ à nobis hic non sunt referenda, nec confutanda: eos tantum referam, qui agnito fidei lumine, de inferno scripserunt, quamuis in multis decepti sint. Quidam arbitrati sunt infernum esse apud antipodis, & dicat infernum respectu nostrum, Ad hanc Sotus 4. sent. dist.45. quæst.1. art.1. dicit alludere Isidorum dum dicit post mundi finem Sol, & Luna stabunt in ordine quo creati sunt, Sol in Oriente, Luna in Occidente ne

Varia placita Doctorũ de inferni loco.

impij

impii in tormentis fruantur eorum luce. Quidam hanc sententiam ex professo ipsi tribuunt, sed locum non citant. Fateor tamen me curiosius hunc locum inquirentem, nihil tale apud Isidorum inuenire potuisse. Imò omnino oppositum legi, lib. 14. Ethimol. cap. ult. Infernus inquit dicitur eo quod infra est, ita D. August. lib quæstionum in lib. Num. quæst. 19. & lib. 10. super Gen. cap. 34. & communiter omnes, & patet ex ipsa notione nominis, & dicit ibi esse in corde terræ, idest in medio terræ, ubi etiam explicat plurima nomina quibus infernus exprimitur.

Alij arbitrati sunt esse in ualle Iosaphat hoc habet D. Chrisost. hom. de premiis sanctorum, & hom. 31. in epistolam Rom.

Alii in quadam ualle Samariæ qui dicitur Gehennon in qua immolabant filios Idolis traducentes, per ignem Tophet, & Isidorus supra dicit hac de causa uocatam esse gehennam.

Alii apud Tostadum Abulen. lib. de statu animarum, & paradoxo 5. cap. 9. dicebant esse super quatuor epist.

Alii infernum dicunt esse ubicunque quis deliquerit, ibi enim cruciari. Hæc sententia maximum fundamentum habet in quibusdam uisionibus quas refert præcipuę D. Gregor. & leguntur plurimę in uita D. Benedicti, quod in quibusdam uallibus exaudirentur uoces animarum, quæ ibi cruciabãtur, quæ precibus ipsius liberarentur, & apud Bedam. lib. 5. historiarum Anglicarũ.

Inter Sanctos Patres, D. Augustinus lib. 20. ciuit. capit. 16. dicit: Ignis inferni cuiusmodi, & in qua mundi, uel rerum parte futurus sit hominum scire arbitror neminem, nisi cui diuinus spiritus reuelauit. In quæ uerba insolenter admodũ more suo se effusit. Ludouicus Viues. D. Greg. lib. 4. Dialogorum, cap. 42. nihil temere definiendum ait. Cathechismus in explicatione symboli ibi descendit ad inferos, dicit explicandum esse quid inferorum nomine intelligatur docetque abdita animarum receptacula intelligi, nihil determinans, ubi & quanam in parte sit.

Communis tamen doctorum sententia est, infernum esse in centro terræ, probatur. Infernus est in cẽtro terræ.

Primò, Ex locutionibus scripturarum, quæ dicunt descendi ad inferos. Quicunque autem locus extra centrum sumatur respectu quarũdam gentium inhabitantium partes orbis erit ascensus, quia per centrum debeant transire, & ad infernum peruenire, at motus à centro est ascensus. Quod autem sit hic descensus, patet ex scripturis, Psal. 14. Descendunt in infernum uiuentes. Psa. 153. Neque omnes qui descendunt in infernum. Psalm. 62. Introibunt in inferiora terræ. Num. 16. Dathan, & Abyron descenderunt in infernũ uiuentes, & Matt. 12. Sicut fuit Ionas in uentre cæti tribus diebus, &c. Sic & filius hominis erit corde in terræ, & hic est descensus Christi ad inferos quasi ad cor terræ, cor autem animalium est in medio animalium, ita & cor terræ in centro terræ. Forte huc referuntur uerba illa Psalmo. 73. Operatus est salutem

Oo in me-

in medio terræ liberando Sanctos Patres. Penetrabo omnes inferiores partes terræ,& illuminabo,&c.Ecclesiastici 24.Psalm.62. Eruisti animam meam ex inferno inferiori, ita etiam infernus appellatur abyssus,stagnum, lacus. Apoc.15. Missi sunt in stagnū ignis cap.20.Misit eum in abyssum & ligauit,& clausit.Luc.8. rogant dæmones Christum ne mittat eos in abyssum. Es.14.Inferni uultus conturbatus est.Es.14. Detracta est ad inferos superbia tua ita Psal.dicit profundum inferni.Es.7.siue in profundum inferni. Iob.40.profundus inferni. Ita ponūtur quasi tres regiones distinctę uiuentium.Cælestium,Terestrium,& Infernorum.Philipp.5. Apoc.5. nemo inuentus est,neque in cœlo,neque in terra, neque subtus te rram.

Secundò,Ex Patribus Isidorus ubi supra, dicit esse in corde terræ.Diuus Augustinus,lib.quæstionum in Num.q.19.dicit:Manifestum est inferiores partes terræ inferorum uocabulo esse nominatas,& ibid.plurima habentur similia,lib.12.super Genes.cap.34. Ideo sub terris dicuntur inferi,& creduntur.

Diuus Hieronymus in commen. in cap.2. Ionæ dicit. Per cor maris significatur Infernus, pro quo in euangelio legimus in corde terræ.Quomodo autem cor animalis in medio est, ita & infernus in medio terræ esse perhibetur.

Tertull.lib. de anima cap. de receptu, dicit. Nobis inferi non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ,& in alto uastitas,& in ipsis uisceribus eius abstrusa profunditas, si quidem Christū in corde terræ legimus,&c. & capit. sequenti plura habet.

Ireneus lib.5.aduersus hæreses cap.31. Descendit Dominus ad inferos extrahere eos qui dormierunt,quemadmodum enim fuit Ionas in uentre cæti tribus diebus,& tribus noctibus,sic est filius hominis,in corde terræ.

Hieronymus in cap.4. Ephes. Quod infernus in inferiores partes terræ sit, Psalmista testatur, dicens. Aperta est terra deuorauit Datham,& operuit super congregationem Abyron.

Euthi. in id Matt. 21.In cor terræ ait significat profunditatem.

Hilarius ibidem refertur in Bibliotheca Patrum, tribus diebus & tribus noctibus ostendit se futurum in inferiora terræ.

Cyrillus Alexādrinus oratione de exitu animæ. Animam Etiopes illi in terrarum opaca deducent. Et aperta telluris solidissimis compedibus reuinctam in terram tenebrosam, & fulginosam in infimas infernorum carcerū partes ac herebi custodias deiiciunt. Huc demerguntur animæ impiorum. Clamatè profundis,&c. & infra.Iusti in cœlo,peccatores in abysso.

Hugo Victorinus lib.4.de anima cap.13.infernus est lacus sine mensura profundus sine fundo.

Ephrem.lib.de uera pœnitentia cap.7.Gehennæ ignis locus est proprius inferi,& inferiora terræ alius locus.

Diuus


Diuus Gregorius lib.4.dialogorum, cap.42. Cum ad aperiendum librum nullus sub terra inuentus dignus dicitur, quid obstat non uideo, ut sub terra infernus esse credatur.

Tertiò, Ratione quia maxime decens est, ut ij, qui se a Deo per peccatum maxime elungare studuerunt, in æternis cruciatibus à Deo etiam, & beatorum commertio, quam maxime elongentur; nullus est autem locus à cœlo remotior, quam terræ centrum à quo omnes lineæ ductę ad peripheriam ipsius cœli sunt ęquales.

Quartò, Quia huic loco proprietates, quæ de inferno dicuntur maxime conueniunt, quod obscurus sit, quod profundum, quod abyssus, quod tartarus, quod gehenna, quod baratrũ, quod chaos, stagnum, &c.

DISPVTATIO XIX.

Vtrum Infernalis ignis sit corporeus.



Vit error Prisciallianistarũ, ut refert Orosius in commonitorio ad Augustinum, est inter opera Augustini tom. 6. qui ignem putarunt esse metaphoricum Philo. Iudęus lib. de congressu quærendo eruditionis causa, putauit tartareum ignem nihil aliud esse, nisi cruciatum illum, qui adeo conscientiam mordet, torquet, affligit, qui metaphorice etiam uermis, dicitur: eius uerba referuntur a Xisto Senen. lib.5. annot.93. Cicero in Tusculanis disp. & oratione in Pisonem, & per Sexto Roscio. Stoici, mira de hoc igne dixerunt nullam aliam pœnam, præter hanc statuentes, stoicorum princeps Seneca epistola 16. ad Lucillum. Prima & maxima peccantium pœna est ista, peccasse. Pœna maxima nocte dieq; gestare in pectore testem. At quod grauius est. Diuus Augustinus in hoc errore fuisse vr, quia lib.21. Ciuit. c. 10. dicit: Dicerem quidem arsuros sine ullo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos diues ille, quando dicebat, crucior in hac flamma, nisi conuenienter responderi cernerem talem fuisse illam flammã, quales oculi, quos leuauit, qualis lingua, qualis digitus Lazari, vbi tamen erãt, sine corporibus animæ, sic ergo, & incorporalis illa flamma, &c. qualia sunt etiam uisa dormientium, siue in extasi cernentium res cum corporales, habentes, tamen similitudinem corporum & in eodem libro, capit.7. uehementer approbat hanc sententiam.

Maxima pœna est peccasse.

Ruffinus etiam hunc errorem impingit Sancto Hieronymo, quia in Esaiæ, cap.66. dixit ignis, qui non morietur, & uermis, qui non extinguetur a plerisque conscientia suscipitur peccatorum, quæ torqueat in supplicijs constitutos. uide Xistum Senen. lib.5. annot.229.

Verum absit ab auribus fidelium, ut tantæ impietatis macula

Sanctissimos doctores & Ecclesiæ lumina infecta esse credantur. Purgabunt igitur Hieronymum loca quam plurima ipsius, quæ breuitatis causa prætereo, quia in unum collecta repperies, in Hieronymiana confessione tom. 4. cap. 1. art. 1 2.3.5.6.7.& 8. ubi de igne Purgatorij loquens realem ignem intelligit, patebit etiam ex locis, quos infra afferemus. Et Augustinum purgabunt loca quæ adducetur infra. Quoad locum uero supra citatum attinet purgabit illum optima explicatio Nicolai Triuetij in comm. in lib. de Ciuit. Dei dicit Diuum Augustinum, qui in toto eo capite & superioribus docuerat ignem esse corporeum, non protulisse ea uerba, ut suam sententiam destrueret, sed ut ostenderet assertionem suam de igne corporeo non posse ex illo loco Lucæ demonstrari quia sic conuenienter quis respondere posset, ut ipse dixit. lege Xistum Senen. lib. 5. biblioth. Sanctæ annot. 40. Eandem sententiam docuit Auicenna, lib 9. Metaph. cap. ultimo. Nouissime hunc errorem suscitauit Ambrosius Catharinus in opusculo de premio bonorum & supplicio malorum. Quod etiam probat.

Primò, quia Matth. 25. dicit Dominus. Ite in ignem æternum paratum diabolo & Angelis eius, sed ignis paratus diabolo & Angelis eius non potest, esse corporeus, ergo minor probatur, quia Angeli non sunt corporei, ergo neque ille ignis.

Secundò, si hic ignis est corporeus, debet etiam esse in loco corporeo, sed hoc est falsum, ergo probo min. nam maior est certissima, quia si ignis esset in aliquo corporeo loco maxime esset in inferno: sed hoc est falsum, quia dæmones, qui ad hominum in pugnationem sunt in hoc aere caliginoso, uere dánati sunt, & cruciantur, sine dubio, non tamen igne illo corporeo. Qui enim fieri potest, ut ignis existens in centro terrę excruciet, dæmones existentes in hoc aere, tenebricoso?

Nec responderi inquit potest, quod respondere solent scolastici quidam doctores, qui magis argumentum uel subterfugere, uel eludere conantur, quam soluere uel satisfacere. Quod dæmones ignem secum quocumque feruntur deferunt, hoc enim esse non potest, quod secum trahant ignem illum corporeum, namalioqui totus hic aer igne ęstuaret, sed præterea quando dęmones ingrediuntur in corpora obsessorum, quomodo non illo comburerentur energumeni & arreptitij?

Tertiò, Christus Dominus in Euangelijs hunc ignem opponit præmio bonorum tamquam summum ac maximum malum, Matth. 25. Venite benedicti Patris mei percipite regnum &c. & Ite maledicti in ignem æternum, & infra. Ibunt ij in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. At cruciari igne corporeo, siue in corpore, siue in anima, non est summum illud malum, quod opponitur summo illi bono; quia sicut summum bonum est frui Dei uisione, ita summum malum est, priuari beata uisione. Hæc igitur priuatio erit ille ignis nobis comminatus,

tus tamqam carnalibus, qui spiritualia intelligere non possumus, nisi sub sensibilium uelamine; Imo nobis uideretur parum priuari tantum beatifica uisione, ideo sacrę litterę hanc priuationem compararunt, pœnæ ignis quæ maxima nobis uidetur.

Quartò, quia Sãctus Thomas licet cum Scolasticis uellet hunc ignem tueri esse corporeum, tamen in 4.d.50.quęst.1.art.3.ad primum in solutione cuiusdam argumenti, & ipse a ui argumenti atque ab ipsa ueritate coactus clare confessus est, pro illo igne nobis comminato. Matt. 25. omnem pęnam & afflictionem intelligi.

Quintò, Si aliquid maxime cogeret, ut ignem illum fateremur esse corporeum maxime esset, quia sacrę litterę simpliciter appellant illum ignem; at hoc argumentum infirmum est: cum ratio oppositum doceat, alioqui etiam quando Dominus dicit Actorum 3. Vos autem baptizabimini Spiritus Sancto & igne, deberemus sicuti etiam quidam alij decepti ui uocis fecerunt, inurere corpus ac dehonestare faciem, adustione ignis, ignorantes metaphorice ignem debere sumi sicut & in alijs locis. Ita cum Dominus dicit. Qui uult uenire post me abneget se met ipsum & tollat crucem suam & sequatur me; deberemus id efficere, quod de quibusdam Monacis carnaliter sapientibus scripsit Cassianus, qui uolentes Christum imitari, cruces quasdam ligneas ingentes, ac pergraues, semper suis humeris gestabant. In quot absurda incurrant qui sacras litteras carnaliter intelligunt.

Sextò, Ipse Christus Dominus ostendit hunc ignem metaphorice esse accipiendum, qui simul hæc duo coniunxit, ignem & uermem. Marci. 9. Vermis eorum non moritur & ignis eorum non extinguitur. At uermis metaphorice ab omnibus explicatur, ergo etiam ignis metaphorice est accipiendus; non enim par uidetur, in una eademque colligatione uerborum unum metaphorice, interpretari, alterum proprie capere.

Septimò, Satis inquit, mirari non possum, quod qui locus maxime facit aduersus opinantes eiusmodi corporeum ignem, eo m̃ maxime moueantur, Qm̃ enim diues epulo in Euangelio introducitur implorasse in inferno auxilium a Lazaro quoniam cruciabatur in ea flamma, quasi euictum acceperunt, quod flamma illa esset uera, & materialis proculdubio petentes principium, nam hoc est quod uenit in quæstionem primum, sed quod ibi metaphorice accipi debeat magna ratio est, quod totus ille sermo metaphoris scateat quam rem & ipse met Augustinus acute considerauit in hunc modum super eo disceptans. Dicerem quidem sic arsuros sine ullo corpore suo spiritus, sicut ardebat apud inferos diues ille quando dicebat, Crucior in hac flamma, nisi conuenienter respondere cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos leuauit, & Lazarum uidit, qualis lingua cui humorem exiguum desiderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulauit, ubi tamẽ erant sine corporibus animę.

Octa-

Octauò, Qui sententiam illam sequuntur, quod ille ignis sit materialis atque corpoeus in maximas se se angustias conjiciunt, non ualentes explicare, quomodo corporeus ignis agat in spiritus incorporeos. Ita enim dicunt, in hoc esse maximam dæmonum pœnam, quod ipso igne quasi loco uilissimo inuiti detinebuntur, Quod tamen inquit, & fit cum omni honore qui uere sanctis, ac doctis uiris debetur, est merum commentum, non habens ullum scripturarum testimonium, nec ueritatis aliquem colorem. Quare enim non potius terreus, aut feculentus carcer, quã igneus assignabitur? erit enim uilior; Deinde quia ineptum uidetur tribuere loco primam, ac principalem pœnam, Tertio quia non dant officium suum igni, quod est cruciando dolorem inferre, sed potius uerum esset dæmones cruciari, quam ignem cruciare dęmones, cum tamen scripturæ contrarium doceant scilicet esse cruciandos, non detinendos.

Nonò, quia in hac nostra sententia, inquit nullum est periculũ, quia ita Patres docuerunt Damasc. euidenter dixit ignem illum non esse materialem, qualis ille est, qui est apud nos, & D. Augustinus dicit, neminem scire posse, qualis sit ille ignis, nisi ex diuina reuelatione. Imo D. Tho. 4. d.44.q.1.art.3. ad tertium super hac re suspendisse uisus est iudicium.

Contraria tamen sententia est communis omnium fidelium, ideo firmiter indubitateque de fide tenenda ideo sit.

Ignis inferni uere & proprie accipiendus.

Conclusio unica decisiua. Ignis inferni est uerus ac proprius ignis, ideoque uere & proprie accipiendus. Hæc conclusio est de fide probatur.

Primò, ex scripturis, quæ ignem appellant Matth. 5. Gehenna ignis in capitu. 13. sæpe repetitur hic ignis cap. 18. Mitti in ignem æternum, & rursus mitti in Gehennam ignis cap. 25. In ignem æternum paratum diabolo & Angelis eius. Marci 9. ignem inextinguibilem 1. Cor. 3. opus tamen quale sit ignis probabit 2. Thessalon. 1. in flamma ignis dantis uindictas 2. Pet. 3. reseruari igni in diem iudicii. In epistola Indę. Ignis pœnam sustinentes Apoca. 11. Ignis exiet de ore ipsorum cap. 14. cruciabitur igne ac sulphure. Apoc. 20. & 21. stagnum ignis. Dices, hæc testimonia nihil probanr quia omnia de igne metaphorico possunt commode explicari, sed contra & fit.

Secundum argumentum Sacræ litteræ sæpissimè, ut patuit de hoc igne loquũtur, neque unquam cum de pœnis agitur indicãt se figurare loqui, quare nullus in toto scripturarum corpore, atque contextu repperietur locus, in quo de inferni uel purgatorij igne fiat mentio, & accipiatur ignis, metaphorice, ergo neq; nos metaphorice explicare debemus. Imò ex alia parte sunt loca quamplurima, quæ clare aperteq; conuincunt esse proprie accipiendum quia, actiones ignis illi attribuuntur quæ igni uero conueniunt; ut habere locum proprium urere, cremare, crucia-

re

re, torquere &c. Iudith cap. 16. Dabit ignem, & uermes in carnes eorum; ut urantur, & sentiant, usque in sempiternum, quid clarius? Apoc. 14. Qui adorauerit bestiam cruciabitur igne, & sulphure, cap. 18. duplicate supplicia, cap. 19. Viui missi sunt in stagnum ignis, & sulphuris Apoc. 21. Pars illorum erit in stagno ardenti, igni & sulphure, quod est mors, secunda & rursus diabolus missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi bestia, & pseudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte Esa. 33. quis ex uobis habitare poterit, cum ardoribus sempiternis, atque igne deuorante, Psal. 20. Pones eos, ut clibanum ignis.

Quæ optima regula explicādi sacras literas.

Tertiò, Adest regula explicandi sacras litteras, quam nobis tradiderunt sancti Patres, August. lib. 8. de Gen. ad litteram, cap. 2. & lib. 3. de doctrina Christiana, c. 10. ut cum loca scripturę possunt absque fidei, uel morum periculo explicari, prout uerba sonant debeant explicari, At si illa loca intelligantur, prout uerba sonāt pro igne uero, nullum plane exurgit, uel contra fidem, uel contra bonos, mores periculum, ergo debent ea ratione explicari.

Quartò, adest optima regula, imo optime regulæ explicandi sacras litteras quas collegit eruditissime ex Patrum sententiis Georgius Ederus, in Oeconomia Bibliorum lib. 1. de partitionibus Theologicis. Et sacrum Concilium Triden. sess. 4. in decreto de editione, & usu sacrorum librorum, ut iuxta unanimem Patrum consensum debeant explicari. Patres autem communiter interpretantur de uero igne, ergo minor infra patebit, ideo sit, quintum argumentum.

Quintò, probatur ex sanctis Patribus. Gregor. 4. dialog. cap. 29. ignem inferni corporeum esse non ambigo, D. Hieron. epistola ad Ephes. super illa uerba cap. nemo nos decipiat inanibus uerbis, dicit. Quia sunt plerique qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum conscientiam delicti esse pro pœna, dum uermis in corde, non moritur &c. Has itaque persuasiones, & descipulas fraudulentas Paulus uerba inania appellauit, & uacua quæ uidentur florem quendam habere sermonis, & blandiri peccātibus, sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt, ad æterna supplicia. D. August. in lib. 21. Ciuit. Dei, cap. 20. dicit. Quid igitur ostendam unde conuincantur incredibili potentia humana corpora animata, atque uiuentia, non solum nunquam morte dissolui, sed in ęternorum quoque ignium durare tormentis, lib. 21. Ciuit. cap. 2. cur facere non possit Deus, ut resurgant corpora mortuorum, & crucientur igne æterno? ibid. cap. 8. At uero gehenna illa, quæ etiam stagnum ignis est sulphuris dictum est corporeus ignis erit, & in responsione, ad Orosium, contra Priscillianistas, & Origenistas determinat ignem esse corporeum plurima loca D. Aug. pro hac re repperies apud confessionem Augustinianam, in lib. 4. cap. 11. & apud Bartholomæum de Vrbino in milleloquio ueritatis uer

bo

bo infernus Cyrillus Alex. lib. de exitu animæ omnia quæ de inferno dicit manifestat se ponere corporea. Prosper lib. 3. de uita contemplatiua. Continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus torquens animas, nec extorquens, Ignis inextinguibilis &c. Isidorus ubi supra Ioannes Cassianus. 1. par. confessionis Theologicæ, illic ululatus, & planctus gemitus, & mugitus continue sonant ubique clamor, ubique confusus attollitur, quem dura uis tormentorum exagitat, & incendii arsura extorquet. D. Aug. lib. de triplici habitaculo fletus, & liquefactio oculorum, ex calore nascitur, quia ut dicit Iob. Ad calorem nimium transient, ab aquis niuium. S. Cyprianus in serm. de Ascensione Domini. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter Sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur. Inno. iij. lib. de contemptu mundi, cap. 6. Ignis gehennę, nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed a Deo creatus est inextinguibilis. His adde consensum omnium scolasticorũ partim, in d. hac, & sequente, partim, in 4. dist. 45. quibus, adde Athenagoram lib. de resurrectione. Franciscum Georgium in sua harmonia mundi Cant. 3. tono 7. cap. 16. & 17. Auctores controuersiarum citatos, in tract. de hac re, ac proinde consensum omnium fidelium. Impium autem esset omnes prædictas auctoritates scripturæ, & sanctorum mystice interpraetari, cum ad litteralem sensum possint intelligi. plurimas alias auctoritates, ac testimonia Patrum habebis in sequenti disputatione.

Sexto, assignanda est aliqua grauis pœna corporibus, at nulla pœna corporalis grauior est pœna ignis. ita D. Augustinus lib. de uera & falsa penitentia cap. 18. ergo.

Septimò, In peccato duo insunt scilicet auersio & conuersio, auersioni debetur pœna damni, quæ consistit in carentia uisionis beatificæ, conueniens igitur est, ut & conuersioni debeatur pœna sensus.

Octauò, Adest communis consensus Ecclesiæ a quo nullo modo est recedendum, ad quem nos hortantur sacræ litteræ, ut unanimes uno ore confiteamur Christum nec sint in nobis schismata. lege quæ hac de re docte scribit Conradus Clyngius in lib. de locis Theologicis communibus cap. 116.

Ad argumenta Ambrosij Catharini. Ad primum, Respondeo ignem corporeum nõ solum corporibus, sed etiam spiritibus pœnam maximam inferre, ut patebit disputatione sequenti; Dici autem ibi paratum diabolo, ut sciant homines non ideo, se esse creatos, ut igne cruciarentur cum dæmonibus, sed ut saluarentur. At quia maluerunt peccando diabolum imitari, ideo cum ipso pœnas dabunt, in eo igne qui non hominibus cruciandis, primario, sed dæmonibus, tantum conditus erat.

Homines creati non sunt ut igne crucientur in inferno.

Ad secundum Respondeo hunc ignem ut supra patuit esse in inferno tamquam in propria sede. Quia autem ex singulari quadam

dam Dei Optimi dispensatione & prouidentia ad maiorem electorum suorum gloriam, dæmones in hoc tenebricoso aere ad exercendos homines continentur. Ideo uirtute diuina illos subsequitur semper ac comitatur ignis. Qui quidem ignis quemadmodum ut sequente disputatione patebit, non agit in spiritus nisi ut instrumentum diuinæ iustitiæ, non uirtute propria; sed uirtute Dei, ita illa uirtus dirigit, ac determinat hunc ignem, ut agat in solos dæmones non autem in homines, siue arreptitios, & energumenos, siue non. Sicut etiam in camino trium puerorum, ignis a Deo facultatem habuit comburendi uincula, non pueros, urendi caldęos, non Iudęos.

Dæmones cur sint in hoc aere caliginoso.

Ad tertium, Respōdeo æterno præmio duplex opponi malum, alterum carentiā uisionis beatificæ, cum dicitur. Discedite a me, maledicti, alterum ignem cum dicit in ignem æternum, primum est maius malum, quam secundum & in illo consistit essentialis damnatio. In hoc autem consistit accidentalis damnatio, per pœnam sensus, inter quas summa est pœna ignis.

Carentia uisionis diuinę maius est malum quā pęna sensus.

Ad quartum Respondeo. Ambros. male intellexisse mentem. D. Tho. neque enim dicit D. Tho. quod pœna ignis metaphorice sumatur, pro omni afflictione; sed dixit sumi proprie, & præter pœnam ignis, esse etiam alias afflictiones, pęnalitates, ut frigoris uermium &c. has tamen afflictiones dicit significari, per pœnam ignis, tamquam per principalem sicuti & B. Augustinus dixit in inferno duas pœnas esse præcipuas scilicet ignis, & frigoris, & ex ijs plurima alia pęnarum genera nasci.

Ad quintum, Respondeo & ipsas sacras litteras, & Sanctos Patres, & Ecclesiæ consensum communem, alibi explicare, quando ignis sit proprie, & quando metaphorice sit accipiēdus; & in hoc loco docere, proprie esse accipiendum, Cum enim dixit igne baptizari docet, per ignem intelligi spiritum sanctum.

Ad sextum, Respondeo, primo & ignem, & uermes proprie accipi, pro igne, & uermibus realibus, a quibus uorabuntur carnes damnatorū, ut supra ostendunt Patrum testimonia, & satis colligitur ex illo. Esa. 14. subster te sternetur tinea, & operimentum tuū erunt uermes. Sepissime uero dico per uermem in singulari significari metaphorice conscientiam, seu stimulum, & remorsum sin detesis. Neque in in hoc esse aliquid unde possit Amb. spiritum sanctum reprehendere, quod in una locutione, duo concluserit; quorum alterum proprie, alterum metaphorice sit accipiendum. Imo infero ego summas, ęterno spiritui agendas gratias, quòd uerum harum rerum sensum, sanctis Patribus instillare dignatus sit, quorum nos explicationem sectemur.

Ad septimum, Respondeo ex illo loco haberi, flammas quidem esse materiales, reliqua forte fuisse, vel in assumpto corpore ad nostram instructionem proprie intelligēdas, sicuti persæpe docet S. Gregorius in lib. 1. dialogorum fieri solere reuelationes, ac mani

Reuelatiões ad informationem nostram fiunt.

festationes quasdam, Quod si hæc omnia metaphorice sint, intelligenda, ut uisus est uelle. Sanctus Augustinus ubi supra dicamus præter hunc locum, plurima alia superesse loca, unde sententiam nostram clare deducamus.

Ad octauum, Respondeo uere illud argumentum concludit, quod ignis non cruciet tãtum in ratione carceris, sed reali actione, ut dicetur in disp. seq.

Ad nonum, Respondeo Damascenum, non negasse illum igné esse realem, sed dixisse tantum, non esse nostro similem, qui scilicet sicci spiritus exhalatione, & exarsione nutriatur. Ideo docuit Sanctus Augustinus se nescire qualis sit, quia licet sit corporeus, nõ est sicuti noster urens & lucens, cum ille urat, non luceat, quia uox Domini intercidit flammam ignis, separando ab eo lumen ad beatorum gloriam, & arsionem ad pœnam damnatorum.

DISPVTATIO XX.

SECTIO I.

Quomodo Dæmones, & animæ cum sint immateriales patiantur ab igne corporeo.

Quidam in explicatione Euangelii diuitis dixerunt animas in inferno habere corpus quoddam aereũ in quo pati possint ab igne. Videtur hæc sententia esse D. August. lib. 12. de Gen. ad litteram, cap. 13. & lib. 11. ciuitate, capit. 23. sed hoc anile figmentum est quia anima est actus corporis organici Physici potentia uitales operationes habentis 2. de anima initio per multos textus, corpus autem aereum non est organicum. Deinde, quid de dæmonibus? Inter Scolasti cos doctores.

Prima sententia est dicẽtium animas, & demones pati ab igne, nõ quod corporeus ignis realiter agat in corpora, sed quòd demones, & aĩæ ita apprehendentes ignem contra se positum, perinde ex forti illa imaginatione cruciantur, ac si reuera in illos ageret ignis, quod aptissimo dormientium exemplo explicant. Accidit enim dormientem somniare se in ardentem fornacem intrudi; uel aquarum fluctibus obrui, uel in hostes, aut in lupum incidere, Adeo autem cruciatur ille dormiens; ut crebro anxioque anhelitu; toto corpore contremiscat, exæstuet, desudet, palpitet. Tanta passione afficitur, ut etiam experge factus uix sedari possit. Hanc sententiam docuit Auicenn. 9. met. cap. ultimo. D. Bonau. 4. d. 44. q. ultima, qui dicit diuina uirtute fieri, ut ab ea apprehensione desistere non possint, sed timeãt timore, ubi non est timor, Aegidius

dius quodlibeto 2.q.9.a qua sententia non longe abest Ochan. Ar gent.dist.44.q.prima art.4.Petrus Messias 2.par. syluę uariarum le ctionum cap. 9 Sententia Durand.dist.44.q.11. dicit, quia apprehendunt eo igne cremanda esse sua corpora: dæmones uero tantum pœnam pati quæ exprimitur nomine ignis. Vincentius Giac harus Opuscu. de inferno ante medium probabilem censet Hæc sent entia probatur.

Primò, Ex Diuo Gregorio.4.Dialogorum,cap.29.qui dicit teneri autem spiritum per ignem dicimus,ut in tormento ignis,uidendo, atque sentiendo puniatur. Ignem namque eo ipso punit quod uidetur,& quia cremari se aspicit,crematur, sicque fit,ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne uisibili ardor, ac dolor inuisibilis trahitur;ut per ignem corporeum mēs incorporea, etiam in corporea flamma crucietur. D.Augus 12.de Genes.cap. 32 dicit:Quamuis ergo non sint corporalia, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, siue bene, siue male cum ipse corporibus suis similes sibimet appareant,;sunt tamen,& uera lætitia, & uera molestia facta de substantia spirituali;nam & in somnis magni interest,utrum in lætis an in tristibus simus. Vnde quidam in rebus,quas concupierant constituti,se eui gilare doluerunt,&c. & rursus grauibus doloribus,atque cruciatibus exagitari lib.21.Ciui.cap 10.habetur illa opinio diuitis,scili cet allata de spiritu,& anima,capit.30. Animæ si quidem,quæ in corporibus uiuentes per dilectionem rerum uisibilium corpora libus imaginibus afficiuntur,à corporibus exeūtes in eisdem imaginibus tormenta patiuntur.

Secundò, Ratione demonstratur enim in Physicis ad omnem actionem realem requiri aliquem contactum,uel realem,uel uirtualem; At inter animam pure spiritualem, & dæmones, & inter ignem nullus potest esse contactus, quia hic est corporeus materialis, illi incorporei immateriales.

Tertiò, Si realiter ignis cruciaret spiritus uel cruciaret, per aliquam qualitatem materialem,uel spiritualem neutrum dici potest, ergo. probatur, minor non per materialem,quia materialis qualitas,non potest recipi in subiecto spirituali, quia à materia debeant in esse,fieri,& conseruari.Non per spiritualem,quia è contra nulla qualitas spiritualis, & immaterialis, potest esse in subiecto materiali, atque corporeo,quale est ignis.Nec potest dici,quia illa qualitas,quę est in igne sit materialis,ea uero quę recipitur in spiritibus sit immaterialis, si enim qualitas, quæ est in spiritibus producitur ab igne. quomodo poterit ignis per qualitatē materialem, quam habet in se producere qualitatemē immaterialem in spiritibus? nam inter producens, & productum: inter causam & effectum debet esse proportio,quæ esse non potest inter materiale,& immateriale.

Quartò, Quia sufficit quod saluetur realis excruciatio,& rea-

le supplicium, sed hæc optime hac ratione saluantur, quia ut dicit Diuus Augustinus sup uere dormientes afficiuntur, & realiter patiuntur, per imaginationem, s. quia anima, & Angeli, sunt substantiæ intellectuales, nihilque aliud sunt, quam intellectus, & uoluntas, intellectus autem pati, non potest nisi apprehendēdo aliquod sibi disconueniens, ergo.

Secunda sententia est dicentium, in corporeo igne poni qualitatem quādam supernaturalem, qua ignis, agere possit in spiritus, Hæc sententia est Henrici Gand. quodl. 8. q. 34. sed hanc euertit argumentum tertium, factum pro prima sententia. Adde quod qualitates supernaturales sunt perfectiones naturalium, & dantur ad gloriam non ad pœnam.

Tertia sententia est Soti. 4. d. 50. q. unica art. 2. à qua non longe abest Rainerius de Pysis in sua Pantheologia uerbo Pæna cap. 35. in fine. Quod anima eandem afflictionem & tristitiam patiatur quam passura est, cum habebit corpus, post iudicium; & quod ita patiatur, ac si tunc haberet corpus; hanc sententiam ipse non probat, & uere ex se est impossibilis.

Primò, Quia nihil dicit de dæmonibus.

Secundò, Quia illa pęna longe grauior est absque ulla comparatione, quam quæ posset per corpus, tantum naturaliter sentiri, D. Augustinus lib. de Pœnit. cap. 18. Ignis purgatorij miro modo grauis est, exceditque oēm pœnā quam quisque habuerit in hoc mundo licet incredibilia martyres passi sint tormenta, & multi nequiter tanta sustinuerint supplicia.

Tertiò, Quia adhuc tota difficultas integra est, qūo ita possit eādē pœnā pati, ab igne corporeo, ac si esset cū corpore quia tūc esset proportionatū passum agenti, nūc autem est in proportionatum.

Quarta sententia est D. Thom. 4. d. 44. q. 3. art. 11. q. 3. & quodlibet. 2. art. 3. quodl. 3. art. 2. p. p. quæstio. 64. articu. 4. Caietanus ibidem, & oratione habita coram Iul. II. Banes, Ferarr. Capreol. Bonauent. Ricc. Argenti. Palud. distin. 44. q. 7. quod spiritus non patiantur realiter, ab igne corporeo, per aliquam qualitatem productam ab igne, sed quod patiantur tantum ex eo, quod maneant detrusi, & ligati contra ipsorum libertatem in loco disconuenienti, id enim adeo ipsis graue est, ut maxime crucientur ad instar canum, qui soli cathenæ alligati eiulantes torquētur, cruciantur, languent. Tartare. d. 44. q. 1. Scotus 4. d. 44. Georgius Bustus in quæstionibus Theologicis, quæstione de grauitate pœnæ purgatorij dicit per diuinam potentiam, ut instrumentum ignem in ratione carceris, tantum affligere.

Hanc sententiam Thomistæ uix probant, uel auctoritatibus sanctorum, uel rationibus, sed potius ex aliarum impugnatione.

Quinta sententia est aliorum dicentium posse ignem corporeum cruciare spiritus, ex eo quod illis non in ratione actus, & potentiæ formæ & materiæ, sed in ratione agentis & passi, sed

hæc

hæc sententia supponit, quod est probandum. Quæro enim quomodo possit fieri ista unitio in ratione agentis, & passi, si ignis non potest in ipsis agere, prius enim probandum est, quod & quo modo possit ignis agere in spiritus, deinde quod possit uniri in ratione agentis & passi.

Sexta sententia est dicentium ignem uirtute diuina, & tamquam instrumentum diuinę iustitiæ posse spiritus cruciare, realiter torquendo urendo &c. Ioseph. Angles 2.p. quęstionum Theologicarum in 4. sent. quæst. de miseria damnatorum dub. 1. conclusione 2. Raimundus de Sabunde in Thesauro diuinarum considerationum cap. 164. Meffret in suo hortulo reginę parte ęstiuali serm. 60. Viguerius in sua institutione cap. 21. tit. de iudicio generali. Ver. 1. de sententia malorum. Io. Baptista Folengius in comm. in 2. D. Pet. 2. ubi etiam dicit diuina uirtute secum trahunt dæmonia ignis incendium, quocunque ferantur. Lactantius Firmianus lib. 7. diuinarum institutionum cap. 21. ubi egregiam de inferno sententiam affert. Vincentius Giacharus opusculo de inferno. Ricc. di. 44. Pelbartus 4.p. Rosarii uerbo iudicium 5. §. 44. Didacus Stella in comm. in cap. 16. Lucæ ibi crucior in hac flamma. Iansenius cap. 45. concordię Euang. non solum detineri sed etiam cruciari. Quæ sententia adeo mihi semper placuit, ut nulla ratione alia mihi persuaderi potuerit, sed tamē antequam ad conclusiones deueniam, censeo hic afferenda argumenta, quibus a doctoribus sententia illa impugnari solet, impugnatur autem.

Primò, Quia non potest aliquid tamquam instrumentum concurrere ad agendum, nisi per aliquid sibi proprium dispositiue operetur ad effectum principalis agentis, sed ignis respectu spirituum nullum plane effectum potest habere per quem disponant ad cruciationem, quia corpus in spiritum, nulla ratione agere potest, ergo maior patet quia alias nulla esset causa, cur assumeretur.

Secundò, si agit uel agit secundum aliquam qualitatem spiritualem, uel materialem, si primum quomodo hæc qualitas, est in igne materiali, ea enim est improportio inter qualitatem spiritualem, & ignem quæ inter Angelum & ignem: si secundum quomodo hæc qualitas materialis attingit spiritum?

Tertiò, Dolor & passio, & cruciatio, passiua sunt qualitates ex natura sua materiales, at spiritus non potest esse subiectum istarum materialium qualitatum, ergo. Confirmatur quia ardere, uri, cremari, corrodi, uapulare, cathenis pręmi, & constringi, sunt corporum propria, ergo.

Quartò, Quia dolor secundum medicos consistit in nimia uel partium condensatione uel diuisione partis a parte, quæ esse non potest in spiritibus.

Quintò, Dolor eatenus est disconueniens animali, quia est uia ad interitum at spiritus sunt immortales, ergo.

Sextò, Dæmones qui sunt in hoc aere caliginoso uere crucian-

ciantur alioqui essent absque pœna damnati, sed ignis inferni est in centro terræ, ergo nō agit in ipsos. Dices diuina uirtute, ut instrumentum agere in spiritus: sed contra quia ne per potentiam quidem absolutam fieri potest, ut aliquid agat in aliud absque contactu, quia si Deus non esset infinitus & immensuis; ideoque omnibus presens & omnia tangens non operaretur ubique.

Dices secundo, Deferunt se cum ignem infernalem, Contra nam comburerentur energumeni, & alia omnia quibus accederent dæmones, secundo uideretur a nobis, sentiretur, a nobis quia ille ignis est corporeus, & sulphureus; et quia necessario agit tamquā agens naturale, combureret necessario omnia alia, at est contra experientiam si rursus diceres diuina uirtute cohiberi, iam poneretur nouum miraculum continuum; quod Theologo uidetur indiguum, ergo. His positis tollitur dubitatio.

SECTIO II.

Deciditur controuersia.

Spiritus non cruciantur in inferno imaginarie.



Rima conclusio spiritus non cruciantur tantum per solam apprehensionem, ut uolunt doctores primæ sententiç, probatur.

Primò, Ex locis scripturarum, ut illud quod habetur Iudith. 16. Dabit ignem & uermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant, usque in sempiternum. Apoc. 14. Qui adorauerit bestiam, cruciabitur igne & sulphure cap. 18. duplicate supplicia, c. 19. Viui immissi sunt in stagnum ignis, & sulphuris. Apoc. 21. pars illorum erit in stagno ardenti igni & sulphure, quod est mors secunda, & rursus diabolus missus est in stagnum ignis & sulphuris ubi bestia, & pseudo prophetæ cruciabuntur die ac nocte. Psalmo 10. Pluet super peccatores laqueos ignis sulphur pars calicis eorum. Psalmo. 20. Pones eos ut clibanum ignis, idest ut fornacem. Iob. 20. Omnis dolor irruet super eos. Matt. 25. In suplicium æternum. Item In Euangelijs quinquies habetur ut notat Iansenius in cap. 45. Concordiæ proiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. D. Hieronymus in regula ad Eustochium in tom. 9. dicit: Vt exprimatur in eis scilicet tenebris exterioribus, quicquid doloris, & acerbitatis excogitari potest.

Secundò, Et auctoritate eadem D. Gregorij, quam ipsi citant, statim enim post illa uerba relata ab ipsis, subdit hæc. Quamuis ex dictis Euangelicis colligere possimus quia incendium anima non solum uidendo, sed etiam experiendo patiatur, quod in sequentibus capitibus 30. 31. 32. probat exemplis Theodorici Regis, Reparati, & Eurialis lib. 9. moralium capit. 45. Inferni inquit clau-

claustra, quos puniendos accipiunt nequaquam pœna transitoria, uel phanta ... imaginatione, cruciant, sed ultione solida perpetua damna ... ne seruant.

Pœnæ inferorum sunt ultiones solidę.

Rupertus Abb. lib. 3. de Trinitate & eius operibus cap. 33. spiritibus quoque malignis, ignem pęnalem esse non negamus, ignis namque æternus iuxta Euangelicam ueritatem paratus est diabolo & Angelis eius.

Diuus Aug. de uera & falsa pęnitentia cap. 18. Ignis purgatorij licet non sit æternus, miro tamen modo grauis est excedit enim omnem pœnam quam quisque habuerit in hoc mundo; licet incredibilia martires passi sint tormenta, et multi nequiter sustinuerunt supplicia, ergo a fortiori ignis inferni.

Chrysost. epist. 5. ad Theodorum Grumuli pœnarum, seu niuis inundant. Prosp. lib. 3. de uita contemplatiua, c. 12. in ignem æternum cum Angelis expelli, ubi sit mors secunda damnatis exilium, uita suppliciũ: nam sentire, in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, ex candentis incẽdij terribiles crepitus pati baratri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi edacissimis in æternũ dilaniari uermibus, ac finiri. Cassianus. 3. par. confessionis Theologicæ, ibi horribiles dracones animas incredulorũ multipliciter, sine cessatione emittit. Illic ululatus, & planctus gemitus, & mugitus continue sonant, ubique clamor, ubiq; cõfusus attollitur, quem dura uis tormentorum exagitat, & incendij arsura extorquet, & infra flammarum atroci adustione cõsumitur, & ad rediuiua incendia, iterum qui adustus fuerit, reparabitur. Gehennæ lethale frigus glacies, indeficiens fames, pessima, sitis immensa, dolor perpetuus, continuus languor. Omnia ibi mala cuncta tormentorum genera.

D. Augúst. serm. 181. de tempore huius pœnæ, & ignis, illius potentiam nulla uox potest exponere, lib. de triplici habitaculo, cap. 2. Principalia duo sunt tormenta in inferno frigus intollerabile, & ignis inextinguibilis, de quibus duobus innumera pendent pœnarum, genera.

Infernaliũ pęnarum acerbitatem nulla uox potest exprimere.

Sanctus etiam Cyprianus in lib. ad Demetrianum. Cremabit addictos ardens semper gehenna, & uiuacibus flammis uorax pœna, nec erit unde habere tormenta possint, aut requiem, aut finem, & serm. de Ascensione Domini. In proprio adipe frixæ libidines bullient. Hugo Victorinus lib. de anima, cap. 13. ibi erunt omnia tormentorum genera, quorum minimum est maius omnibus iis.

D. Ambrosius in illud. 1. Cor. 3. ipse autem saluus erit, sic tamẽ quasi per ignem dicit. Ideo dixit sic tamen quasi per ignem, ut salus hæc non sine pœna sit. Quia non dixit saluus erit, per ignem ut merito suo ab igne non combustus, saluus fiat, sed dum dicit sic tamen quasi per ignem ostendit, saluum illum quidem futurum,

rum,sed pœnas ignis esse passurum,ut per ignem purgatus saluus fiat. Et non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur.

Ignis inferni uere urit, uere cruciat uere torqt.

Ex iis testimoniis scripturarum,& Patrum colligo aperte quod ignis damnatorũ urit,incendit,cruciat,torquet,& ipsi ardent,flagrant, cruciantur, torquentur; Vocant uiuacia, tormenta, supplicia ignis, & sulphuris, quæ omnes propositiones erunt falsæ, nisi ignis uere agat, sed si apprehensione tantum cruciantur falsa erit in proprietate sermonis, hæc propositio ignis torquet,cruciat,&c.quæ tamen passim sunt in sup.dictis. Temerarium autẽ esset dicere omnes illas Patrum, & scripturę locutiones improprie,esse intelligendas.Adest regula illa D.August.lib.3.Doctrinę Christianæ cap. 10.cit. Vnde concludo non posse hanc opinionem recte defendi. In communi enim loquendi modo, quando aliquis dormiens somniauerit, si expauescat, astantes dicunt, quid times, hic nihil adest, tibi malum infers,nihil tibi nocet,nihil te cruciat, nihil te molestat, præter teipsum, ita de iis damnatis dici posset.

Tertiò,sequeretur quod ipsi imaginationem deponentes,non amplius cruciarentur.Scio responsuros non posse deponere, sed tum recurram ad fundamenta præiacta.

Pœnæ inferorum non cruciani per solam carceratiõe.

Secunda conclusio.Pœna damnatorum spirituum non est,per solam carcerationem, aut detentionem uiolentam contra inclinationem,ut dicit, quarta sententia,probatur hæc conclus.

Primò,eodem argumento,quo prima ducto ex auctoritatibus scripturarum,& Patrum, nam si cruciantur, per solam carcerationem,ergo falsæ sunt, illæ propositiones ignis urit, ardet,cruciat,& ipsi spiritus sentiunt,afficiunt,cruciãtur,cremantur,urun tur. Quare recte fieri posse uideretur illa consequentia quam Ioseph Angles.2.par.quæstionum Theologicarum,in 4.sent.quęst. de miseria damnatorũ, conclusione prima infert. Ergo sequitur diuinam scripturam, ut terreret nos supposuisse falsum, ita diceret, & Lutherus hasce minitationes ignium, exarsionum, cruciatuum, suppliciorum, esse pias Ecclesiæ, & scripturarum fraudes, quod Christiano indignum est. Vel metaphorice intelligentur, quod mihi durum uideretur.

Secundò, in scripturis, & Patribus expresse ponuntur duæ pœne,s.ignis & carceris. 2.Pet.2.tradidit rudentibus,idest funibus, atque Cathenis, Apoc.21 cathena ligauit, &c. & præter illam etiam pœnã ignis, sulphuris,frigoris, exarsionis, supplicii &c. Vt quid igitur ad unicum genus pœnæ, coarctabimus Equidem id ego facere non auderem.

Tertiò, Si populo publice in concionibus explicaretur uere non cruciari animas nostras igne, sed solo carcere, nimis multũ ad peccandum laxarentur habenæ, gauderet populus, sibique lenibus uerbis blandiri gestiret.

Quartò,scriptura,& Patres plurima suppliciorum genera ponunt,

nunt, Carceratio est unicum supplicii genus.

Quintò, si per solam carcerationem esset hæc afflictio. Vt quid scriptura magis ignem, quam glaciem poneret? cur magis sulphurem, quam stercora? quam plumbum liquefactum; poneret? cur non magis æneos parietes, præruptas cauernas, horridos cautices, poneret?

Sextò, ergo dum dæmones sunt in hoc aere caliginoso huc illucque discurrentes terram circundantes, ac maxima libertate, huc illucque ad libitum uagantes, non cruciarentur.

Septimò, sequitur ex hac sententia aperte, magis cruciari homines quam dæmones, & magis cruciari animas, ante iudicii diem quam postea, hoc est absurdissimum, ergo minorem tanquam notam improbatam relinquam. probo maiorem, quia homines non solum paterentur carcerem, sicut & dæmones, sed etiam ipsorum corpora cremarentur, ergo.

Dices magis patientur extensiue, sed non intensiue. Contra intensiue augetur pœna, quando quis secundum plura membra patitur, verbi gratia, si homini præcidatur utraque manus, tantum, dolet una quantum alia, coniunctus autem dolor intensiue augetur, quare facilius morietur homo utraque abscissa manu, quam altera tantum, secundo probandum hoc est, quod intensiue non tantum patiantur quantum dæmones, cum præter animæ detentioné, & carcerationem sequatur etiam in corpore adustio. De animabus probatur. Quia post diem iudicii erũt anime in sua corpora, quæ naturaliter appetunt, & delectantur, inesse in ipsis, quare potius tantum carcerabitur corpus quam anima, quæ naturaliter appetit corpus, at ante iudicii diem carceratur sola anima, contra ipsius inclinationem, ergo.

Octauò, Quando Raphael Angelus ligauit dæmonium Satæ in superiores partes, Aegypti, ut legitur Thobiæ c. 8. Illud dæmonium ante legationem erat damnatus, & cruciabatur, ligatus uero fuit non in abysso, sed in deserto, ergo adhuc non ita erat carceratus, tamen cruciabatur igne; ignis ergo non cruciat tantum ut carcer. Confirmatur nam non legitur sicut, neque legetur Apoc. 21. imo nunquam in scriptura habetur, quod ignis sit carcer, sed tantum, quod est stagnum, &c. & infernus, carcer est.

Nonò, Et hoc est argumentum quodammodo demonstratiuũ Animæ in purgatorio cruciantur igne, & acerrime, ut dicit Augustinus lib. de uera, & falsa pœnitentia, cap. 18. sed ipsæ per non solam carcerationem punirentur, ergo per ignem, probatur min. Carcer eatenus affligit, quatenus uiolenter detinet impediẽdo libertatem, sed animæ purgatorij uoluntarie patiuntur, & uoluntarie ibi quiescunt, habentes per habitum charitatis mentem suam Deo conformatam, ergo ille carcer non impedit libertatem, imo est cõformis uoluntati ipsius. Certe cũ D. Macarius se ipsum sepeliuit usque ad collum uiuus, ibique per triennium mansit illa se-

pelitio illum cruciabat,nec tamen illi erat in uoluntaria,nec contra libertatem.

Tertia conclusio,Ignis inferni corporeus uerè,& propriè cruciat,& affligit, & urit spiritus, non uirtute propria, sed ut instrumentum diuinæ iustitiæ, probatur.

Primò, Quia cogunt nos hoc fateri, loca scripturæ, & Patrum non potest autem facere, hoc ignis uirtute propria, ergo ut instrumentum.

Secundò, Quia nulla apparet implicantia contradictionis, ergo antecedens probatur, quia si implicat maxime, quia ignis est corporeus,spiritus incorporeus,sed hoc non obstat, ergo prob.minorem.

Primò, Quia de facto Angeli tangunt naturalia corpora, & ista mouent,& agunt,Physice in corpora, ergo per aliquem contactum,si ergo ipsi tangunt naturaliter corpora, quare per omnipotentiam Dei corpora non tangent spiritus.

Secundò, Quia Sancti Patres dicunt uide, an possis sustinere ignem nostrum per horam ; si non posses, quomodo poteris semper illum sustinere?

Tertiò, Argumento principali, anima licet sit spiritus est uere, actus corporis, & patitur a corpore secundum uarias corporis affectiones et hoc naturaliter.Quare ergo supernaturaliter,non poterit pati ab alio corpore?minus equidé intelligo quomodo possit anima humana Deum purissimum , ac simplicissimum,& immensum prout in se est intueri, quam quomodo possit a corporeo igne cremari.

Quartò,Quero ego quomodo locus corporeus possit esse carcer spirituum & spiritus detinere,& coercere,hoc non naturaliter,ergo per potentiam Dei,sed illa potentia Dei quæ facit,ut corpus contineat , & coerceat , spiritum potest etiam facere ut affligat.

Quintò , Quia hæc opinio magis prędicabilis , est ad populum & maxime explicat locutiones scripturę & Patrum.

Sextò , Quia habemus huiusce rei exemplum in sanctificatione sacrorum cum enim sint materialia , tamen instrumentaliter uere attingunt gratię productioné.Ita Iosue iussit stare solem, & stetit sol non uirtute illius iussionis principaliter, sed instrumentaliter .

Septimò,Quia hoc maxime conforme apparet omnipotentissimo, atque exactissimo magni Dei iudicio:sicut enim quia homo noluit Deo credere, uoluit ut salutem suam operaretur, subdendo se signis,& elementis uilibus atque corporeis,Ita & ad cōtundendam dæmonum superbiam decuit,ut per ignobiliora ipso humiliarentur.

Octauò, Quia interdum referuntur a Sāctis Patribus uisiones, quod dum morientes in extremo uitę agonizarent,exstasim passi, rapie-

rapiebantur ad tartareos cruciatus conspiciendos, deinde reuiuiscentes pœnas inferorum narrabant, interim in suis corporibus ad pleniorem fidem faciendam ueri ignis uestigia tunc accepta ostentantes. Huiusmodi exempla. lege apud Bedam lib. 5. Anglicanæ historię S. Greg. in lib. dialogorum.

Nonò, Accedat auctoritas Magni Hugonis de Sancto Victore lib. 2. de sacramentis parte. 16. capit. 13. Quomodo inquit animæ separate a corporibus, & spiritus à corporibus pati possunt. Ecce dicamus, nescimus. Nunquid ideo uerum non est, quia nos nescimus, quomodo est, & cap. 6. Cur enim non dicamus quamuis miris, ueris tamen modis etiam spiritus incorporeos, posse pœna corporalis ignis infligi. Si uiuẽtis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, & corporeo igne teneatur? Quod si hæc animum adhuc plene non quietant, attentius legas sequentia ex eodem in lib. 2. de sacramentis parte 9 cap. 11. Idcirco cum mirari cæperis, & dixerit, forte tibi cogitatio tua. Quomodo hoc esse possit. Cogita facientem, & desinet esse mirabile quicquid fuerit, sed si mirabile esse non desierit, tamen incredibile non erit nec impossibile quicquid erit. Notãda magni Vgonis sententia.

Quarta conclusio, Vermis inestinguibilis, quæ est altera pœna maxima est intelligendus Metaphorice, conclusio patet, quia sic communiter omnes Patres explicant, quos supra citaui.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad auctoritates patet ex oppositis sententijs relatis a nobis, illos disputando locutos esse.

Ad secundum patet ex ultima nostra conclusione qualis sit contactus.

Ad tertium, Respondeo ignem corporeum virtute diuinæ iustitiæ qualitatem spiritualem cruciatiuam imprimere in ipsos spiritus. Cessat autem obiectio illa, quod materiale producat spũlia cum agat materiale in uirtute spiritualis. Imo agens principale est Deus, ignis uero instrumentum Dei.

Ad quartum, Respõdeo locutiones scripturæ, & Patrũ non solum asserere, qđ spiritus cruciẽtur, sed quod crucientur ab igne.

Ad ultimum, Respondeo spiritus nõ solum esse intellectum, & uoluntatem, sed esse substantias habentes intellectum, & uoluntatem, quæ substantia uere torquetur.

Ad argumenta contra nostram sententiam, Respondeo nego maiorem, quia illa uera est tantũ de instrumentis, à quibus agens in agendo dependet, non autem de uoluntariis, Secundo Respondeo admissa maiore ignem habere uirtutem cruciandi, naturaliter corpora, quam Deus eleuando extendit ad spiritus, & hinc est quod ignis habet rationem instrumenti, quia assumitur ad aliud, & eleuatur ad agendum ultra suas uires.

Ad secundum, Respondeo patet ex dictis.

Ad tertium, Respondeo dolor in subiecto materiali est passio

corporea in ſpirituali eſt incorporea.

Ad quartum, Reſpondeo ſecundum medicos probabiliorem ſententiam eſſe, quod dolor fiat, per aduentum qualitatis repugnantis.

Ad quintum, Reſpondeo non tantum in ordine ad mortem, ſed etiam diſconueniens eſt in ordine ad ſtatum quo quis uellet carere moleſtiis.

Ad ſextũ, Reſpondeo in hoc aere caliginoſo torqueri igne, qui per diuinæ iuſtitiæ actionem ſemper illos ſequitur; diuina autem virtute fieri, ut cruciet dæmones tantum, non autem homines ſicuti etiam diuina uirtute fiebat, ut in camino trium puerorum combureret tantum uincula, pueros non combureret. Quod ſi hoc magnum uideatur Deus eſt, qui facit, ſi alia non comburit eſt, quia ad dæmones tantum dirigit.

DISPVTATIO XXI.

An dolor de carentia viſionis Dei pertineat ad pœnam damni an ſenſus.



Vdouicus Molina.1.par. quæſt.64. art.3. diſput. 2. putat ſpectare ad pœnam ſenſus quod probat.

Primò, quia in infantibus cum ſolo Originali decedentibus eſt pœna damni, at illi nulla ratione cruciatur ex illa carentia, ſed eſſent, ac ſi eſſent in puris naturalibus, quod ante ipſum docuerat etiam Ambroſius Catharinus opuſc. de ſtatu puerorum decedentium ante ſacramẽtum attribuens illis felicem quandam uitam, hortorum delitias, quales in Eliſiis campis, poetæ confinxerunt.

Secundo, quia hic dolor ex triſtitia oritur, tantum in iis, qui proprio actuali peccato damnati ſunt, in iis uero, qui ſolo Originis peccato priuantur uiſione Dei nulla eſt moleſtia.

Tertiò, hæc triſtitia eiuſdem rationis eſt cum illa, quæ oritur ex inuidia, & praua affectione damnatorum, at hæc omnium conſenſu eſt pœna ſenſus, ergo.

Quartò, Vermis damnatorum pertinet ad pœnam ſenſus, ergo.

Quintò, Quia pœna ſenſus non intelligitur eaquæ eſt in ſenſu alioqui non eſſet nec in dæmonibus nec in animabus, ante reſurectionem, ſed eſt realis afflictio at pœna damni eſt realis afflictio, ergo.

Hæc tamen ſententia non eſt tenenda, Communiterq; omnes alii afflictionem illam referunt ad pœnam damni probatur.

Primò, Quia loca Sanctorum Patrum ſupra citata explicant,

tan-

tantum pœnam damni & tamen dicũt afferre tantam molestiam, tantum dolorem &c.

Secundò, Quia si pœna damni separaretur ab omni plane afflictione, & molestia nõ esset pœna, de rõne.n.pœnæ est ꝙ sit inuoluntaria non negatiue, sed positiue, idest quod sit nolita, quod huiusmodi est, aliquod malum est, quod autem malum est disconueniens, quod disconueniens affligit.

Tertiò, Quia fundamentum huius doctoris est falsum quod in paruulis non sit dolor de carentia uisionis Dei. Et quidem quod ad pœnam sensus attinet scio communiorem doctorum sententiam esse ꝙ nullã pęnã sensus patiantur sed solam pœnam damni; ita maxima pars, scolæ cum Magistro in 2. d. 33. Hæc tamen non est adeo certa. Adest enim nimis clara determinatio Concilii Florentini, quam tamen hucusque a nullo doctore relatam uidi. Tamẽ in litteris Sanctę Vnionis in quibus præcipua stat fac. Concilii auctoritas habeutur hęc uerba. Decernimus illorum animas, qui in actuali mortali peccato, uel solo originali decedunt mox in infernum descendere, pœnis tñ disparibus puniendas, Hæc Concilium quæ auctoritas forte glossari posset, quod in hoc sit pęnarum disparitas, quia paruuli patiuntur pœnam damni, alij pœnam sensus. sed non debet quis sacri Concilii mentem interpretari cum illius explicatio ad Sãctam sedem pertineat, & cum loquatur de pœnis quas in inferno dabũt peccatores tutior uia erit si de pœnis etiam sensus intelligantur, maxime quia Concilium Trid. sess. 5. Can. 3. dicit originale peccatum esse uere, & proprie peccatum in paruulis & Apostolus ait. Eramus enim & nos natura filij iræ; nota illud. Eramus na tura, i. per deprauationem quam simul cum natura contraximus filij irę. Ita & Aposto. dicit nos per Christum erutos esse de potestate tenebrarum quæ. s. debebantur nobis per Adæ peccatum.

Adde expressam sententiam B. Augustini lib. de fide ad Petrum cap. 27. firmissime inquit tene & nullatenus dubites omnes homines non solum iam ratione utentes, sed etiam paruulos, qui siue in utero matrum uiuere incipiunt & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati, sine sacramento sacri baptismatis, de hoc seculo transierunt igne æterni supplicii esse puniendos in eodem lib. cap. 3. dicit animas paruulorum sine baptismo decedentium inter minabilia gehennæ simul cum Diabolo sustinere supplicia. Ioannes Driedo lib. primo de gratia & lib. arbitrio dicit hæresim esse Pelagii, si quis dicat per peccatũ originale paruulos tantum exclu dia regno cælorum, non autem habere pœnam aliam, excepto quòd a patria excludantur.

Plures auctoritates tum ex B. August. colligit ibi Driedo quas apud ipsum loco citato uidere poteris quæ docent esse quidem paruulorum pœnas inter omnes alias mitissimas, esse tamen supplicii atque ignis pœnas, ex quibus, ego qui paruulorum tortor

esse

esse nolo, saltem tamen infero, quod de damni pœna crucien tur

Quartò, Paruuli dicunt uere & formaliter mortui, & auersi a Deo, filij iræ &c. ergo aliqua pœna ipsis debetur; sola autem caren tia absque afflitcione pœna non esset.

Quintò, si paruuli non essent in peccato originali, sed in puris naturalibus deberetur illis carētia uisionis ergo cum nūc sint per originale peccatum deterioris conditionis, quam si essent in puris naturalibus debetur eis grauior pœna, & proprie peccatum in paruulis & Apostolus dicit. Eramus natura filij irę & dam nationis natura autē per originale peccatū, ergo. Ita & dicit Apostolus nos erutos de potestate tenebrarum per peccatum, scilicet originale, nam actuali non omnes sunt rei tenebrarum quia paruuli carent actualibus.

Ad argumenta primæ sententiæ, Ad primum, & secundum, pa tet ex dictis.

Ad tertium nego antecedens.

Ad quartum Respondeo ut patet ex libro sapientię cap. 1. Pœnam uermis pertinere, & ad pœnam damni, & ad pœnam sensus, ad illam essentialiter ad istam accidentaliter.

Ad quintum Respondeo pœnam sensus quatenus ad spiritus re fertur non sumi pro pœna inflicta sensui corporeo, sed pro dolore quem tartareæ pœnæ urendo, & aliis modis torquendo realiter spiritibus infligunt.



SV-

SVPRA DICTVM EST.

DISTINCTIO VII.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Vm in superiore distinctione Magister de bonorum Angelorum confirmatione per gratiam, & malorum obduratione per culpam, egisset. In hac distinctione tractationem suam continuans, duo potissimum præstat.

Primo, Quærit, An in bonis, & malis Angelis, sit liberum Arbitrium; cum nec a bono, in malum; nec a malo in bonum flecti possint. Docetque verè in Angelis esse liberum arbitrium; quia neque boni Angeli, ad aliquod particulare bonum; nec mali ad aliquod particulare malum sunt alligati. Imo in bonis docet nunc perfectius esse liberum arbitrium, quia peccare non possunt.

Secundò, Quærit, An mali Angeli amiserint viuacem sensum naturalem, & dicit, non

non amisisse, nec sensum, nec potentiam: ideo magicis artibus plurima mirabilia efficere posse; quæ ipsis permittuntur, tum ad fallendos infideles, tum ad exercendam iustorum pacientiam.

Docet prætereà licet possint dæmones plurima opera mirabilia facere, non tamen dici rerum creatores, sicut nec pater dicitur filij creator, quia operantur tantum applicando actiua passiuis.

Vltimò dicit potentiam dæmonum esse ligatam, nec tantum permitti efficere, quantum, & possent, & vellent.

DISPVTATIO. I.

Vtrum Dæmones possint diuinare futura.



Gimus quidem supra in d.4. Vtrum Angeli siue boni, siue mali possent cognoscere futura cōtingentia, & docuimus posse ipsos naturaliter cognoscere futura, quæ in causis determinata sunt, non tamen futura contingentia, ut sic; siue ea quæ à libera hominum uoluntate dependent.

Hic igitur, non est mentio de qualibet Angelorum præcognitione, sed præcipuè de ea, quæ fit diuinando.

Diuinatio ut plurimū in malā partem accipitur.

Sciendum est autem quod diuinatio ut plurimū in malam partem sumitur. Quare D. Hieronymus in cap. 3. Micheæ, & refert 1. q. 1. cap. Iudices, & cap. Numquam dicit. Numquam diuinatio in scripturis, in bonam partem recipitur, quia Num. 23. dicitur. Non est augurium in Iacob, neque diuinatio in Israel. Quare ij etiam, qui uidebantur prophetę, quia pecuniam accipiebant, prophetia ipsorum facta, est diuinatio. Tamen hæc sententia, est limitanda;

quia

quia interdum etiam sumitur in bonam partem, quod ibi aduertit etiam Glossa, in explicatione eius cap. Numquã quia Prouerb. 16. dicitur: Diuinatio in labijs Regis, in iudicio non errabit os eius. Verum tamen est, quod communiter in malam partem sumitur. Neque enim licet ex ui nominis à diuino, seu diuinitate dicitur tamen communiter diuinatio sumitur, nõ prout à diuino seu à diuinitate deriuatur, secundum quam interdum Apostoli diuini, dicti sunt, sed communiter sumitur pro quodam superstitionis genere, quod a Chaldæis, & Aegyptijs originem traxit, qui diuinandi scientiam sibi arrogabant, quia etiam diuinum aliquod in se esse dicebant, & ita per sortilegia, chiromantiã, pyromantiam, astromantiam, geomantiam, &c. futura prænunciare profitebantur, in qua acceptione, hic à nobis de diuinatione agendum est. Diuinatio unde originem traxit.

Tractant autem de huiusmodi diuinatione, Magister cũ Scolasticis hic, & D. Thom. hic, & 2.2. quæst 95. Alex. p. 2. quæst. 184. expositores scripturarum in uariis locis, ubi de diuinatione, sit sermo, ut Num. 23. ar. 1. Summistæ uerbo diuinatio, & uerbo Auguriũ, & uerbo Sortilegia. Canonistæ cum Gratiano 26. quæst. 5. & quæst. 7. Eimericus in directorio Inquisit. 2. par. tit. de hęret. §. sane. Paulus Grillandus, in tract. integro de sortilegiis. Zanchinus tract. de hæreticis, cap. 22. Ioan. Andreas titulo de hæreticis. Repertoriũ Inquis. uerbo sortilegia, & uerbo diuinatores, Iacobus Simancas, de catholicis instit. tit. 62. Albertinus lib. de agnoscendis assertionibus, quæst. 11. Alphonsus Castro lib. 1. de iusta, hæret. punitione. Calderinus tit. de hæret. & tit. de diuinatione Bernardinus Diez, in practica criminali Canonica. Vmbertus Locatus, in iudiciali Inquis. uerbo diuinationes, Bernardus Cõmensis in lucerna Inquis. uerbo sortilegi. Squillacensis tract. de fide Catholica à cap. 1. & sequentibus. Franciscus Pegna in additione, ad 2. par. directorii Inquis. Scolio 49. nouissime Benedictus Pererius lib. 3. de magia per multa capita Albert. Pighius, lib. 8. de libero hominis arbitrio cap. 4. Tostadus in lib. Num. cap. 21. quæst. 19. & in cap. 19. Leuit. quæst. 18. & 29. Pelbartus, in suo Rosario, tom. 2. tract. de dæmonib. quarto. à §. 47. & sequen. Gaspar Peucerus fusissime lib. de generibus diuinationum. Michael de Medina lib. 2. de recta in Deũ fide, per totum Iul. Siren. lib. 9. de fato.

Sciendum est autem, quod eorum, circa quæ diuinatio esse potest alia sunt determinata in causis naturalibus, alia non sunt determinata, sed mere contingentia sunt; alia à libera causa procedunt. Præterea quædam iam actu sunt, sed hominibus ignota, adhuc sunt alia autem non sunt adhuc actu, sed esse possunt. His positis.

Prima conclusio, Angeli tam boni, quam mali nisi impediantur à Deo possunt naturaliter præuidere, & diuinare de futuris determinatis in suis causis. Hęc tamen non est propriè diuina-

tio conclus. 5. probata est cum quærebamus, an Angeli possint cognoscere futura.

Secunda conclusio, dæmones possunt hominibus diuinare, de iis quæ actu iam sunt, sed adhuc hominibus sunt ignota probatur conclus.

Primò, quia supra ostensum est Angelos cognoscere singularia hæc igitur possunt prædicere, ideo uidentur diuinare.

Sex modi quibus dæmones diuinare possũt.

Secundò, quia ita de facto dæmones persæpe deceperunt homines, ut patebit infra. Legendus est Epiphanius hæresi 34. quæ est contra Marcosios. Enumerat autẽ Pererr. lib. 5. de magia. c. 35. Sex modos quibus dæmones possunt præscire futura, & diuinare primus per reuelationem ipsis factam. secundus ea quæ ipsemet postea facturus est. tertius propter motus celeritatem adest consiliis, & deliberationibus, quæ fiunt in remotissimis regionibus, & prædicit in alia regione quartus colligit ex scriptis, epistolis, signis. quintus ex determinatione causarum naturalium. sextus ex longa tot millium annorum experientia.

Cur quædã permittat Deus euenire eorum quæ a dæmonib. pdicta sunt.

Deus etiam in pœnam eorum qui dæmonia inuocant ad hæc scienda permittit ea euenire, quæ dęmones prædixerint, ut probetur fides, & affectus hominum, in Deum. ita Deut. cap. 4. dicitur. Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui dicat somnium se uidisse, & promiserit signum, atque portentum, & euenerit, quod locutus est, non audies uerba prophetiæ, aut somniatoris, quia tentat uos Dominus Deus uester, ut palam fiat, an diligatis eum, aut non. lege 26. quæst. 5. cap. Nec mirum, & S. Aug. lib. 4 de Trinit. cap. 17. lib. 12. de Gen. ad litteram, cap. 17. lib. de diuinatione dæmonum cap. 3. 4. 5.

Tertia conclusio, dęmones non possunt de futuris contingentibus, aut de iis quæ à libera uoluntate pendent diuinare. probatur conclusio.

Primò, quia supra ostensum est, non posse ipsos cognoscere futura contingentia, & ea quæ a libera hominum uoluntate pendent.

Secundò, ex D. Aug. qui dicit, Angelos licet interdum futura diuinent, tamen id non facere nisi permittente Deo, uel reuelante, ita lib. 2. de diuersis quæstionibus, ad Simplicianum. quæst. 3. dicit. Cum quis vult per infimos, infernosque spiritus aliqua uera cognoscere, temporalia dumtaxat, atq; ad istam mortalitatem spectantia facile est, & non incongruum, ut omnipotens, & iustus, ad eorum pœnam, quibus ista prædicuntur, ut malum, quod eis impendet antequàm ueniat prænoscendo patiantur, Occultoque apparatu mysteriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, ut quod audiant ab Angelis, prænunciant hominibus: quantum autem audiunt, quantum omnium Deus, atque moderator, uel iubet, uel sinit, & lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 2. dicit. Duo sunt genera doctrinarum quæ in gentilibus

moribus

moribus exercentur. Vnus earum rerum quas instituerunt homines alterum earum rerum quas animaduerterunt iam peractas, &c.

Tertiò patet, quia prophetia, & diuinatio propria est eorũ, qui à Deo illuminantur, quia Dei propria est eorum cognitio, ideo argumentum a prophetia ductum collocatur inter motiua fidei.

DISPVTATIO II.

An dæmones possint efficere vera Miracula.



Sciendum est, qđ miracula uera, & propria ea sunt, quę fiunt præter, & supra uirtutem totius naturæ, & hæc certum est, neque a dæmonibus, neque a bonis Angelis fieri posse, quia uirtus eorum, non superat uirtutem totius naturæ, quia huiusmodi uirtus, est infinita. Angeli autem finitam habent uirtutem. Vera miracula q̃ sint.

Alia uero dicuntur miracula quo ad nos, quatenus sunt quædam quæ superant, quidem uirtutem humanam, sed non superant uirtutem Angelorum; nobis tamen magna imò maxima uidentur, quia maxime omnem corporearum rerum uirtutem superant. Verbigratia, si Angelus appareat cum forma humana, sed in illo corpore uolitet, uel se se in aere sustentet, pedibus terram non tangendo, si ambulet supra aquas miracula nobis uidebuntur.

Et huiusmodi miracula sæpe legimus facta a dæmonibus. De istis igitur miraculis secundi generis, est disputatio nostra, an hęc miracula sint tantum apparentia, & ludificationes sensuum, seu fascinationes pręstigiosę; an uero etiam sint uera, & realia opera.

Videntur autem hęc miracula, seu etiam illa omnia opera, quæ fiunt arte magica esse falsa, & præstigiosa quędam figmenta, & fascinatorię imposturę.

Primò quidem, quia constat ea arte diaboli fieri, qui pater est mendacii, quique semperque fallere, atque decipere conetur, Apostolus autem. 2. Thessalon. 2. dicit, quod opera Antichristi erunt in signis fallacibus. Ideo ostendet quidem se etiam mortuos suscitare, sed mendacia signa erunt. Antichristus iactabit se etiã mortuos suscitare non tamen uere suscitabit.

Secundò, quia ut bene aduertit Franciscus à Victoria relectione 12. de arte magica, quędam opera miraculosa arte dęmonum facta leguntur, apud leuioris existimationis scriptores, quę tamen apud Classicos Doctores, non habentur, quippe, qui scriptis suis non omnia, quæ vulgo cernebantur prodiderunt, sed ea tantum, quæ solida, ac realia fuerant. Ea uero quæ ab infimis his scriptoribus facta memorentur, ad nostra hæc tempora nunquàm peruenerunt.

Tertiò, ea quæ per artes fiunt, solent longissimo tempore perdurare, ita constat apud nos repperiri imagines, statuas, domos, palatia, fornices, cryptas; & alia plurima quæ multis ante seculis facta sunt. Quòd si ea non perdurarunt integra; saltem, nunc quædam eorum uestigia conspiciuntur. At uero quæ magicis artibus fieri dicuntur, apud nos nulla extant. istę igitur artes præstigiosę, ac fallaces sunt. Ita etiam patet de arte alchimica. Interdum enim quis uerum aurum conficiet, quod si iterato uelit efficere quamuis eadem arte, eisdem mineralibus, seu materialibus ingredientibus in eodem pondere, & mensura utatur, tamen nunquam conficiet.

Quartò, Patet ex D.August. qui lib.18. de Ciuit.Dei, capit.16. fabulosa docet esse, ea, quæ de Diomedis sociis in historiis feruntur, quod in aues sint conuersi, quæ in Diomedeū templum aquā rostris afferant, & expleant, quæque Græcis propitiæ, cæteris infensæ sint, & c.17. idem docet de sociis Vlissis à Circe in bestias conuersis, & cap.18. ea fabulosa esse docet, etiam si a multis tanquam certa ferantur, qui etiam dicant se ea expertos esse. Quod aliqui per stabularias mulieres medicato caseo, conuertantur in bestias, ad onera ipsis ferenda. Tum illud quod Apuleius lib. de asinis aureis scribit, scilicet quod ipse Apuleius uere in asinum sit conuersus, ita, & alij dicebant se in mulos ad onera ferenda esse conuersos, & uere ligna, & alia onera detulisse, quæ à mulis uere constaret eodem tempore esse delata, quo ab iis narrabantur, & alia multa, quæ ibi narrantur, hęc tamen fabulosa esse docet, etiā si eousque Græcorum credulitas peruenerit, ut nullum sit mendacium, tam impudens, quod apud ipsos teste careat.

Non omnia omnib credenda licet testes adhibeantur.

Quintò, Quia sæpe constat arte dæmonum, per lamias, seu lemures, lautissime quædam conuiuia instructa esse, ubi uasorum plurima genera, auro, argento, gemmisque intertexta, omni uero epularum tum uarietate, tum suauitate referta; in quibus etiam inuitati uere comedere, atque opipare epulari sibi, alijsque uidebantur. cum tamen ibi, nihil plane auri, nihil argenti, gemmarum nihil, subesset, epulę nullæ, nulli cibi, sed præstigiosus, tantum apparatus ostensus, non exhibitus esset. Eiusmodi constat ea fuisse conuiuia, quæ ex Philostrato lib. 4.cap.5. refert Pererr. lib. 1. de magia capit. 2. Fertur etiam historia de quodam equite Aspramontio, insigni Mago, qui omnes planè, principes insignesque uiros, qui apud illum deuertissent honorificentissime excipiebat. Ciborum, apparatus immensi conspiciebantur; Videbanturque hospites lautissime epulari, adeo, ut omnes prodigalitatis illius maxime mirarentur. Quod non solum Principibus, illustrioribus uiris; sed etiam uilioribus ministris, cibos splendidius, quam par erat suppeditaret. Equos & mulos, hordeo explere uidebatur. At uero statimque atque ex illius palatio egressi erant, equi ac muli famę enecti oneri succumbebant. Viri uero perinde famelici,

Horti Tantali dæmonū instruūt.

sibi -

sibi uidebantur, ac si nihil plane comedissent. Et reuera nihil comedebant, sed sibi comedere uidebantur. Apparatus etenim ille phantasticus & præstigiosus erat.

Sextò, Quia incredibilia plane sunt ea, imo aperte constat esse falsa, quæ de strygibus, seu lamiis ferũtur. Quorum plurima refert Bartholomæus Spineus q. de strygibus cap. 1. Verbi gratia, quod ferantur in domos diuitum, & quod ibi dolia optimi uini, exhauriant; quod casei maximam copiam absumant, quod adipatos boues mactent, & optime assatos uorent; & quod his peractis Herodias, seu domina ludi, aurea uirga dolia tangat, & simili uino repleantur, restaurentur, casei massę, & ad uitam reuocet absumptos boues; quia iniectis ossibus in corium statim reuiuiscit, bos, aliaque quamplurima, quæ leguntur apud dictum Bartholomęum, tum etiam in uita Sancti Germani.

Septimò, Constat plurima, quæ ab alijs referuntur, tamquam realiter, et uere fiant, esse mere figmenta, ut patet de illis nũmis aureis uel argenteis, quos cum quis expenderit, semper tamen ad eum, qui illos expenderit redire asserunt. Ita de exercitibus illis equestribus uel pedestribus, qui maxime per compita uiarum, tamquam immundiora loca conspici dicuntur. Tum de nephanda illa, quam Dominam Abũdiam appellant, eo quod anilis ac superstitiosa credulitas, ab ea abundantiam fieri arbitretur. Præterea, quæ de arundine lamiarum dicuntur, quod in equos conuertatur, Item quæ de animabus circa sepulcra apparentibus finguntur, maxime de animabus occisorum, quod in armis, in pœnam ipsarum uagari cogantur: Tum de illis quæ in domibus quibusdam residere dicuntur, & in habitantes maxima molestia, afficiunt, perstrependo, territando, uisiones ostendendo, interdum leuiter percutiendo, lucernas extinguendo, risu, ac cachinnis lacessendo, dormientibus, sæpe etiam uigilantibus, dum lecto decumbunt, culcitras, & opertoria trahendo, eosque denudando, quod si linteaminibus inuoluti resistere fortius tentent, eos simul cum linteaminibus in medium cubiculum attrahendo. De quibus Carthasianus in hac dist. quæst. 5. & Gulielmus Parisien. in 3. parte, secundæ partis de uniuerso per multa capita maxime uero cap. 23. 24. 25. fusissime agit. Hæc enim omnia dæmonis arte fieri certum est, tum ad homines perturbandos, tum precipue ad ipsos decipiendos, ut facile, in idolatriam, uel in superstitiosos errores inducat.

Alij tamen dicunt interdum miracula uera effici.

Conclusio decisiua, Miracula quæ arte dæmonum fiunt, ut plurimum falsa sunt. Interdum tamen quædam miracula uera fiunt. *Dæmones interdum quædam uera miracula conficiunt.*

Prima, Pars conclusionis sufficienter probata est ijs argumentis, quæ in contrarium adducta sunt. patet etiam ex historijs, quæ feruntur de Magis, & præcipue de Magorum Principe Simone, cuius gesta apud Clementem in libris recognitionum, & apud

Euseb.

Euseb. Cęsar. & Nyceph. in Ecclesiasticis historijs leguntur.

Secunda Pars probatur ex D. Tho. p. p. q. 114. art. 4. docet à Magis Pharaonis productos esse ueros serpentes, ranas, muscas, &c. quod satis inde constat, quia liber Moysis historicus est.

Præterea quia interdum Miracula quædam adeo sensata fuerunt, ut uix sine temeritate, negari possint. Verbi gratia. Tucia uestalis uirgo ad uirginitatem suam comprobandam aquam cribro e Tyberi hauserit, atque ad Capitolium usque detulerit.

Quod Claudia uestalis uirgo eadem de causa, nauim arenis in sedentem, quam plura bouum paria trahere non poterant zona prottaxerit. Quod interdum nubes cogant, grandines, ac procellas, concitent. Quod Iob domum quatuor angulis concussam statim deiecerit, atque quod ignem è cœlo attraxerit, super oues, & boues Iob, quod illum statim ulcere pessimo percusserit, & alia multa, quæ ibi leguntur. Lege Gulielmum Parisien. p. 3. secundæ partis de uniuerso, cap. 13. Patebit etiam ex sequenti disputatione, quædam realia opera interdum à dæmonibus effici. Et ex dictis patet solutio ad argumenta in contrarium.

Admonet tamen me locus iste, ut quasi aliud agens obiter ad eam controuersiam, quam strictissime pertractandam digrediar, scilicet an stryges corporaliter, an uero secúdum imaginationem tantum à dæmonibus circunferantur.

DISPVTATIO III.

An Lamiæ seu Stryges corporaliter à Dæmonibus, an vero secundum imaginationis tantum ἀπο-ϕίαν deferantur.



Lurimi non solum ex scolasticis, sed etiam ex Canonistis censuerunt ueneficos, & ueneficas mulieres, à dæmonibus corporaliter ad certa quædam loca, ubi commessationibus ac compotationibus, uarijsque libidinum generibus contaminentur non deferi, sed hoc secundum imaginationem tantum accidere, ita fete sum mistæ uerbo stryges, ꝑpter cap. Episcopi 26. q. 5 Imo Nauar. in Manuali, cap. 11. nu. 38. propter illud caput dicit esse peccatum mortale, credere qd stryges corporaliter circúferátur, quamuis subdat, quod interdum licet rarò etiam circunferantur, propter ea quæ leguntur in libro qui inscribitur Malleus maleficarum Samuel minoritanus in opusculo proprio de hac re. Idem docent Franciscus Ponzinibus tractatione de lamijs nume. 45. alijque quamplurimi, quos referre non est animus, hæc opinio innititur præcipue.

Primò,

Primò, In uerbis Rabani in libello de Magorum præstigijs, refertur 26.q.5.cap.Nec mirum.

Secundò, Quia uidetur definita in Concilio Ancirano, alii legunt Anquirensi. Alij Aquileiensi; Sed Franciscus Pegna in additionibus ad Direct. Inquis Scol. 50. ostendit legendum esse Ancyrano. habentur hæc uerba. Illud etiam non omittendum, quòd quædam scelerate mulieres, retro post Sathanam conuersæ illationibus, & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur, se nocturnis horis cum Diana, Dea Paganorum, uel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum, equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia, intempestę noctis silentio, pertransire, eiusque iussionibus, uelut diuinæ, obedire, & ad eius seruitium certis noctibus euocari; & infra cum siquidem Sathanas qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cuiuscunque mulierculæ cæperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, illico transformat, se in diuersarum species personarum, atque similitudines, & mentem, quam captiuam tenet, in somnijs deludens, modo lęta, modo tristitia, mō cognitas, modo incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit, & cum solus spiritus hoc patiatur, infidelis mens, hoc non in animo, sed in corpore euenire opinatur, & Concilium Agathense in decretis, dicit Perquiratur si est aliqua muliercula, quæ se dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulierum, transformatā certis noctibus equitare super quasdam bestias, & in earum consortio annumeratam esse, hæc talis omnimodis scopis correcta, ex parochia eijciatur.

Tertiò, Quia uidetur omnino impossibile, qđ tanta celeritate circunferri possit, aliquod corpus, ipsa enim aeris resistentia, hoc impediret. Prætерea quia experientia patuit, qđ si quis ex editissima turri præceps ruerit, prius animam exhalasse, quàm ad terram corpus alliserit, in tanta enim uelocitate motus. respirandi facultatem aeris illis commotio tollit; unde suffocari sapiẽtes quidam ex difficultate respirandi prius censuerunt, cum in ipso præcipiti, e turri descensu, inter cadendum emoritur. Ita igitur accideret, etiam illis, qui se diabolicæ feritati transuehendos commisissent.

Quartò, Quia impossibilia uidetur, quæ de strygibus dicuntur, quod uenereis amplexibus, cum dæmonibus misceantur, scribit enim Sanctus Ioan. Chrisost. hom. 22 in Gen. Dementia planè est dicere. Angelos deiectos è cœlo, ut cum mulieribus rem habeant; & quod incorporea illa natura, corporibus copuletur. neq; enim possibile est, incorpoream naturam illam; ullam umquam concupiscentiam habere; Et infra ualde insanus esset, qui talia uerba dementiæ plena comprobaret, quod incorporea, & spiritalis natura, corporis complexum ferat.

Cassianus lib. 12. collocationum cap. 8. dicit. Nullo modo credendum est, spirituales naturas coire cum fœminis naturaliter

posse,

posse, quoniam si aliquando hoc secundum litteram fieri potuisset, quomodo nunc quoque, vel frequenter, vel raro, id ipsum non euenire contingeret, & absque homine, uel coitu uiros aliquos nasci.

Philastrius in catalogo aduersus hæreses cap.108.dicit. Alia est hæresis, quæ dicit, quod Angeli miscuerint se cum fœminis, ante diluuium, & inde natos esse gigantes, sed siquis putaret, Angelos transformatos in carne, ita peccasse, & in ea permansisse, aut ita factos carnales crediderit, is uiolenta ratione decernit historiam.

Contraria tamen sententia cōmunis est et uerissima, quòd per sepe corporaliter stryges, utriusque sexus, frequentius tamen muliebris, ut pote quæ facilius seducuntur, & libidinosius luxurientur, circunferuntur. Imo addit.

Arnaldus Albertinus, lib. de agnoscendis assertionibus q.24. num.4. Vetulas potissimum, hoc crimine inuolui, & deformes, nam cum non repperiant amatores, imo contemnantur ab illis tanto illius carnalis concupiscentiæ ardore feruent, ut efficiantur stryges, & hinc plura nephanda committant, quam castæ aures ferre possint, ita Franciscus Pegna lib.2.additionum Scol.51. Franciscus Victoria relectione de Magia 27. Castro lib.1.de iusta hæret.punitione, cap.16. Syluer.uerbo hæresis 3.§.6. Malleus malleficarum p 2.q.1. Caietanus 2.2.q.95.art.3. Ioan.Nider.præcepto 1. decalogi capit. 11.q.4. Franciscus Picus dialogo Strix. Bartholomæus Sibilla, decade 3.cap.7.q.4. Bartholomæus de Spina in tractatu de strygibus & in triplici apologia contra Franciscum.Ponzinibium de strygibus, ubi plurimas experientias affert. Iacobus Sprangher, Iacobus Simancas libro de catholicis institutionibus tit.37.de Lamijs. Hieronymus Mengus lib. 2.artis exorcistæ capitulo 19.

Prima conclusio, Lamiæ, Lemures, & stryges corporaliter persæpe circunferuntur. Hanc conclusionem probant quamplurimæ experientiæ, quæ a Doctoribus supra citatis afferuntur; quæ cum in processibus, apud Sanctissimi Officij Inquisitores, maxima cū iustificatione comprobatæ sint; illeque adeo frequentes, & tam multæ sint; ideo non possunt, ut Siluester ait absque extrema dementia negari. Hic uero non expectet quis ut illas ego afferam, legat qui uult, apud Bartholomæum Spinam, & Mengum, ubi supra. Summa autem experientiarum propemodum infinitarum, hæc est, quod quæ delatæ sunt certo cognouerunt locum ad quē sunt delatę, & alias personas, quibuscum mensis accubuerunt, & saltationibus, & crapulis, & luxurijs operam dederunt, &, qđ absolutis sacrificijs diabolo factis, diabolus eis, cineres & unguēta dederit q̃ domū reportarunt. Itē persæpe uxores, à uiris suis deprę hensæ fuerunt ab ipsis abesse, & domo exijsse, quod eas conspexerint dum ungerentur, & paulo post asportatę sunt. Præterea quòd

Experientię quibus ostē dit stryges corporaliter deferri.

quòd interdum quidam luminaria uiderint, sonitus, cantusq; audierint, imo quod etiam Strygas, ludentes, saltantes, comedentes, sacrificantes, uiderint, & etia in ipsis personas quasdam agnouerint. Sed quod omnium maxime ambiguitatem tollit est, quòd quidam, dum ludis illis uacarent, terrore correpti nominarunt, uel Iesum, uel B. Virginem, statim autem omnes qui ijs saltationibus aderant, ex illo loco asportabantur, mensæ ac dapes euanescebant, ij uero qui Christum, vel B. Virginem nominassent, ibidem relinquerentur, nudiq; bruma, ac gelu rigentes, regionumque ignari, & uestes, & itineris duces quæritare, compellebãtur, interdum uero longis terrarum tractibus, se à patria sua abesse experti sunt. Quæ omnia cum in S. Inquisitionis processibus legantur, omni prorsus fide digna, & firma auctoritate comprobata esse censenda sunt.

Secunda conclusio Stryges ac Lemures, seu lamiæ illicitis amplexibus cum dęmonibus, uel succubis, vel incubis permiscentur.

Hanc conclusionem satis quidem ex ijs, quæ pręcedenti disputatione dicta sunt comprobatam esse censeo. Tamen addam decretalem Innoc. Pap. VIII. Quæ omne planem dubitationem tollet, ita enim scribit in decretali quæ incipit. Non sine ingenti, &c. Non sine ingenti inquit molestia ad nostrum peruenit auditum, complures utriusque sexus, personas proprię salutis immemores, & à fide catholica deuiantes, cum dæmonibus succubis, & incubis abuti quapropter, ne labes huius hæreticæ prauitatis, in perniciem animarum, sua uenena diffundat; opportunis remedijs, prout nostro incumbit officio, prouidere uolẽtes. statuimus, ut inquisitores officium in huiusmodi personas exequantur.

Ad argumenta in contrarium, ad primum, & secundum, simul Respondeo primo, quod plurimæ quidem passiones sæpissime illis accidunt per somnia. Quare & doctores secundæ sententiæ, maxime mirantur, quomodo adeo fixa imaginatione insensatarum mentes rapiantur, ut dum eo furore detinentur in corpore nihil sentiãt, licet interdum pungantur, torqueãtur, percutiantur, urantur. Sed tamen persæpe dicimus etiam naturaliter fieri illas passiones. Imaginationis uis maxima.

Quare ad Anciranum Concilium communiter respondent Doctores, & responsio uera est, & maxime textui consona, quod Concilium non definiuit numquam realiter corpore circũferri, sed in eo quod putarent, se obsequia præstare Dianæ, & Herodiadi, hæc in sola mente fiebant, illud tamen sæpe corporaliter accidebat, quod corpore circunferantur.

Ad Agathense Concilium facile est respondere neque enim negat eas corporaliter ferri, sed dicit si qua hæc fateatur, quòd sine corporaliter, siue illusorie circunferatur, quod fustibus cedi debeat.

Ad tertium Respondeo omnem plane dubitationem tolli ex

 eo,

eo, quod in sacris litteris, in momento nouimus ministerio tum bonorum, tum etiam malorum Angelorum, raptos homines, ut de Philippo quando in uentus est in Azoto. De Abacuc ferente prandium Danieli. De Christo Domino quando Diabolus eum assumpsit in montem excelsum. Matt. 4. De omnibus Apostolis quando ad obitum B. Virginis omnes ex diuersis regionibus rapti Hierosolimam delati sunt. Damasc. de Assumptione B. Virginis. Andreas Cretensis de dormitatione B. V. Dionys. Areopag. de diuinis nominibus.

Ad quartum Respondeo patere ex dictis in secunda conclusione, quid nam accidat. Illi autem Patres noluerunt oppositum docere, sed dixerunt tantum, quod dæmones naturaliter absque corporis assumptione coire cum fœminis non possunt.

DISPVTATIO IIII.

Vtrum liceat uti dæmonum auxilio ad diuinanda, uel scienda occulta.



Haec quæstio dupliciter potest intelligi, uel ut quis utatur dæmonum auxilio, ad diuinanda ea futura, quæ diabolum naturaliter posse cognoscere supra ostendimus. & etiam de ijs reuelandis, occultis, quæ ipsi naturaliter nota; nobis autem sunt ignota; Vel etiam de ijs quæ naturaliter cognoscere non potest.

Posset autem uideri quibusdam licere uti diaboli artificio.

Primò, Quia Christus ipse sæpe diabolum interrogasse legitur.

Secundò, Quia sæpissime Sanctissimos uiros, cum diabolo allocutos esse nouimus, & quædam ab ipsis maxima cum sui admiratione didicisse, ita passim in uita Sanctorum Patrum.

Tertiò, Quia ueritatis excellentia id postulare uidetur, ut non erubescamus ab ullo discere ueritatem; quia a quocunque dicatur semper bona est.

Prima conclusio, Impium est a diabolo uelle scire ea quæ sunt supra ipsius natura'em uirtutem. Verbi gratia futura contingentia, liberas hominum uoluntates probatur.

Primò, Quia hoc est diabolo tribuere ea quæ Dei sunt propria quare & consequenter illi attribuere honorem, & cultum Latriæ igitur antecedens, probatur. Et quidem posset quis, ut sciret illa a diabolo, uel uouere diabolo, uel etiam sacrificia offerre, & illum adorare explicite, & in hoc casu antecedens nullam haberet difficultatem, sed etiam si nullum sibi offeratur sacrificium, nec adoratio exhibeatur, tamen probatur antecedens, primo auctoritate D. Tho. in id Esaiæ 3. Ecce dominator auferet ab Hierusalem &c.

sem-

semper inquit a dæmoniis, & ab Ariolis, etiam, inquirere ueritatem est peccatum, & apostasia a fide; Quod dictum est etiam D. Augustini & refertur 26. q. 7. cap. Non obseruetis, qui Ariolis carminibus & c. credunt, sciant se fidem Christianam & baptismum prę uaricasse, & Ench. cap. 79. Tantum malum est, hoc ut dicat Apostolus. Vereor ne frustra laborauerim in uobis, & D. Tho. hic articulo ultimo grauiter peccant, qui ea quæ a solo Deo quærenda sunt, per idololatriam impendunt creaturæ, qualis est uaticinatio, de futuris. Et similiter Albert. Magnus 2. sent. d. 7. art. ultimo Magicis & Mathæmaticis intendere, dicitur esse apostasia a fide Bon. ibidem, Guido Carmelita. Et Petrus de Tarantasio relati ab Eimerico in 2. p. direct. In qu'. s. quæst. 43. ubi in hanc sententiam refert quamplurimos Canonistas qui ibidem uideri poterunt.

Secundò, Idem probatur ex scripturis Esaię. 3. Ecce Dominus auferet a domo Iuda iudicem, & prophetam & Ariolum, Leuitici, 19. Deut. 18. præcipit Deus non esse consulendos Ariolos, primo. Reg. 28. laudatur Dauid, quod Ariolos, & Magos, abstulerit, quod etiam fecit Iosias 4. Reg. 23.

Tertiò, Quia tolleretur uirtus motiui fidei, quod trahitur a prę dictione.

Secunda conclusio. Etiam a Diabolo quęrere ea, quæ scire potest naturaliter est peccatum grauissimum.

Primò, Ex citatis auctoritatibus D. Augustini ubi supra & Scolasticorum, loquuntur enim absolute de consultoribus Magorum & Ariolorum, & dicunt esse apostasiam a fide.

Secundò, Quia in ipsis uel implicite, uel explicite adest pactum cum diabolo. ita D. Tho. ubi supra & cum ipso relati doctores & Eimericus in quæst. citata numero. 7. dicit. Et similiter in aliis operibus magicis in quibus expectatur complemētum operis, a uirtute dæmonis; in omnibus enim est apostasia a fide, propter pactum initum cum dæmone uel uerbotenus, si inuocatio ad sit, uel facto aliquo, etiam si sacrificia desint. Non enim potest homo duobus dominis seruire, quod etiam docuit Simancas, Vmbertus locatus ubi supra.

Vti dæmonum auxilio est a fide recedere.

Tertiò, Patet ex auctoritatibus sanctorum, quę referuntur a Gratiano 26. q. 7. & plurime a Iacobo Simanca tit. de superstitionibus qui est. 63.

Quartò, Quia maxima fit iniuria, ueritati si quis eam exquirat a parente mendacii, qui si quando uerum dicit, uerum tamen dicit, ut decipiat, est communis doctrina Patrum Chrisost. hom. 29. in primum ad Cor. dicit, Christum obstruxisse ora dæmonibus etiam quando uera dicebant, quia auctoritatem comparare tentabant, ipse uero licet sciret dæmonia ueritatem dicere, tamen increpans non sinebat ea loqui. Athana. explicans illud. Lucæ 4 Increpans & c. dicit. Quamuis uera fateretur dæmon, compescebat tamen eum Christus, ne simul cum ueritate etiam suam iniquita-

Diabolus etiam cum ue rum dicit decipere inten dit.

tem promulget, ut nos assuefaciat, ne erremus de talibus, etiam si uera loqui uideantur, nephas est enim cum ad sit diuina scriptura, ut a diabolo erudiamur; & eo ipso quo inuocatur maximis mendaciis decipit. Inde quidam bene dixit qui citatur a Simanca ubi supra & a Frãcisco Pegna in additione 2.p. Scolio. 50. Non diabolum cogis, aut uinculis eum, ut putas includis, sed ille se simular captum, ut te capiat: se uinictum, ut te uinciat: se tuo imperio subiectum, ut te sibi subiiciat: a te inclusum, ut te includat: fingit se tua arte imagini, uel lapidi ligatum; ut te funibus peccatorum ligatum ad infernum pertrahat.

Astus diaboli.

Quintò, Quia fit iniuria Deo si ab eius inimico querantur ea, quæ Deus ipse nobis reuelare potest, & non uult, quia uel nobis ea scire non conuenit, uel non expedit. Ideo distinctione superiori ostendimus numquam diabolum posse habere actum bonum moraliter.

Ad argumenta. Facta initio ad primum Respondeo, cum communi Patrum responsione, Christum nunquam interrogasse diabolum, ut aliquid sciret ab ipso, sed tantum, ut diabolus ore proprio perfidiam suam populo patefaceret, ad sui ipsius perditionem.

Quomodo liceat dæmones interrogare.

Ad secundũ, Respondeo Sanctos viros interdum legi, allocutos cum diabolo, non qd ueritatem aliquam ab ipsis scire uoluerint, sed tantum diuina sic disponente clementia, ut insidias suas in tentandis hominibus patefaceret.

Ad tertium, Respondeo ueritatis excellentiam, & priuilegium id exquirere, ut à publico ueritatis hoste, ac mẽdacii parente non exquiratur.

DISPVTATIO V.

An liceat uti dæmonum auxilio ad aliquid faciendum.



Ic distinctione necessarium est; illa enim ad quæ facienda dæmon imploratur, uel superãt uirtutem illius, uel non. Rursus quando imploratur dæmon, uidendum est, an aliqua interueniat adoratio, uel latriæ, uel duliæ sacrificando, uouendo se illis, ieiunando, laudes dæmonum cantando, genua flectendo, tundendo pectus, signa, & caracteres, notos, uel ignotos describendo, luminaria accendendo, sacramentalia afferendo, thurificando, de thure, aloe, ambra, uel aliis aromaticis mixtionibus suffumigando, aues necando, cremando, sal in ignem proiiciendo, &c. Rursus uidendum est, an interueniat aliqua dæmonis inuocatio, nec ne. His politis sit.

Quot modis Diabolus diuinos honores expetat.

Prima conclusio, uti dæmonum arte, & auxilio ad ea efficienda

da quæ uires ipsorum superāt est impium, ac maxime execrabile.

Primò, quia ea quæ dæmonum uirtutem superant, & soli Deo competunt, atque soli Deo conueniunt: uelle dæmoni attribuere est diuinam potentiam saltem uirtualiter, & implicite dęmoni tribuere igitur.

Secundò, quia hac ratione colitur dæmon, & latriæ cultus illi impenditur, si non per aliud saltem uirtualiter ex natura operis, ideo D. Thom. 2. dist 7. art. ult. dicit. Ea quæ sunt supra facultatem humanam, & naturę a solo Deo requirenda sunt, ideo grauiter peccat, qui illud quod est Dei creaturæ impendit per idololatriæ cultum.

Tertiò, ex præclara S. August. auctoritate lib. 10. de Ciuita. Dei, cap. 5. Videmus inquit in omni tep obseruari summum rectorem aliquo singulari signo honorari, quod si quis alicui alteri offerret, crimini læsæ maiestatis obnoxius esset, & ideo in lege diuina instituitur pœna mortis iis qui diuinum honorem aliis exhibent. Exteriora sacrificia, ita sunt signa interiorum; sicut uerba sonantia, sunt signa rerum, quocirca sicut orantes, atque laudantes ad Deum dirigimus significantes uoces, cui res ipsas in corde offerimus, ita sacrificantes non alteri uisibile sacrificium offerendum nouerimus, quam ei cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificiū. Certe nullus est, qui audeat dicere deberi, nisi soli Deo dicente, & Angelo Manue, qui uolebat ipsi offerre hædum de capris sic, si me cogis non comedam panes tuos. Si autem uis holocaustum facere; offer illud Deo. Visibile sacrificium exterius, inuisibilis sacrificii interioris est signum, quis enim sacrificare censuit, nisi illi quem ut Deum sciuit, aut credidit, aut finxit? & lib. 2 de Doctrina Christiana post multa quæ de diuinationibus, & auguriis disputat, subdit. Omnes igitur artifices huiuscemodi, uel nugatorię, uel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis, & dolosę amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda; & fugienda Christiano, non quod idolum sit aliquid, ut ait Apostolus, sed quæ imolant dæmonibus, & non Deo imolant, superstitiosum est, quicquid institutum ab hominibus est, ad facienda idola pertinens, uel ad colendam sicut Deum creaturam partemve creaturæ, uel ad consultationes, & pacta quędam signorum cum dæmonibus, placita, atque fœderata.

Qui amicitiam iniit cū Diabolo licet idolum non adsit, tamen q imolant, Diabolo imolant.

Nec dicas ex dictis non sequi, quod, si consulatur dæmon ad ea efficienda quæ uirtuté eius superant, attribuatur ei diuina uirtus, quia potest quidem dæmonum aliqua uirtus maior attribui, non tamen sequitur illam esse diuinam. Nam cum uirtus, quę dæmonis maximi luciferi potentiam excedat de facto nulla alia sit, nisi diuina: hoc ipso, quod maior uirtus tribuitur, tribuitur ei ea quæ Dei, est propria. Si uero inferiori dæmoni attribuatur uirtus dæmonis superioris, non erit quidem tunc idololatria; sed gra

uę

ne tamen flagitium erit, & cum, ut dicetur in dist.9. dæmones inter se ordinati sint, inferior superioris uirtutem non sibi arrogabat; arrogabit tamen diuinos honores, quia in eadem superbia perseuerant qua probatur appetierunt esse Deo similes.

Diabolus inferior superioris diaboli honores non expetit, expetit tamē diuinos.

Secunda conclusio, Exhibere dæmoni cultum latriæ, uel duliæ modis supra explicatis impium est, & execrabile. Hæc conclusio apertissima est, quia excusari non possunt ab idololatria, & consequenter ab infidelitate, & hanc latè probant. Eimericus in Direct. Franciscus Pegna, in additione, locis supra citatis. Vmbertus Locatus in suo iudiciali, uerbo diuinatio. Iacob. Simancas lib. de catholicis institutionibus tit. 21. num. 20. & sequentibus, ubi etiam pœnas describunt quibus tales sic facientes plecti debeant.

Tertia conclusio. Siquis utatur ope dæmonum absque omnī plane cultu ad facienda ea, quæ naturaliter potest diabolus efficere, verbi gratia ad cōficiendum aurum chimicum, ad tentandam mulieris pudicitiam &c. is censebitur suspectus de hæresi, & grauiter peccabit. Conclusio est communis ubi supra, & patebit melius in dubitatione sequenti.

Fundamentum huius conclusionis est, quia diabolus, ad ipsum inuocantem non prius occurrit, uel opem suam præstat quam pacto aliquo implicito, uel explicito inuocantem illaquearit.

Obiicies Apostolus 1. Cor. 5. usus est dæmonum ope ad fornicarium Corinthium puniendum, igitur. Respondeo cum D. Tho. ubi supra hoc fecisse Apostolum, & alios Sanctos non pacto aliquo cum diabolo inito, sed diuinam in ipsis uirtutem, & potestatem exercentes.

Obiicies secundo, inuenire rem deperditā ope dæmonis nulli damnum infert, & nobis commodum affert, igitur licebit, Respondeo cedit in Dei iniuriam, qd cum eius hoste pactum fiat.

DISPVTATIO VI.

Qua pœna puniendi sint illi, qui dæmonum ope vtuntur.



PRima conclusio, qui dæmonum ope utuntur modo explicato, in prima, & secunda conclusione præcedentis dubitationis puniuntur tanquam hæretici, si impœnitentes igne, si pœnitētes immuratione perpetua, ita Doctores supra citati in locis ubi supra.

Secunda conclusio, qui dęmonum ope utuntur modo explicato, in tertia conclusione tanquam suspecti uehementer de hęresi habentur, & quoniam non est hic locus, de iis fusius agendi, ideo consulere poteris Doctores supra citatos qui copiosissime ista prosequuntur. Et hæc de hac dist.

SO-



SOLET ETIAM IN QVAESTIONE.

DISTINCTIO VIII.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Xplicata bonorum Angelorum conuersione, & auersione malorum arripit Magister occasionem tractandi: An Angeli sint corporei, tripliciter autem secatur hæc distinctio.

In prima parte Magister quærit. An Angeli sint corporei, & allata opinione antiquorum, quod Angeli sint corporei, & quod beati quidem sua corpora retinuerint, damnati vero induerint corpus aereum; tandem concludit Angelos esse incorporeos; sed interdum ad aliquod ministerium explendum, corpora assumpsisse, eoque expleto, corpora dimisisse.

In secunda parte quærit, An Deus aliquando apparuerit, concludit Deum vere appa-

ruisse interdum hominibus; non quidem in propria forma, sed in assumpta corporis effigie.

In tertia quærit, An dæmones substantialiter vniantur corporibus obsessis, ac mentibus eorundem. Respondet substantialiter quidem intrare corpora, non tamen substantialiter illabi mentibus, illas conuertendo, sed tantum per suggestionem alliciendo. Hæc Magister.

DISPVTATIO L

Vtrum Angeli sint incorporei.

SECTIO I.

Afferuntur testimonia ad probandum Angelos esse corporeos.

Priuationes p habitus oppositos cognoscuntur.



Voniam incorporeum priuatio est, esse corporei, priuationes autem per oppositos habitus cognoscuntur: ideo prius uidendum erit quid sit corporeum, tot enim modis dicetur incorporeum, quot corporeum.

Corporeũ igitur dicitur aliquid primo, id quod corpus quantum, per subsistens; siue compositum sit, siue simplex, ut corruptibiles substantiæ corporeæ dicuntur, cœlum etiam corporeum dicitur.

Corporeum tripliciter sumitur.

Secundò, Corporeum dicitur omne id quod ex materia corporea constat, seu quod ex ipsa educitur, & idem coextenditur, quomodo formæ entium corruptibilium dicuntur materiales, & corporeæ.

Tertiò corporeum dicitur id, quod licet in seipso spirituale sit, & immateriale, corpori tamen unitur, quamuis corpori non coexten-

extendatur, ita anima rationalis dicitur interdum corporea, quatenus actus est, & forma corporis. Videndum igitur erit, an aliquo ex ijs oppositis modis Angeli dici possint incorporei.

Fuit circa hoc hæresis Sadduceorum, qui ut habetur, Matt. 3. omnia plane secundum carnem sapientes, spiritum omnem negabant, ita igitur fateri etiam cogebatur Angelos esse corporeos. Hanc hæresim, ut refert Lyndanus in dialogo, secundo sui dubitantii, & sapientissimus ille Cardinalis Hossius Stanislaus lib. 1. de hæresibus nostri temporis paulo post medium §. Absolutum existimas, quidam Dauid Georgius suscitauit, & hæretici qui Libertini dicti sunt eandem sunt amplexati.

Inter eos uero qui spiritum aliquem admittunt fuit duplex sententia.

Prima sententia est dicentium Angelos esse corporeos. Hæc sententia ortum habuit a Platone, qui vt refert Marsilius Ficinus, lib. 1. de doctrina Platonis, cap. 5. & 6. Dæmones & animas dicebat propria habere corpora, licet subtiliora. Imo Alcinous lib. de doctrina Platonis, capit. 15. dicit existimasse Platonem dæmones esse animalia ætherea, uel ignea Idem docuit Philo lib. de Gigantibus Porphyrius, ut refert Euseb. Cæsarien. lib. 4. de præparatione Euangelica, cap. 12. dicebat Angelos, & rationalem animam esse spiritus corporeos, & communiter reliqui Platonici, quorum curiosior scrutator esse nolo. Hinc tamē factum esse monebo, quod Platonici in arbore prædicabilium, ita prædicabilia ordinabant, Substantia, Corpus, Viuens, Sensibile, Animal, Rationale, Mortale, Sortes; putabant enim dæmones esse animalia rationalia, & distingui ab homine, quod illa essent immortalia, homo mortalis. Hanc sententiam amplexati sunt Sancti Patres. *Angeli animalia ratio nalia appellati.*

Atanas. lib. de communi essentia Patris Filii, & Spiritus sancti, Angelum uocat rationale animal.

Gregorius hom. de Epiphania Iudæis tamquam ratione utentibus rationale animal, idest Angelus nunciare debuit, & lib. 3. moral. cap. 3. dicit circunscribi posse loco, quod etiam docuit Damas. lib. 2. de fide ortodoxa cap. 3.

Sanctus Hieronymus in regula ad Eustochium, dicit Angelos esse uisibiles. Ne ad risum, ait, prouocentur Angelici spiritus.

Sanctus Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium Papam, dicit Angelos esse corpore æthereos, & sermone 5. in Cantica dicit omnes res creatas corporeo egere solatio, infra tamen relinquit dubitationem hanc insolutam.

Rupertus Abbas lib. 1. de uictoria Verbi Dei, cap. 26. dicit dęmonum corpora nunc esse aerea, quæ antequam peccarent erant cœlestia, quod etiam repetit, cap. 28. & lib. 1. de Trinita. & eius operibus, cap. 11. Habent namque Angeli, ut docti, & magni uiri perhibent corpora ex isto aere crasso, & humido, qui uento flante sentitur impulsus, præsertim qualis erat dum adhuc tenebræ

erant ſuper faciem abyſſi.

Caſſianus collatione 7.cap. 13. Licet enim inquit pronunciemus quaſdam ſubſtantias eſſe ſpiritales,vt ſunt Angeli,Archangeli,ceteræq; uirtutes ipſa etiam anima noſtra,vel certe aer iſte ſubtilis. Tamen incorporeæ nullatenus exiſtimandæ ſunt. Habent enim ſecundum ſe corpus quo ſubſiſtunt, licet multo tenuius, quam noſtra ſunt corpora,Quibus colligitur,quod nihil eſt incorporeum,niſi ſolus Deus.

Origenes lib.1.periarchon,cap.7.& lib.2.cap.2.nihil eſſe incorporeum ,dicit præter Deum.

Tertullianus libro de carne Chriſti Angelos ait humanam carnem non geſtaſſe, licet enim corpora habeant aliena ſunt tamen a noſtris.

Sanctus Auguſtinus lib.1.de mirabilibus ſac.ſcript. cap.1. Deus inquit ex informi materia quam prius ex nihilo fecerat,cũctarũ uiſibilium,& inuiſibilium rerum hoc eſt ſenſibilium, & inſenſibilium,intellectualium,& intellectu carentium ſpecies multiformes diuiſit.Et lib.de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 10. Nihil incorporeum, & inuiſibile natura credẽdum eſt, niſi ſolum Deum patrem Filium,& Spiritum Sanctum,cap.11.Creatura omnis corporea eſt. Angeli,& omnes cœleſtes uirtutes,licet non carne ſubſiſtant.Ex eo autem corporales eſſe credimus intellectuales naturas,quod localiter circunſcribuntur,ſicut & anima humana quæ carne clauditur.eãdem ſnĩam habet lib.65.quæſtionum.queſt.41.in tract.in pſalm.145.lib.3.de libro arbitrio,cap.11.lib.2.de Trinitate,cap.7.lib.3.de Trinitate,cap.1.lib.4.cap.13.lib.8.de Ciuit.Dei,cap.13.dæmonibus electa eſſe preſtantiora corpora,quam noſtra, lib.9.de Ciuit.Dei,cap.10.& 18.lib.11.cap.23.lib.15.cap.23.lib.21.cap.3.His adde Ambroſium,Hieronymum, Methodium,Tertullianum,Iuſtinum Martyrem,Chriſoſtomum,Ioſephum,Euſebiũ Cæſarienſem,Iſidorum , & alios quos citatos cum ſuis ſententijs legere poteris in diſtinct. 8. diſput.7. explicantes locum illum Geneſeos 6. Videntes filij Dei filias hominum qui illam ſententiam de Angelis intelligunt, cum tamen conſtet ſine corporibus filios procreare non potuiſſe.

Tandem hæc ſententia definita uidetur in ſac. Concilio Niceno 2.act.5. in qua legitur diſputatio quædam Sancti Ioannis Epiſcopi Theſſalonicenſis cum Gentile quodam, qui dicebat Angelos non eſſe pingendos, quia non ſunt corporei.Reſpondet Sanctus Ioannes,De Angelis,& Archangelis,& eorum Poteſtatibus, quibus & noſtras animas adiungo, ipſa Catholica Eccleſia ſic ſentit,eſſe quidem intelligibiles,ſed non omnino corporis expertes, & inuiſibiles,ut uos gentiles dicitis; Verum tenui corpore præditos,& aereo ſiue igneo,ſicut ſcriptum eſt. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus,& miniſtros eius ignem urentem;ſicut autem multos ſanctorum Patrum ſenſiſſe cognouimus, quorum eſt Baſilius cognomento

mento magnus, & Beatus Athanasius, & Methodius, & qui stant ab illis. Solummodo autem Deus incorporeus, & informabilis, intelligibiles autem creaturæ nequaquam, ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles pictura existunt. Quare etiam in loco existunt, & circumferentiam habent. Quamquam autem non sunt, ut nos corporei, ut pote ex quatuor elementis, & crassa illa materia, Nemo tamen, uel Angelos, uel dæmones, uel animas dixerit incorporeas, multoties enim in proprio corpore uisi sunt, sed ab illis quibus Dominus oculos aperuit. Nos igitur eos non, ut Deum, sed ut creaturas intelligibiles, & ministros Dei, non tamen, ut uere incorporeos pingimus, & colimus. Quod autem hominis forma pingantur, in causa est, quod in ea uisi sunt, si quando ministeriũ Dei apud homines obierunt. Tunc.

Tharascius sanctissimus Patriarca dixit. Animaduertamus dictum Patris, quod illic Samaritæ imagines domini, & seruatoris nostri. Item intemeratæ eius matris subuerterunt, hi uero gentiles. Ostendit autem pater, quod & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt.

Sacra Synodus dixit ETIAM DOMINE.

Hæc autem sententia præter citatas Patrum auctoritates rationibus probatur.

Primò, quia Gen. 6. dicuntur filij Dei uidentes filias hominum, quod essent pulcræ &c. quã sententiã de Angelis esse intelligẽdã docet Septuaginta Interpretes qui uerterunt Ὁι Ἄγγελοι τοῦ θεοῦ idest Angeli, Dei, & de Angelis, etiam explicant Patres, supra citati, hoc autem absque corpore esse uel fieri non potest, ergo.

Secundò, psal. 77. & Sap. 18. dicitur Angelorum esca nutriuisti populum tuum Domine &c. Manna enim uocatur esca Angelorum, sed Manna erat corporeus cibus, si ergo Angeli corporeo uescuntur cibo utique & ipsi corporei existunt. Docent enim Aristoteles 2. de anima tex. 45. omne simile nutriri a simili.

Tertiò, quia hominibus apparuerunt in forma corporali, eisq; se non solum uidendos sed etiam palpandos obtulerunt, non potest autem dici, quod ipsi uisi sint in forma corporea, ad decipiendos homines, quia Sancti Angeli, nec uerbo, nec facto mentiri possunt.

Quartò, Quia ex dictis in d. 3. constat in eis esse compositionem ex actu & potentia, ergo etiam ex materia & forma, quia omnis potentia est materiæ, & e contra materia est essentialiter potentia, sed omne compositum ex materia & forma est corporeum, ergo.

Quintò, dæmones ut supra demonstrauimus uere, & proprie torquentur igne corporeo, uruntur, cremantur, ardent, sed non possent pati ab igne corporeo, nisi & ipsi essent corporei, nam inter agens, & patiens debet esse proportio, quę inter corporeum, & in corporeum non cernitur, ergo.

Contraria tamen sententia communissima est Patrum, etiam eorum, quos in prima sententia citauimus, & etiam Scolasticorum omnium excepto Caietano in cap. 2. Epistolę ad Ephes. dicit quosdam dæmonus aereos, spiritus esse crediderim & id consonare uere philosophiæ, & rationi, ut quemadmodum inuenitur uegetatiuum, sine sensitiuo, & sine secundum locum motiuo; ita inueniatur secundum locū motiuum, sine sensitiuo quod est ponere huiusmodi aereos spiritus constantes, ex intellectiuo, & secundum locum motiuo; Ab illa etiam Caietani sententia non omnino se abborere indicat Xistus Senen. lib. 5. Biblioth. annot. 8.

SECTIO II.

Probatur Angelos esse incorporeos, & conciliantur Patrum sententiæ, quæ dissentire inter se uidebantur.

Angeli sunt incorporei.



Onclusio igitur decisiua est, quod Angeli, sint, incorporei. Hæc conclusio certissima est & probatur.

Primò, ex scripturis quæ Angelos spiritus uocant, sed spiritus carnem & ossa non habet, sed neque corpus ullum, qui corpori opponitur, &c. Maior patet, frequentissime in scripturis. psal. 103. Qui facit Angelos suos spiritus. Matt. 8. Eijciebat spiritus uerbo. Matt. 10. spiritus immundi. 12. Immundus spiritus exierit ab homine. Act. 8. Spiritus Domini rapuit Philippum & alibi sæpissime. Ephes. 3. Non est nobis colluctatio &c. sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

Secundò, definita uidetur hæc sententia in Concilio Lateranensi sub Innoc. 3. in cap. firmiter, Qui sua omnipotenti uirtute in principio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem Angelicam uidelicet, & mundanam. Conc. Constantinop. it. 6. actione. 11. Omnia per unigenitum Pater in Spiritu Sancto fecit, quæ & sapienti prudentia continet. ut Deus suis operibus præsidens principiumque omnibus temporale constituens, sensibilia quidem fini temporali, supposuit, intellectualia uero, & inuisibilia hæc meliori dignitate dignatus est. Ecce Angelos uocat intellectuales substantias.

Tertiò, ex Patribus Damasc. lib. 2. de fide orthodoxa cap. 3. Angelus est substantia intellectualis, incorporalis, Dei ministra &c. lib. primarum instit. cap. 7.

Sanctus Augustinus lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 12. Immortales esse credimus spirituales substantias lib. de cognitione uere uitæ capit. 5. dicit Angelus spiritus est substantia incorporea, inuisibilis, rationalis, immortalis, & alibi sæpe.

San-

Sanctus Dionysius Areopagita cap. 4. de diuinis nominibus dicit, Intellectuales substantiæ uitam habent sempiternam, ab omni interitu, materia, ortuque carentem; & cap. primo de cœlesti hierarchia, uocat Angelos incorporales, & immateriales substantias & deiformes simplicitates, & immaterialitates.

Sanctus Chrisost. hom. 22. in Gen. dicit. Valde insanus esset, qui comprobaret talia uerba (scilicet quod Angeli uidentes filias hominum quod essent pulchrę &c) quod incorporea, & spiritualis natura corporis complexum ferat, & hom. in psalmum 8. super illa uerba, quoniam uidebo cœlos tuos. Quare nihil dicit de potestatibus incorporeis? respondet ut ipsi discerent de iis quæ uidebantur &c. idem fere ait hom. 3. in c. primum. Geneseos & hom. 4. contra Anomeos.

Cassianus lib. 12. collationum cap. 8. Nullo modo ait credendum est spirituales naturas coire cum fęminis naturaliter posse.

Sanctus Basilius sermone primo in Hexameron. Rationales & inuisibiles naturas & omninm inuisibilium ornatum produxit, & infra. Post inuisibilia, & intelligibilia, uisibilium horum & sensibilium principium originis narrans.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem furore plenum est Angelos qui natura in corporei sunt, rudiore uti alimento putare.

Riccardus de Sancto Victore lib. 4. de Trinit. cap. ultimo. Quis autem neget creaturam incorpoream, & ab omni corporeæ concretionis adhesione alienam ad diuinam simplicitatem magis accedere; & hoc quod Angeli sint incorporei in toto illo capite rationibus probat.

Nazianzenus oratione secunda de Theologia spiritus porro, atque ignis Angelus appellatur, illud quia intellectili natura est præditus, hoc quia purgandis, animis nostris adhibetur, & infra. Sint sane illi in corporei, aut quamproxime adhoc accedentes.

Sanctus Athanas. lib. de communi essentia. Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sub finem in interrogatione de Angelis, Angelus inquit est animal rationale expers materię hymnis dicendis aptum immortale, & in disputatione habita cum Arrio in Concilio Niceno interrogat Arrium, hac ratione Athanasius, Angeli, incorporei; ne sunt, an potius homines; Arrius respondet. Angeli quia spiritus sunt, incorporei sunt, quam responsionem ibi approbat Athanasius.

S. Irenæus lib. 2. contra hæreses, Valentini cap. 54. Et vniuersæ spiritalis substantiæ demiurgum animalé esse dicunt, & inf. cap. 55. & 56. quibus substantias spirituales repperiri. Qui enim sunt in cœlis inquit spiritalis conditionis.

Hugo de S. Victore tract. 2. de creatione, & statu naturæ Angelicę cap. 2. in prima cõditione, inquit, tria Angelis vñr esse tributa, essentia indiuisibilis, & immaterialis; intelligencia spiritalis &c.

Quar-

Quartò, quia anima rationalis est incorporea, ergo etiam a fortiori Angelus. consequentia patet, quia anima rationalis est actus materiæ Angeli autem, non sunt actus materię. Antecedens probatur Conciliū Constantinop. sextū coniungit simul Angelos, & animam rationalem, & uocat illas intellectuales substantias. Ita & sancti Patres quos breuissime, loca potius indicando referam.

Clemens Romanus lib. Constit. Apostolic. cap. 6. Animam incorpoream, & immortalem affirmamus S. August. lib. de cognitione uerę uitæ cap. 5. spiritus est substantia incorporea inuisibilis, &c. Euseb. Cæsarien. lib. 4. de præparatione Euang. cap. 6. lib. 6. cap. 6 lib. 7. cap. 4. S. Petrus apud Clementem Rom. lib. 3. recognitionum post medium. S. Gregor. Thaumaturgus in libello de anima. Nyssenus de creatione hominis, per multa capita. Epiphanius hæresi. 66. prope finem. S. Athanas. lib. de communi essentia Patris Filij & Spiritu sancti, cap. ult. quid est hominem compositum esse ex incorporali mente, & corpore concupiscibili, & in disput. cōtra Arrium habita in Concilio Nyceno, Anima spiritus est.

Quintò, posset probari rationibus Aristot. 8. physic. & 12. met. quæ licet patiantur aliquas difficultates, tamen bonę sunt.

Sextò, probatur ex argumento Riccardi de S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. ult. Nonne ex Euangelio innotuit, quod dominus ab uno homine expulit legionem Angelorum. Continet autē una legio sex millia sexcenta, & sexaginta sex (imo plures, ut dictū est supra dist. 3. disput. 2. sect. 2.) si ergo dæmones corpora habent, ubi tot corpora in eo fuere? Constat autem, quia omne corpus, longitudinem, latitudinem, & altitudinem, locales uidelicet dimensiones habet; & eo ipso sine locali capacitate subsistere non ualet, qualem quidem spiritus omnino non habet. Sed dicis fortassis quod Angelici spiritus subtilia corpora habent, sed quantumcunque subtilia, duo eiusdem præsertim quantitatis, corpora, unum eundemque locum occupare non possunt. Cuius ergo exiguitatis putas esse Angelicum corpus, si credas, uel solam hominis pellem, corpori detractam, tot angelica corpora posse compræhendere; sed ecce dum hoc per excessum diximus, a nostro proposito longius euagati sumus. Hæc ille, & ego cum illo.

Septimò, Angelus ad nullam suam operationem indiget corpore, ergo probatur antecedens. Non ad intellectionem, potius. n. impedit, uel retardat intellectionē, nam in corpore non fit intellectio, nisi extractis speciebus intelligibilibus ex phantasmatibus, ideo opus est intellectu agente, qui in Angelis non est, ut supra dixi.

Dices indigere corpore, ut se manifestent, uel appareant hominibus. Contra quia apparent in corporibus assumptis.

Dices secundo Egere corporibus, ut moueant orbes, sed contra, quia Arist. 8. physic. & 12. met. ostendit ex eo, quod intelligentiæ æterno tempore mouent orbes debere a corpore esse seiun-

ctas,

ctas, quia uirtus in corpore existens, in agendo repatitur, quare intelligentiæ defatigarentur, nec possent eodem semper modo mouere.

Vltimo probatur conclusio, quia ipsi sancti Patres citati pro opposita sententia, hanc nostram sententiam defendunt, Pro quorum conciliatione. Sciendũ est quod quemadmodum antiquato prouerbio dicitur. Quod medium utrumque sapit extremum; ita igitur Angeli medij sunt inter Deum, & nos, & licet spiritus sint, tamen multo magis a Dei simplicitate, & spiritualissima illa puritate, quam a nostra corporali crassitie elungantur. Qão Patres doceant Angelos esse corporeos.

Sancti Patres igitur fatentur quidem Angelos esse spiritus, & incorporeos, si tamen illa Angelorum spiritualitas, ut ita dicam, uel simplicitas cum Dei simplicitate cõferatur, adeo Angelorum simplicitas a Dei simplicitate superatur, ut corporei uideãtur ipsi spiritus. Vt igitur hoc quod dixi clarius, & firmius confirmetur, satius esse puto ipsos patres loquentes audire Damasc. lib. 2. de fide Orthod. cap. 3. Incorporeus autem, & immaterialis Angelus dicitur quo ad nos; nam omne ad Deum collatum qui solus incorporalis est, crassum, & materiale repperitur. Sola enim uere immaterialis, & incorporea diuinitas. S. Gregor. elegantissimo apposito exemplo hoc ipsum explicat lib. 2. moral. cap. 2. Angelorum uero spiritus loco circumscripti sunt, quia ubique esse non possunt; sed tamen eorum scientiæ longe super nos incompatabiliter dilatãtur. Interius quippe, & exterius sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de iis quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia nostræ scientiæ comparatione ualde dilatata est, sed tamen comparatione diuinæ scientiæ ualde angusta; sicut & ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorũ corporum spiritus sunt, sed comparatione summi, & incircumscripti spiritus, sunt corpus. Assentior autem doctissimo Iodoco Clictoueo in comment. Damasc. ubi supra dici interdum Angelos a Patribus corporeos, non quod ex materia, & forma sint compositi, sed quia ex actu, & potentia, quæ materiæ & formæ proportionalia sunt, componuntur, & hoc ipso quod componuntur non sunt simplices, hoc ipso, quod simplices, non sunt, corporei dicuntur.

Et per hæc patet responsio ad loca Patrum, quorum plurimi in locis citatis hac ratione sese explicarunt, alij eadem lege explicandi sunt; Quod si interdũ dixerunt Angelos habere corpora aerea, uel ignea &c. dicendum est hac ratione illis attribuisse hæc corpora, non quod uere his elementaribus corporibus eos circumuestire uoluerint, sed ut eorum crassitiem in ordine ad Dei simplicitatem comparatorum explicarent. Interdum tamen præcipue apud sanctum Augustinum concedendum est, Patres ad Platonicorum mentem fuisse locutos, interdum referẽdo, interdum etiam dubitando, ut de D. Bernardo, qui hom. 5. in Cantica dixit.

Cæterum

Cæterum utrum ipsis spiritibus naturalia corpora sint, sicut hominibus sua; an uero ipsi spiritus corpora, cum opus est, sumant, rursumque expleto opere ponant in eandem de qua sumpta sunt materiam dissoluenda; nolo ut a me requiratis. Videntur Patres de huiusmodi diuersa sensisse, nec mihi perspicuum est. Vnde alterutrum doceam, & nescire me fateor, sed & nostris profectibus, non multum conferre arbitror, harum rerum notitiam. Hæc S.Bernard. Interdum etiam Patres ita locuti sunt, ita forte sentientes, sed pauci in hac sententia repperientur.

Ad auctoritatem sacræ Nicenæ Synodi; eodem modo respondendum est, dicit enim esse quidem spiritales, sed non omnino eodem modo, quo uos Philosophi dicitis (Philosophi autem intelligentias dicebant esse actus puros, quod est Dei propriũ, ideo subdit) solus enim Deus incorporeus, & in formabilis, illud autem, quod præditi sint corpore aereo, siue igneo dicitur ad exprimendam crassitiem, quæ in ipsis depræhenditur Deo comparatis. Illud quod dicitur in proprio corpore apparuerunt proprium corpus intelligetur, quatenus, non in aliquo uiuente homine apparuerunt, sed in quodam proprio; sed tamen assumpto corpore.

Quod si alicui hæc explicatio paulo uiolentior uideatur, fateamur has explicationes esse uiolentas, & extortas, & nullas, adhuc tamen non sequitur illam opinionem esse determinatam de fide, quia quæ hucusque dicta sunt, non sunt uerba Concilij, sed sunt fragmentum Ioannis episcopi Thessalonicensis disputantis, cum quodam gentili, quod fragmentum lectum est in Concilio, sed sac. Concilium non determinauit ea esse de fide, quæ in eo fragmento legebantur. Imo ex illa lectione occasioné tantum delum psit determinandi, quod Angeli essent pingendi.

Conc. Nicænum secundum nõ determinauit Angelos esse corporeos.

Determinatio ergo Canonica, & Catholica sacri Concilii est tantum in approbatione horum uerborum, quæ dixit Thalassius Patriarca.

Ostendit Pater, quod, & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt, quibus respondit Concil. Etiam Domine. Tota ergo decretatio Conc. est quod Angelos oporteat pingere, & hoc est de fide determinatum contra Iconoclastas. Illud autem quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt communiter a doctoribus explicatur, illud non cadere sub determinatione fidei, quia non est conclusio intenta, sed ratio conclusionis rationes autem conclusionum, seu dogmatum in Concil. non sunt de fide, sed illud tantum dogma, ad quod confirmandum rationes adducuntur. Et hæc responsio, ut communis Doctorũ est bona. Illud tamen subdo, quod etiam si concederemus illam rationem esse de fide, nihil tamen roboris haberet contra sententiam nostram, quia nõ est contraria nostræ sententiæ. Illud enim circumscribi possunt, quia ut homines apparuerunt erit intelligendum, quod in ea forma in qua apparuerunt,

Rõnes Conciliorũ non faciunt argumentum de fide, sed illud tm ad quod rõnes adducũtur, & quod ut dogma a cõcilio intendatur.

runt, ut homines, circumſcribi poſſunt; & hæc pro explicatione illius ſac. Concil.

Ad rationes. Ad primam legantur, quæ in illius loci explicatione a nobis dicuntur in hac diſt.8. diſput.7.

Ad ſecundam Reſpondet S. Cyrillus, Alexand.lib.4. in Ioan. cap.10.hac ratione furoris penitus plenum eſt Angelos,qui natura incorporei ſunt, rudiori uti alimento putare; patrocinioqne indigere cibi, quemadmodum animata, hæc & terreſtria corpora; Dico igitur mannam uocatum eſſe panem Angelorum, uel quia populo datum eſt miniſterio Angelorum,uel propter excellentiam, panis Angelorum dicebatur.

Ad tertiam, Reſpondeo apparuiſſe in corporibus aſſumptis, non ad decipiendos, ſed ad erudiendos homines.

Ad quartam, Reſpondeo aliud eſſe compoſitionem ex actu,& potentia, aliud ex materia, & forma, illa enim in ſpiritibus eſſe poteſt, non ſolum in Angelis, ſed etiam in rationalibus animabus, quæ licet ſint actus corporis,tamen etiam potentiam includunt. Falſum eſt autem, quod omnis potentia, ſit potentia materiæ, quia neque potentia Dei eſt potentia materiæ,ſed potentia tantum ſubiectiua, eſt potentia materiæ.

Ad ultimum, Reſpondeo hoc fuſe explicatum eſt a nobis,in diſtinct. 6.diſput.16.ubi oſtendi ignem torquere ſpiritus non uirtute propria, ſed ut inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ.

DISPVTATIO II.

Vtrum Angeli aſſumant corpora.

CErtum eſt in ſcripturis Angelos in corporea forma, ſæpius apparuiſſe,ita Gen.18.tres Angeli Abrahæ apparuerunt,& Gen.19.Angeli Loth,apparuerunt, & eduxerunt è ciuitatibus, illas euerſuri, ita Gen. Manue Angelus apparuit, ſed omnium maximè aperta eſt, quæ de Raphaele Archangelo legitur in libro Tobię. Cum ergo hoc conſtet dubium tamen eſt apud Doctores. primo, An illa corpora fuerint realia,an phantaſtica. Secundo, Vtrum Deus, uel Angeli apparerent. Prima, ergo eſt.



DISPVTATIO III.

Vtrum Angeli assumpserint corpora vera, an phantastica.

DIuus Thomas refert, quendam Rabbi Mosen dixisse, ab Angelis non assumi corpora, sed tantum per sensuum ludificationem uideri habere corpora, cum uerè non habeant; sed hæc sententia communiter reijcitur tamquam temeraria.

Primò, Quia à ministris ueritatis maximè cum boni Angeli apparent longè abesse debet simulatio, uel fascinatio.

Secundò, Optima demonstratione, quia non solum uidentur, sed tanguntur, palpantur, sensibusque pluribus percipiuntur, non ab uno tantum, sed à pluribus, ergo.

Alij supra relati, putantes Angelos habere propria corpora, putabant in illis apparere, ita in Concilio Niceno, qui pingi possunt.

Alij ut Tertullianus putabat assumi, sicut Christus carnem humanam hypostaticè, ita dicit libro de carne Christi.

Angeli aerea corpora assumunt.

Conclusio certa, & indubitata, quòd Angeli assumunt corpora. Quoniam autem hæc conclusio est adeo ex scripturis, Patrum auctoritate, & rõne supra allata confirmata, nec ferè est, qui huic sententiæ reluctetur, ideo nobis diu laborandum non est in huiusce conclusionis confirmatione, sed sit.

Secunda Conclusio, Angeli non assumunt uera corpora Explico. Cum Angeli apparent in forma hominis, dico non assumere uerum, & reale corpus hominis, probatur.

Primò, Ex D. August. 3. Trinitat. cap. 1. Fateor, inquit, excedere uires intentionis meæ, an assumpta corpora uertant in quaslibet corporales species, etiam ipsas ueras, sicut aqua uera in uinum uerum, mutata est à Domino.

Secundò, Quia uerum, & substantiale hominis corpus, non ita facilè posset ab ipsis efformari, neque ita facilè in elementa dissolui, sicut ipsi faciunt, statim enim apparent, statim etiam euanescunt. Formant ergo sibi corpora aerea, condensando aerem crassiorem, uel nebulosum, uariasque figuras, colores, atque affectiones inducentes.

Angeli corpora & indumenta assumunt quæ sint proportionata ministerio ad quod assumunt.

Sciendum est autem ex Iodoco Clictoueo in commen. in Damasc. lib. 2. de fide orthodoxa cap. 3. quod Angeli talia corpora, taliterque formata assumunt, qualia conueniunt ministerio, quod exequuntur, ideoque Cherub. positus ad ualuas paradisi Terrestris, uersatilem gladium habebat, ad expellendum; Archangelus Tobiæ, formam iuuenis uiatoris suscepit, 1. Macab. Angelus percutiens

cutiens Eliodorum in forma militis, equo sedenti s, in uisu terribilis. Iosue cap. 5. Apparés Angelus suppetias laturus populo Dei, stricto gradio apparuit, & Romæ ad Castrum Crescentii apparens Angelus Diuo Gregorio, ut illum erudiret pestilentiæ labem cessasse, districtum gladium in uaginam reponens apparuit, ita hoc obseruare poteris in uisionibus Apocalipseos, hinc colligat concionator, quo paludamento indutus fuerit Archangelus Gabriel salutaturus B. Virginem, uel qua forma diabolus apparuerit Christum tentaturus. Qua trabea indutus fuerit Gabriel cum B V. annuntiauit.

DISPVTATIO IIII.

Vtrum Deus aliquando incorporea figura apparuerit.



Vidam Theologi, ut Gab. p. d. 8. q. 1. art. 2. dicit Deum numquam apparuisse.

Contraria tamen sententia communis est Patrum, & Scolasticorum.

Conclusio unica. Deus in assumptis corporibus sæpius apparuit, probatur. Deus sæpe uisibilis apparuit.

Primò, Ex scripturis. Es. cap. 52. In die illa sciet populus meus legem meam, quia ecce ego ipse qui loquebar ecce adsum, quem locum de filio Dei explicat Apostolus, Rom. 10. Genes. 12. apparet Dominus Abraham, & quod ille sit uerus Deus, patet quia dicit, Benedicens benedicam te, & multiplicabo semen tuũ &c Gene. 15. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis, merces autem est solus Deus. Gen. 28. apparet Iacob innixus scalę Heb. 6. ut firmiorem promissionem haberemus, cum non haberet maiorem se per quem iuraret per semetipsum iurauit dicens ergo. Genes. 35 & Exod. 3. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus Abraham, &c. Ego sum, qui sum, quam uisionem describens Iosephus lib. 2. antiquitatis capit. 5. dicit aparuit etiam si illi Deus nomen suum numquam antea hominum ulli auditum, aut cognitum, quod mihi, eloqui nec ius, nec fas esse arbitror, hoc autem nomen erat illud τετραγραμματον יהוה & capitu. 6. Ego sum Dominus, qui apparui Abraham Isaac, &c. in Deo omnipotente, & & nomen meum Adonai hebraicè יהוה, quod etiam optime aduerterunt doctores Louanien. ideo in Bibliis recens ipsorum recognitione Antuerpiæ Anno D. 1584. impressis in textu quidem ponunt Adonai, sed ad marginem scribunt יהוה. Hoc autem nomen solius ueri Dei proprium est, id eo ἄῤῥητον dicebatur, idest ineffabile, quia uenerationis causa, numquam hoc nomen efferre hebræi audebant. Hoc enim est illud nomen sacrum, & terribile.

de quo psalm.110. Ita Exodi 20. Deus apparens dat legem Mosi. Baruc 3. Hic est Deus noster,& non æstimabitur alius Deus præter eum, Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ,&c. post hæc in terris uisus est,& cum hominibus conuersatus est. Hebre.1. Multi pharie multisque modis,&c. In nouo testamento Pater in nube, Filius in carne, Spiritus sanctus in columba,& igneis linguis apparuere.

Secundò, Conciliũ Sirmiense, cuius Canones referuntur in Historia Tripartita lib.5.cap.7.& a Beato Hilario Epist.de sinodis. Hoc igitur Conci'. Canone 14. dicit Si quis filium non dicat uisum Abrahæ, sed Deum innascibilem, uel eius Patrem, Anathema sit.& Can. 15. Si quis cum Iacob, non filium quasi hominem colluctatum, sed Deum innascibilem, uel Patrem eius dicat. Anathema sit. Et in Nicena Sonodo 2.actione 4. Ioannes Vices agens Apostolicarum sedium orientis dicit. Clarius est his, quod & Iacob columnam erexit Deo, unde & benedixit illum promittens illi non dicenda dona, sed & alibi, & forma hominis cum eo luctatos est. Hæc ille. Quidam postea hæreticus libellum edidit sub nomine Caroli magni, uel ut magis placet eruditissimo uiro Laurentio Surio dicatum Carolo Magno, ita tamen, ut auctoris opusculi nomen suppressum esset, & pro uero nomine suppositum esset. Eli Phili, in quo libello repræhendit acta plurima. Nicenæ Sinodi secundæ in cap. autem 9 dictum illud citatum Ioannis repræhendit. De eo autem quod prædictus Ioannes dixit, in hominis forma locutus est cum ipso & uocauit eum Israel non benè sentit. Carolus, ut ostendat se opusculum respuere, opusculum mittit Hadriano Papæ primo, qui decretalem scribit contra errores illius libelli, & in responsione ad caput nonum dicit. Ex libro Sancti Gregorij Theologi de Deitate inter cætera dicit. Iacob enim scalam excelsam uidit, & post pauca, & quasi cum homine Deo colluctabatur;& post cætera. Et certamen pietatis translationem uocationis accepit, transnominatus pro Iacob, Israel.

Item Sancti Augustini de luctatione Iacob cum Angelo inter cætera. Tenebat ergo & luctabatur, quasi cum carnali habitu Iacob amplecti uolens. Ille autem dicebat dimitte me carnaliter, quia ecce iam mane est, ut spiritualiter illumineris.

Sanctus Clemens Rom. lib.5. Constit. Apost. cap.21. de filio loquens ait. Hunc uidit Iacob, uti hominem,& dixit uidi Deum facie ad faciem &c. Hunc Abraham hospitio accepit. Hunc Moyses in rubo uidit &c. Hunc uidit Iesus filius Naue & toto eo capite plurimas alias uisiones refert, in quibus filium docet fuisse, qui apparuit.

Sanctus Ignatius Martir Epist.ad Antiochenses, plurima ex ueteri lege refert, quæ de solo filio erant intelligenda.

Tertiò, Ex Patribus. Diuus Aug. Epist.112.ad Paulinam capit.7. Deus inuisibilis est natura, qui autem Deum uiderunt, quicumque

que

que cum uiderunt, quia cui uoluerit, sicut uoluerit apparet, ea spetie, quam uoluntas elegerit; & capitu. 8. inuisibilis igitur natura Deus, & non tantum Pater, sed & tota Trinitas, unus Deus est, & quia non tantum inuisibilis, uerum etiam incommutabilis, sic apparet quibus uoluerit, & in qua specie uoluerit, & lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 13. Nec mouere debet, quod cum sit inuisibilis sæpe Patribus apparuisse memoratur &c. lib. cont. Adimantem Manicheum cap. 28. Non enim Deum forma corporea circumterminat, sed quemadmodum figuratè, non propriè multa dicuntur, ita figurate multa monstrantur. lib. cont. Maximinū propè finem. Eam uero (idest diuinam essentiam) se in formas uisibiles uertere absit, ut dicam, quia & immutabilem dico, Restat ergo, ut aspectibus humanis quando se ostendit, ut uoluit, per subiectam intelligatur hoc fecisse creaturam, quæ potest oculis apparere mortalibus plura alia loca D. Augustin. lege libro secundo de Trinit. cap. 19. lib. 3. de Trinitate cap. 10. & 11.

Diuus Hilarius lib. 4. de Trinit. Tantum hoc demonstrandum fuit Angelum Dei, qui cum Agar locutus est, & Deum esse & Dominum cum ijsdem de rebus Abraham, locutus ipse sit, & uirum, qui Abrahæ uisus est, & Deum & Dominum fuisse, non solum autem ad Abraham in uiro Deus affuit, sed etiam ad Iacob in homine Deus uenit, neque solum uenit, sed etiam luctatus ostenditur, neque tantummodo luctatus, sed etiam aduersus eum, cum quo luctabatur infirmus &c. lege sequentia Verba, ubi plura ad hanc rem. *Angelus apparens Agar Deus erat.*

Cyrillus Alex. hom. 5. Non enim erat natura Dei, quod in monte Sina uidebatur, sed magis ignis &c. Descenderat enim Dominus in specie ignis & quare in specie ignis? Quoniam determinaturus illis erat legem, ut scirent illius transgressores sibi negotium esse cum igne. *Cur Deus daturus populo legem in figura ignis apparuit.*



DI-

DISPVTATIO V.

Vtrum Pater aliquando in aliqua corporea forma apparuerit.



Ccasio dubitandi ex eo desumitur, quod Patres de Dei apparitione loquentes férè uidentur apparitiones omnes tribuere filio; Concilium etiam Sirmiense de aliquibus uiosinibus determinat eum, qui apparuit filium fuisse non autem Patrem. ita Canone 14. Si quis filium non dicat Abrahæ uisum, sed Deum innascibilem, uel Patrem eius. Anathema sit, & Can. 15. Si quis cum Iacob non filium quasi hominem colluctatum, sed Deum innascibilem uel Patrem eius, anathema sit.

Sanctus Clemens Romanus lib. 5. Constitutionnm Apostolicarum cap. 22. plurimas, easque præcipuas apparitiones ex ueteri testamento refert, & eum, qui apparuit docet semper fuisse filium.

Sanctus Ignatius Epist. 9. ad Antiochenses plurima ex ueteri testamento affert & de solo filio explicat.

Sanctus Ambro. lib. 1. in Lucam cap. 1. sectione de apparitione Angeli dicit. Aut igitur acquiestatur necesse est, si Deum Patrem nemo uidit unquam; filium uisum esse in ueteri lege, & desinant hæretici, ex Virgine ei principium dare, qui antequam nascere tur ex Virgine uidebatur.

Tertull. lib. aduersus Praxeam ante medium. Aut scriptura inquit mentitur, cum inuisum, aut cum uisum Deum profert. Iam ergo alius erat, qui uidebatur, quia non potest idem inuisibilis definiri, qui uidebatur, & consequens erit, ut inuisibilem Patrem intelligamus, præ magnitudine maiestatis, uisibilem uero filium agnoscamus pro modulo deriuationis, & alia multa habet in hāc sententiam, quæ apud ipsum legere poteris. His adde testimonia Patrum, quæ in præcedente disputatione adduximus, quæ de Dei apparitione loquentes, uere ad filium omnes apparitiones referunt.

Idem etiam, fortius ex scripturis confirmari potest, in quibus ostenditur eum, qui in ueteri lege apparuit filium fuisse. Es. cap. 12. propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ecce ego ipse qui loquebar ecce ad sum, quem locum de filio explicat Apostolus Rom. 10. Baruc. 3. Hic est Deus noster, & non estimabitur alius Deus, hic adinuenit, omnem uiam disciplinæ, & tradidit Iacob puero suo, & Israel dilecto suo, & statim subdit, post hęc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, quæ sine dubio de filio intelliguntur cum factus caro habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius &c. 1. Petri secundo: Reuelationes Prophetiæ

phetiæ a filio factę. Matt.22.fatetur se misisse prophetas. Ecce ego mitto ad uos sapientes &c.

Conclusio Decisiua. Pater interdum in Veteri lege apparuit. Hęc Conclusio probatur.

Pateri ueteri lege interdū apparuit.

Primò, Exodi 3. apparens in rubo. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. & cætera. Vbi triplex illa repetitio significat Trinitatem personarum sicut & Vnitas, uel singularis numerus essentiæ unitatem significat, & cū dicit, Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus, & Esa.6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, ita explicant Patres, quorum uerba breuitati studens non censui, hic ascribenda, ea legere poteris apud Basilium lib.3.cont.Eunom.

Quomodo ex ueteri testamento probetur mysterium Trinitatis.

Greg.lib.29.moral.cap.16.& hom.16.in Ezechielem. Athanas. opusculo in ea uerba omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Xistus primus epist.decretali. Sāctus Martialis epistola ad Burdegalenses; sed eruditissimè, & elegantissimè.

Alexander Papa primus in epist.prima decretali scripta omnibus Ecclesijs, cuius uerba breuitatis mihi ab oculos propositæ ob litus, prætermittere nec possum, nec debeo, adeo uenustatis omnis condimento conspersa sunt. Si Trinitas, inquit, non est, quare Seraphim apud Esaiam Sanctus, Sanctus, Sanctus, tertio dixerint; si unitas non est quare sub Trina repetitione unum Deum ac Dominum intimarunt; Si Trinitas non est quare in Genesi dicitur, Dixit Deus; Fecit Deus; Benedixit Deus. Si Vnitas non est quare tertio Deus, & Deos plurali numero non commendauit. Si Trinitas non est, quare in Exodo dictum est, Domine, Domine, Domine, miserator, & misericors, si unitas non est, quare dū tertio Domine diceret, postea miserator, & misericors singulariter dixit. Si Trinitas non est, Cur Abraham ad Ilicem Mambræ sedens tribusque occurrens uni dixit Domine. Si Vnitas non est, cur cum Moysi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob tertio diceretur, unitatem ostendens, hoc mihi nomen est, dixit, non hæc sunt nomina nostra designauit. Si Trinitas nō est, quare Dauid tertio dixit Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus. Si Vnitas non est, Quare cum tertio Deum nominasset, Benedicat dixit, & non Benedicant adiunxit. Si Trinitas non est, Cur Esaias denuo dicit, Dominus Deus Sabaoth, Deus Israel, qui sedes super Cherubim, Si Vnitas non est, quare qui sedes dixit, & non qui sedetis astruxit. Et alia plurima loca sub hac eleganti repetitione congerit, quæ longum esset hic referre. Ex illis igitur omnibus apparitionibus in quibus Trinitatis figura fuit colligitur Patrem apparuisse.

Quomodo essentiæ diuinæ unitas & personarum Trinitas comprobetur ex sacris litteris.

Secundò, ex illo Act.3. Deus Abraham, Deuus Isaac, Deus Iacob glorificauit filium suū Iesum, sicut locutus est per os sanctorum suorum. Ita etiam Luc.2. erexit cornu salutis, sicut locutus est per os sanctorum, secundo ubi de Patre clara fit mentio Gen.

22.qui

22. qui apparet Abrahę est pater, quod colligitur ex illo, quod dicit. In semine tuo benedicentur: Si enim filius apparuisset dixisset, in me ipso benedicentur; sed apertissimum testimonium habetur Deut. 18. Cum Deus sub ignis specie apparuit, & dixit, Mosi, Prophetam suscitabo, de medio fratrum tuorum, & ponam uerba mea in ore eius, & qui non audierit, ego ultor existam, in quibus aperte loquitur Pater de filio suo, Christo, scilicet quē ipse suscitauit mittendo in carne, qui autem mittit, Pater est, qui ut à nullo est mitti non potest, & quia aliæ personæ ab ipso sunt, ideo eas mittere potest.

Tertiò probatur, ex Patribus. Athanas. lib. de communi essentia Patris, Filij, & Spiritussancti, sectione quod patet uocet Filium Deum, & sectione sequenti, & lib. quæstionum ad Antiochum. quæst. 12. Irenæus lib. 4. contra hæreses Valent. cap. 37. quamuis infra uideatur dicere Patrem fuisse inuisibilem, Ambr. ubi supra rarius tamen Patres loquuntur de apparitionibus Patris, quia in hoc Arrius cum ipsis consentiebat, quod Pater esset uerus Deus, qui apparuerit in ueteri lege, qui legem dederit, qui prophetas miserit. Ideo Patres apparitiones factas, quam maxime filio attribuunt, ut inde filij diuinitatem ostendant.

Ad auctoritates in contrarium, Respondeo illas non negare Patrem aliquando apparuisse, sed frequentius tantum filiū, quàm Patrem uisum esse.

Ad illas tamen, quæ uidentur Patrem inuisibilem facere explicantes de illud Ioan. 1. Deum nemo uidit vmquàm Respondendum est, esse intelligendas, ut explicauit S. Athanas. ubi sup. quod inuisibilis sit, quo ad essentiam, Filius uerò dicitur uisibilis fuisse quo ad essentiam, propter carnem assumptam, cuius essentia nobis cognita erat.

Ad testimonia scripturarum, Respondendum est illas probare tantum, quod filius frequentius apparuerit.



DI-

DISPVTATIO VI.

Vtrum Angeli in corporibus assumptis exerceant opera vitæ.



OPera uitę intelliguntur a Doctoribus operationes uitales, quæ animatum sunt propriæ, ut uegetatiuæ, nutriri, augere, generare, Sensitiuę uidere uisione corporali, audire &c. & recte hæ dicũtur operationes, quia Arist. per uitam intellexit has operationes vitales, ita lib. 1. de anima initio, & secundo de anima, tex. 5. & 6. in explicatione definitionis animæ. Quomodo accipiantur opera uitæ.

Conclusio Angeli in assumptis corporibus non exercent opera uitæ, probatur.

Primò Tobiæ cap. 12. Raphael dicit cum essem uobiscum uidebar manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili utor, & potu, qui ab hominibus uideri non potest. Angeli non exercent uere opera uitæ.

Nyssenus oratione de pauperibus amandis. Quid, quod inquit diabolus, cum spiritus sit, corporis expers nihil umquam edit omnino, & diabolus sancto Antonio dixisse fertur, se ipsius ieiunia non perhorrescere, quia, & ego inquit semper ieiuno, at humilitatem tuam timeo.

Obiicies D. August. Epist. 49. quæst. 1. dicit Christum post resurrectionem, & Angelos legimus escas sumpsisse, nõ ficto, & inani phantasmate, sed manifestissima ueritate, nec tamen necessitate, sed potestate, aliter enim absorbet terra aquam, sitiens, aliter solis radius candens, illa indigentia, iste potentia, & lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 22. Quod Angeli quoque uisibiliter, & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia uolebant, & poterant, ut hominibus congruerent sui ministerij quadam humanitate fecerunt; Neque enim in Phantasmate Angelos comedisse, censendum est; quando eos homines hospitio susceperunt, quamuis vtrum Angeli essent ignorantibus, consimili nobis indigentia edere uiderentur, Vnde est quod ait Angelus Tobiæ. Quando etiam Vobiscum &c. ergo est uera comestio in Angelis.

Respõdeo, cum Chartus. hic, latere hac in re ęquiuocationem secundum quid nominis comestionis.

Si enim comestionis nomine intelligatur tantum, quod cibus scindatur, conteratur, molatur, & non ex ore expuatur, neque euomatur, sed intra comedentem recondatur, uere illa est comestio, & hac ratione Scot. contendit esse comestionem, & hac de causa Beatus August. dicit, quod non ficta imaginatione, uel phantastice, sed realiter comedebant. Si uerò sumatur comestio quatenus est ad sustentationem naturæ, ad necessariam corporis nutritionem, hac ratione non est comestio, quia in corporibus assumptis, Quomodo sit comestio in Angelis.

ſumptis,non ſunt delineatæ,neque organizatæ partes concurrentes ad nutritionem, ut uentriculus, Venæ Meſſaraicæ,hepar,uena caua &c.& quia corpora aſſumpta non ſunt eſſentiales partes Angelorum,quibus Angeli in ratione actus uniti ſint, ſicut anima corpori. & hoc eſt quod uoluit B.Augu.cum dicit, quod potentia comedebant, non neceſſitate.

Dices ergo abſolutè dicendum eſt, quod Angeli comedebant, & ideo mala erit concluſio.

Reſpondeo concluſio loquitur de comeſtione quatenus eſt actio uitalis, quæ a principio uitali oriatur, ad corporis ſuſtentationem,& reparationem humidi radicalis. Ideo ſimpliciter non eſt dicenda comeſtio:ſed ſecundum quid. Quæ autè fuit in Christo Domino poſt reſurrectionem ſimpliciter eſt dicenda comeſtio,quia licet cõueniat cum comeſtione Angelorum in eo, quod non fit propter neceſſitatem,tamen ab ea diſtinguitur,quia Christi comeſtio fuit per inſtrumenta naturalia à principio uitali mota, at comeſtio Angelorum eſt à principio non uitali.

Dices quid fit de illo cibo? Reſpondeo reſoluitur in præiacentem materiam, ſcilicet in aerem, non uerè concoquitur, nec digeritur, ſed ut miſtum in elementa reſoluitur.

Secundo probatur concluſio,quia de ratione operationis uitalis eſt,ut procedat à principio uitali,ut enim bene aduertit Duran. actus ſecundus debet procedere ab actu primo in eodem genere, at in Angelis non eſt actus primus, ſcilicet anima, ergo nec actus ſecundus,ideſt uera animæ operatio.


Tertiò, probatur de operationibus ſingularum animarum augmentatio enim eſt acquiſitio quantitatis ab interno calore proueniens, quæ in illis eſſe non poſſet, & licet ut in quibuſdam Apocryphis hiſtorijs legitur interdũ Diabolus finxerit ſe eſſe alicuius fœminæ filium,& lacte nutritus creſcere uiſus ſit;tamen illa non erat uera augmentatio, ſed additio ab extrinſeco illi corpori facta.Idem de Viſione,Auditione,Locutione,licet enim oculorum formam ſuſcipiant tamen per illos non uident, quia uiſio eſt actus uitalis, ideo ſunt æquiuocè oculi, æquiuocè dentes, æquiuocè manus, &c. locutio autem fuit ſola efformatio uocis in aere ſicut cum Pater de nube locutus eſt, uel Aſina Balaam, quod ad intellectum attinet,intelligunt quidem uerè,& formaliter, ſed tamen illa intellectio non eſt humana, quia nec diſcurſiua;ideo ſonum quidem riſui noſtro omnino ſimilem edere poſſunt,non tamen ſunt uerè,formaliterque riſibiles.

Angeli exercent operationes ſimiles uitalibus, at non uere uitales.

DI-

DISPVTATIO VII.

Vtrum dæmones generare posſint.


Vit quorundam ſententia, ita inter alios Iulianus Apoſtata, cõtra qnem Cyrillus inuehitur, in Apologia cont. Iulianum arguens ipſum maxime inſcitię ſcripturarum, Angelos poſſe filios procreare, non quidem in Angelica natura, certum enim eſt non poſſe unum Angelum, alium Angelum procreare, quia generatio ſi fieret cum deciſione ſubſtantiæ, ut in hominibus diceret nimis magnam imperfectionem, in ipſis: ſi autem fieret abſque diuiſione ſubſtantiæ, ſed per communicationem ſubſtantiæ totius, ut in Deo, diceret nimis magnam perfectionem, quæ in ipſis non eſt ponenda, in natura igitur humana dicunt poſſe filios generari ab Angelis, per Angelos ſuccubos, uel incubos, Succubi dicũtur, qui in forma fœminea uenerea exercent, Incubi, qui in uirili ab incumbendo. Tamen apud Medicos dicitur morbus quidam incubus græcè ἐφιαλτής ut dicit Cęlius. lib. 27. cap. 14. & is cum dormientibus uidetur phantaſma irruere, & illos opprimere, & ſuffocare, & Raphael Volaterranus, lib. 24. de Philologia, Incubus, quem græci ephialtem, quod in eo conſtituti in ſomnis ſtrangulari uideantur, aut membris aliquibus detineri, aut cadere ex alto, aut uoce, aut uenere parata prohiberi. probatur hæc ſententia.

Angeli ſuccubi & incubi.

Primò, Ex ſcripturis Gen. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchrę, acceperunt ſibi uxores ſingulas, cumque genuiſſent, &c. iſti ſunt potentes à ſeculo uiri famoſi, ſunt autem hi gigantes. Ita etiam Apoſt. 1. Cor. 11. præcipit uelari capita mulierum propter Angelos, ita Oſeæ 4. dicitur ſpiritus fornicationis, & Ioan. 8. Hebræi dicuntur filij diaboli.

Secundò, Ex Diuo Auguſtino lib. 2. Ciuitatis cap. 26. ijdem ipſi dæmones, qui ſe huiuſmodi uoluptatibus immundos ſpiritus eſſe confitentur, qui ſuis flagitijs, & facinoribus, ſiue indicatis, ſiue ſimulatis, auctores ſcientiæ ſceleſtę immundęque teſtantur & lib. 15. ciuit. Dei, cap. 23. dicit & quoniam creberrima fama eſt multi que ſe expertos, uel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant ſyluanos, & faunos, quos vulgo incubos uocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earum appetijſſe, & peregiſſe concubitum, & quoſdam dęmones quos Duſios Galli, nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam tentare, & efficere plures, taleſque aſſeuerant, ut hoc negare impruden tiæ uideatur, &c. Ludouicus Viues in commentarijs huius capitis, Pſellus inquit ex Marco quodam dęmonicarum rerum maximè gnaro, refert dæmones ſemen iacere, ex quo perpuſilla quædam oriantur animalia, habereque membra genitalia, ſed nõ qua-

lia hominis excrementum, ex illis manare, & Isidorus lib.8.capit. ult. idem dicit de incubis quod D. Aug.

D.Hieronymus in cap.6. ad Ephes. ibi, non est nobis colluctatio, &c. dicit. Sunt enim quidam dęmones amoribus, & amatorijs canticis seruientes, & Propheta quoque Oseas cap. 5. dicit Spiritu fornicationis seducti sunt. Nam & Barbara quædam nomina eorum esse dicuntur, ad quæ inuocati assistere Dæmones, & Infelices animas capere memorantur.

Ambros. lib. de Noe, & Arca cap.4. Gigantes inquit non Poetarum more terræ filios uideri uult Diuinæ scripturæ conditor, sed ex Angelis, & mulieribus genitos asserit.

Tertullianus in libello de habitu mulierum Angeli inquit ad filias hominum ruerunt de cœlo, & post libidinum uaporata momenta cœlum suspirabant.

Lactantius Firmianus lib.2. Diuinarum institutionum cap.15. de Lucifero loquens ait, Dominator ille terræ fallacissimus, consuetudine ipsa Angelos ad peccata pellexit, & mulierum congressibus inquinauit, tamen in Cœlum ob peccata quibus se immerserant, non recepti ceciderunt in terram, sic eos diabolus, ex Angelis Dei fecit suos satellites, ac ministros.

Methodius sermone, de resurrectione dicit diabolus prauus factus est circa cócreditorum sibi administrationem, & inuidiam contra nos concepit, quemadmodum, & qui postea carnes amauerunt, cum filiabus hominum ob concubitus amorem conuersati sunt.

Sanctus Iustinus, Martir Apologia, prima pro Christianis ad Senatum, Romanum initio, Deus, ait, postquam res terrenas homini subiecit, eorum, quæ sub cœlo sunt curam commisit, designatis ad hanc functionem Angelis, qui ab officio decedentes, uictique fęminarum amplexibus, susceperunt, ex eis progeniem, quam uulgus uocat genios, & prouecti ad maiorem audaciam humanum genus sibi subdiderunt.

Chrisost. hom. in festo decollat. Sancti Ioan. Baptistę dicit Mulier non solum homines, sed etiam Angelos e cœlo postrauit.

Iosephus libro primo antiquitatum capit.3. dicit, Multi Angeli Dei cum mulieribus congressi progeniem procrearunt insolentem, & fiducia roboris omne ius, & fas contemnentes.

Phylo libro de Gigantibus, Viderunt Angeli Dei filias hominum, uocat autem Moses Angelos quos Philosophi genios, Hi sunt animæ uolantes per aerem, & horum quidam descenderunt in corpora.

Magister historiæ Scolastic. qui in historia Geneseos cap.21. dicit, Potest etiá esse, ut Dæmones incubi genuissent gigantes, quia incubi uel Dæmones solent nocte opprimere mulieres.

Eusebius Cęsar. lib.5. de præparatione Euangelica locum Gen. 6. explicat de Dijs Gentilium 70. Interpretes uertunt Οἱ Ἄγγελοι

τοῦ

τοῦ θεοῦ, ideſt Angeli Dei, id qđ Hebraicæ legebatur בניה אלהים ideſt filij Deorum, uel Potentum; lege Cęlium Rodiginum lib. 2. antiquarum lectionum capit. 6. Xiſtum Senenen. lib. 5. annot. 77. Sulpitium Seuerum initio libri primi ſacræ hiſtoriæ.

Tertiò, Experientia, Nam ſicut ſcribit Gulielmus Pariſienſis parte ſecunda, ſecundæ partis de uniuerſo cap 2. Interdum in cubi dæmones moleſti, & uiolenti mulieribus fuerunt, quod repetit pluribus allatis teſtimonijs, in tertia parte ſecundæ partis capitul. 25.

Quartò, Quia de facto in hiſtorijs legitur quoſdam a Diabolo fuiſſe procreatos, ita de Hunnis fertur in ipſorum hiſtoria. Item ex Chartus hic, & Gulielmo Pariſien. ſupra legitur in Britania de Merlino propheta, qui a dæmone incubo fuerit generatus & Inſulam Cipri a filiis incuborum totam habitari dicunt.

Quintò, Addunt alij id eſſe per facile, quia de facto ſemen emittunt, Gulielmus, ſupra cuidam mulieri ab incubo tantam ſeminis copiam infuſam docuit, quantam uix mille uiri emitterent. Quod ſi etiam Equę uento phauonio tantum in Portugalliæ inſula concipiunt, ita modico adiumento etiam mulieres per in cubos concipere poterunt.

Fabula de Portugallię equabus, qđ uento concipiant.

Sextò, Fertur hiſtoria de infantibus, qui cambiones dicuntur, qui ab incubis geniti dicuntur, & interdum ſupponuntur aliis fęminis, qui adeo lactis bibuli ſunt, ut uix quatuor nutricum ubera ſingulis ſufficiant.

Cambiones lactis ſunt bibaciſſimi.

Concluſio dæmones generare non poſſunt, nec etiam Venereis uoluptatibus inquinantur, aut afficiuntur. Et quidem non negabo dæmonum alios fieri interdum ſuccubos, alios in cubos; ſed dico eos neque exardeſcere amore, neque uenerea uoluptate affici, Quamuis ad decipiendos uiros, & mulieres ad illicita eos pellicere curant, probatur hæc concluſio.

Primò, Quia uerè incorporei ſunt dæmones, ideo carent inſtrumentis, & uaſibus ad procreationem neceſſariò concurrentibus, corpus uerò ab ipſis aſſumptum, cum formaliter, nec animatum, nec carneum ſit, ſed aereum æſtuantes libidinum faces non ſentit.

Secundò, Quia ſi in ipſis uera ineſſet libidinis uoluptas, & facilius, & uoluptuoſius poſſent illam explere in ſemetipſis, & cum aliis Angelis, uel dæmonibus, quam cum uiris, uel mulieribus.

Tertiò, Quia in ipſis non ſunt conceptacula ſeminis, neque inſtrumenta ſeminis formatiua, & licet eſſent, tamen dum cum mulieribus comiſcentur non ſolus homo generaretur, ſed tertium, quoddam animal quod ſpecie a dæmone, & homine, eſſet diuerſum ſicuti patet de mulo, &c.

Dices, Poſſunt dæmones exciſum a Viro ſemen in utero matrum immittere, & filios procreare.

Reſpondeo uerè poſſe dæmones prius ſuccubos à uiro ſemen

acci-

accipere deinde semine illo seruato,ac diligenter foto, fieri incubos fęminis, & hac ratione illas grauidas efficere, uel semen emissum a uiris, uel per nocturnam pollutionem, uel emissum per mollitiem colligere,& ex illo grauidas efficere mulieres,& generare hac ratione. Quidam doctor ex recentioribus, refert dæmonem incubum petiisse a muliere,cum qua rem habebat,an grauidari si uellet.

Ita etiam Epiphanius hæresi 26. in hæresi Gnosticorum hoc habet quod una ex dæmonibus scilicet succubis, quod quando Helias curru rapiebatur ad Cœlum dixit illi non poteris ascendere, quia filios habes ex me.

Tum Helias non ne ego castus semper fui?tum illa,Certe qñ in somnia somniās sæpè in defluxu corporum euacuatus es,ego erã, quæ assumpti a te semina, & genui tibi filios. Sed hoc impia stultitia est.

Tunc igitur Respondeo hac ratione posse per incubos filios generari, sed tunc dico, illos,qui generantur,non esse filios demonis incubi, sed eius uiri, a quo semen decisum est,quia uirtute illius seminis filius procreatus est.

Dices, Nonne posset dæmon ex aliqua materia efformare semen tantę uirtutis,ut ad generationem esset aptum?

Respondeo, Non posse licet enim forte Angelorum uirtutem non superet, tamen certum est,a Deo non permitti ut hoc efficerent. Puto tamen ego, quod etiam potestatem dæmonis superet, quia semen est ab anima uegetatiua,quæ autem propria sunt animarum non possunt a dæmonibus effici,sicuti neque Visio ab ipsis produci potest, quia est propria animæ sensitiuæ. Plura lege apud Alexandrum Alen. & Gulielmum Parisiensem,& Chartusianum, ubi supra.

Quartò,Ex D. Augustino ubi supra si ex incubis dęmonibus gigantes orti sunt,cur nunc,ex eisdem non nascũtur, neque enim dæmones uirtutem amiserunt?

Ad Argumenta. Ad Primum uariè Patres illud Gen.6.explicant D.Chrisost.hom. 22. in cap. 6. Gene.dicit.Nulla ratione intelligi posse de Angelis, quia in scriptura inquit non dabunt locum ubi Angeli appellentur filii Dei, soli enim homines Dei filii dicuntur.

Angeli dicebantur filij Seth. Communis ergo, expositio Patrum est quod illi essent filii Seth, qui eo quod essent ex generatione iustorum appellati sunt filii Dei, quasi filii optimi iuxta phrasim scripturæ quæ ad exprimendam rei alicuius excellentiam solet eam Dei, appellatione nominare, ut panis, Dei,i. optimus domus Dei, turris Dei, &c. *Nota scripturæ phrasim.* Ioan.Arboreus lib. primo Theosophię cap.6.ubi etiam notat haberi Hebraicè, Eloim, idest deorum siue iudicum, filios. Bene Theodo. Epithome diuinorum decretorum cap.de Angelis dicit extremæ amentiæ est, hominum incontinentiam Angelis tribuere.

buere. Cyrillus Alexand. lib.9.cont. Iulian. filios Dei dicti esse filios Seth.ita etiam Athana.q.97.Clem.Rom.lib. 1. Recognit.post medium & quod ad Amb. quidem attinet sciendum est, quod ut ipse in eod. capite ait homines iustos & fideles scriptura persæpè Angelos uocat. Cassianus etiam lib.8.collationum cap.21.dicit semen Seth.pro merito sanctitatis suæ & Patrum suorum dicebantur Angeli Dei,siue ut diuersa exemplaria continent filii Dei.

Sanctus Augustinus in quæstionibus super Gen.q.3.Quæritur inquit quomodo potuerint Angeli cum filiabus hominum concumbere,ut ex ipsis gigantes,nascerentur;quamuis nonnulli Latini, & græci codices non Angelos, sed filios Dei,legant,quos quidem ad soluendum hanc quæstionem iustos homines fuisse dicunt, qui potuerunt etiam Angelorum nomine nuncupari; Vnde credibilius est iustos homines fuisse, & ex iis testimoniis potest elici Regula explicandi Patrum dicta, quæ nostræ huic sententiæ aduersari uidebantur.

Ad illud 1.Cor.11.Per Angelos intelligit Episcopos, uel ministros Ecclesiarum, ita S.Hieron.

Ad illud Oseæ 4. spiritus fornicationis intelligitur, qui tentat de fornicatione, sicut ab effectu mors pallida dicitur metonimice, quia pallidos efficit, ita dæmones ab effectu dicuntur spiritus fornicationis, dicuntur muti,auaritiæ &c. Cassianus refert quendam Monacum interrogatum a quo diabolo tentaretur respondisse meus diabolus est Episcopus,quia de Episcopatu me tentat.

Ad illud Ioan.8. Respondeo ibi appellari filios secundum imitationem non secundum naturam,ita illa uerba,& desideria Patris uestri vultis perficere. Diabolus Episcopus uocatus.

Ad secundum concedendum est dæmones in assumptis corporibus turpia facinora peragere ad incautos decipiendos, pertrahendasque animas in infernum,& sic patet, ad tertium.

Ad quartum patet ex dictis illos non esse diaboli filios, sed uirorum a quibus semen excisum est.

Ad quintum, Respōdeo fabulosum esse, quod de equabus Lusitanis dicitur.

Ad sextum, patet ex dictis.



DI-

Vtrum Angeli sint in loco.



Ertum est Angelos cum sint substantiæ indiuisibiles non posse esse in loco diuisibili, atque corporeo circumscriptiue, hoc enim corporum proprium est.

Certum est, secundo Angelos assumptis corporibus indutos ratione eorum corporum circumscriptiue esse in loco, dubium est, An dum sunt sine assumptis corporibus, possint aliqua ratione esse in loco, saltem definitiue.

Esse autem in loco definitiue opponitur ei quod est esse ubiq;, bene etenim notat Ioan. Picus Mirand. Apologia de descensu animæ Christi ad inferos finitatem, seu limitationem essentiæ incorporeæ non esse rationem essendi in loco, sed esse rationem cur non sit ubique, & cur dum est in uno loco non possit esse naturaliter in alio loco. Quare Patres docentes Deum esse ubiq; docent reliquas creaturas esse difinite, & determinate in aliquo loco, quare etiam Angelos dicunt circumscribi loco, quod non intelligitur, ita circumscribi loco, ut loco commensurentur, hoc enim corporum proprium est, sed circumscribi, idest limitari, ne sint ubique. Vsus tamen obtinuit, ut hoc esse definitiue sumatur pro ut opponitur illi esse circumscriptorie, quo corpora loco circumscribuntur.

Qūo exponendi sunt Patres dum dicunt Angelos loco circūscribi.

Conueniunt etiam sancti Patres hoc esse in loco definitiue, siue illud esse in loco, quod de Angelis dicitur non esse proprie, sed improprie esse in loco, ita D. Thom. hic, & 1. dist. 37. quæst. 3. artic. primo, ubi citat D. Gregor. Nazianzen. qui dicit esse abusiue Angelos in loco.

Basil. concione in initium Euangelij Ioan. in fine, loco nō continentur quæ circumscribi non possunt, & lib. de Spiritosancto, cap. 16. dicit tunc Angelos in loco esse cum uisibiles fiunt in specie propriorum corporum, & cap. 26. corporalia, inquit nomina etiam ad spirituales intelligentias scriptura sępe transfert maioris euidentiæ gratia.

Anselmus in Monologio cap. 23. solemus localia verba sæpe irreprąhēsibiliter attribuere rebus, quæ nec loca sunt, nec circumscriptione locali continentur, uelut si dicam ibi intellectum esse in anima, ubi rationalitas. Nam cnm ibi, & ubi aduerbia localia sint, non tamen locali circumscriptione, aut anima continet aliquid, aut intellectus, aut rationalitas continetur. & in Prologio cap. 19. Deum alloquens dicit. Non es tamen in loco, & tempore, licet nihil sit fine te, nihil enim te continet, sed tamen contines omnia.

Bernardus

Bernardus ferm.5. in Cant.dicit non est discurrere, nec de loco ad locum transire sine corpore.

Damasc.lib.2.cap.17. dicit esse intelligibiliter in loco, q etiam Boetius docuit.

Hoc igitur modo quæritur. An Angelus sit in loco.

Prima sententia est,quam refert D.Tho.1.dist.37.quæst.3.ar.1. & post ipsum fere communiter Doctores, quæ fuit philosophorum quorundam dicentium intelligẽtias in nullo loco esse; quorum fundamentum erat.

Primo Auct.Aristot.lib.1.de Cœlo tex.100. ubi dicit,quę extra cœlum sunt,ut intelligentias non esse apta esse in loco.

Secundò, quia Arist. uoluit intelligentias mouere cœlum non effectiue, per aliquam transeuntem operationem,sed tantum per formas cœlorum, quæ cœlum mouerent, in ratione amantis, & amati, quare nullam operationem transeuntẽ admittebat in Angelis;sed bene Sanctus Thom.ibidem docuit esse hæreticam sententiam.

Secunda sententia est sanctorum Patrum quos citauimus in q. An Angeli sint corporei, qui dicentes Angelos corporeos esse ideo circumscriptiue etiam arbitrabantur esse in loco, ideo apparere dicebant in propria forma suorum corporum.

Tertia sententia est Dur.1.dist.37.quæst.1. & 2.dist.1.q.1.dicit Angelos, neque circumscriptiue, neque definitiue esse in aliquo loco, quia nullus eis locus debetur,tamen dicit Angelos esse præsentes omnibus corporibus,quę possent mouere,non quidẽ pręsentia situs, sed reali præsentia ordinis, quia secundum D.Augustinum quod est situs, in corporibus est ordo in spiritibus.

Obiicit deinde sibi plura in quorum solutione dicit non sequi, uel quod Angelus possit esse ubique, sicut Deus,neque quod oẽs Angeli possint esse in uno eodemq; loco; quia licet sint præsentes pluribus, non tamen possunt omnia ea, mouere, quibus sunt pręsentes, sicuti neque homo potest, hoc facere.

Quarta sententia est dicentium Angelos esse in loco intelligibili, ita Damasc.lib.1.cap.17. lib.2.cap.3. Boethus libro, an omne quod est, bonum sit.

Quinta sententia est Angelos uere,& realiter esse in loco non tamen uniuoce cum corporibus, sed per aliquam analogiam.

Conclusio Angeli sunt in loco realiter,hæc conclusio est de fide, quia expresse sacræ litteræ loquentes de Angelis loquuntur simul de loco; 2.Pet.1. Apoc.12.Neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo,19. Misit eos in caminum, Apoc.20. locus non est inuentus eis, Luc.19. Cum immundus spiritus exierit ab homine,ambulat per loca arida, rursus ingressi habitãt ibi,ita etiam Ecclesia dicit Angeli sancti tui habitent in ea. **Angeli realiter sunt in loco.**

Secundò, quia scripturæ loquentes de Angelis, dicunt uenire eos recedere, ascendere, descendere,& alia, quæ ad localem mo-

tum spectant, ita Matt.12. ambulat per loca &c. Matt.4. Accesserunt Angeli, & ministrabant ei, Luc.12. Vidi Satanam sicut fulgur de cęlo cadentem, ita legitur Christus eiecisse dæmonia, quæ uere erant in obsessis. 1.Reg.28. qui habebant Pithones in uentre ita Mar.5.Luc.8.rogabat ne mitteret in abissum, sed in porcos ita, dicit Satan, Circuiui terram &c. ita D.Petrus circuit quærens. & Iob 1. stetit inter eos, & Satan Psal. 108. diabolus stet a dextris eius, quæ omnia localia sunt, nec possunt nisi secundum locum intelligi.

Tertiò, ex Patribus Concil.Nicen.2.actio.5. Quare Angeli in loco sunt, & circumferentiam habent; qui communiter dicunt Angelos Beatos, & animas Beatas esse in Cœlo, diabolum, & animas damnatorum in inferno, animas Patrum in Limbo; animas esse in corporibus, Christũ in Sacramento, & ita esse ut respondeant ad interrogationem factam per ubi.

Quartò ratione, quia sicuti corpori, quia quantum est debetur locus corporeus, quia finitum est debetur determinatus locus, ita etiã Angelis, & animabus, hoc ipso quod finitæ sunt entitatis, & hoc ipso, quod circumscribuntur, non quidem terminis quantitatiuis, sed substantialibus, ideo non possunt esse ubique, sed in una tantum parte uniuersi. Quare bene dicebat Damasc. lib. 2. cap 3. Angeli, dum sunt in terra, non sunt in cœlo, Nec dum sunt in cœlo, sunt in terra. Nec dicas hanc esse illam amentiam rationis, quam D.Thom.confutauit, in 1.dist.37.quæst.3. artic.1. quia dum finitos dico Angelos, non dico finitos, fine circumscriptionis, sed essentiæ, ac uirtutis.

Quo fine terminētur Angeli.

Quintò, ex communi modo loquendi, communiter enim dicuntur Angeli moueri, uolare, uelocissimi esse, qua de causa, ut dicit Vgo de Sancto Victore lib.10 annot. in c.15. Cœlestis Hierarch. D.Dionysij ad denotandum maximam uelocitatem Angelorum pinguntur alati.

Sextò, accedat Arist. auctoritas, & cæterorum Philosophorum antiquorum, quos laudat Arist.lib.1. Cœli, tex.22. quia Diis immortalibus immortalem, & supremum locum attribuerunt.

Septimò, quia communis, & cõceptio, quam tanti facit Arist. in Physicis, est quod ea, quæ sunt, alicubi sint, & necessario etiam debuit adesse ratio loci, ut de rebus loqui possimus, & illas cognoscere ubi nã sint. Quare.4.Physic.text.1. Arist dicit, omnes ea, quæ sunt alicubi esse existimant. Quòd uerò non est, nusquam esse.

Octauò, Adest articulus Parisiensis, si quis dicat Angelum non esse in loco secundum substantiam error. Quare.

Ad fundamentum Philosophorum, Respondeo ex Arist.colligi tantum, quod non habeant locum corporeum 1. tit. de Cœlo, tex.100. dicit non essẽ apta incorporea esse in loco sup. corporeo.

DISPVTATIO IX.

Quænam Angelis sit ratio essendi in loco.

SECTIO I.

Explicantur sententiæ, ac fundamenta Doctorum de loco Angelorum.



Vm ex superiori dubitatione constet substantiã Angeli esse in loco, hic quærimus, quænam sit ratio, seu causa, propter quam substantia Angeli possit esse in loco, sicuti corpori ratio essendi in loco est quantitas, ita Angelis quænã erit rõ essendi in loco?

Est autem hæc quæstio celeberrima propter frequentiam Doctorum inter sese discrepantium, est tamen quæstio difficilior, quàm utilior, & curiosior quàm certior; & hac de re sunt duæ famosæ sententiæ.

Prima est dicentium Angelum esse in loco per aliquam operationem, seu per applicationem uirtutis qualitercumque, ita D. Thom. 2.d.6. quæst.1.artic.3.& 1.d.37.q.3.art.1.& prima parte, q. 52.articu.primo,& quodlibeto 11.quæstio.prima, & de potentia quæstio.3. Quænam sit illa applicatio uirtutis ad locum, q̃ Angelis est ratio essendi in loco.

Quam tamen sent.discipuli ipsius diuersa ratione explicant.

Ferarr.& Soncin. intelligunt hanc uirtutis applicationem per operationem transeuntem uerè, & propriè dictam.

Capreol.& Ban.dicunt non debere necessariò esse operationẽ propriè dictam, sed sufficere quemcumque uirtualem cõtactum etiam absque operatione. Videlicet qui fit assistendo, præsidendo, gubernando.

Caietanus conuenit cum istis in hoc quod sufficiat contactus uirtualis, etiam si non sequatur actio,& ad hoc,ut possit hoc explicare dicit, quando Angelus operatur, adesse triplicem præsentiam,(ordinis, approximationis, & operationis. Præsentia ordinis est quando Angelus uerè distat à loco, licet non sit in loco. Præsentia approximationis,est in eo, quod aliquis alicui præsens sit antequam operetur. Præsentia operationis est relatio realis agentis ad passum, quæ est quando actu est operatio. dicit ergo, hanc applicationem uirtutis esse per præsentiam ordinis, & operationis,quia illa se habet,ut potentia proxima, hæc ut actus.

Ego puto D.Thom.loqui de actione transeunte quæ uerè recipitur in passum,per quã agens dicatur attingere passum. Moueor autem propter uerba quæ habet Diuus Thomas p.d.37.quæstio.3. articu.1. dicit enim Angelus, & quælibet substantia incorporea,

non potest esse in loco, nisi per operationem, quæ ponat aliquem effectum in eo, ut motum uel lumen, aut aliquid huius materia.

Hanc sententiam habent. Alb. 2. dist. 37. Argent. quæst. 1. artic. 2. Herueus tractatu de motu Angelorum. Georgius Bussus quæst. de locali motu Angelorum Ioan. Picus Mirand. Apologia de descensu animæ Christi ad inferos. Greg. Valent. q. 3. de loco Ang. puncto secundo. Paulus Cortesius in 2. sentent. d. 2. cap. de Angelis licet contrariā Scoti non omnino reijciat, tamen in hanc sententiam propendet Gotfredus, Viguerius in institut. de uoluntate Angelica uer. 3. de motu locali Ang. num. 23.

In Vniuersum autem quod applicatio hæc, sit ratio essendi in loco, probatur.

Primò à D. Thom. quia etiam si aliquid finite entitatis sit, non ideo tamen ex hoc necessariò est determinatus ad locum, uel necessariam aliquam connexionem habet cum loco, quare necesse est, ut hæc determinatio adueniat illi; determinatio autem, quæ aduenire potest ad locum, uel est ratione formæ, ut anima determinatur ad corpus, uel ratione situs, ut punctus ad lineam; uel secundum contactum, quomodo corpora ad locum determinatur. Non potest Angelus determinari ratione formæ, quia non est actus loci, non ratione situs, quia essentia Angeli abstrahit à situ, cum sit absoluta, neque à contactu propriè dicto, quia est expers quantitatis, sequitur, ergo quod per contactum metaphoricum determinetur qui est per applicationem uirtutis.

Secundò, Probat hoc Diuus Thomas ex auctoritate Diui Gregorij Nazianzeni, qui hoc expresse dicit, quare cum deberemus dicere hic operatur abusiuè dicimus hic est, Damasc. lib. 2. capit. 3. coniungit esse in loco cum operari, sed clarius lib. 1. capit. 17. loco non continetur Angelus, in loco tamen dicitur esse propterea, quòd adest intelligibiliter, & operatur secundum suam naturam, & non dicitur esse nusquam, sed alicubi intelligibiliter circunscribi, ubi & operatur, non enim posset simul in diuersis locis operari.

Tertiò, Substantia corporea non potest sibi esse ratio essendi in loco, ergo neque incorporea, antecedens patet, quia substantia corporea est in loco, per quantitatem, consequentia patet, quia aliquid proportionale debet poni in substantia incorporea.

Quartò, Si operatio non est Angelo ratio essendi in loco sequitur, quod Angelus erit in loco indiuisibili consequens est absurdum, ergo probatur sequela maioris, quia Angelus cum sit indiuisibilis naturaliter requiret locum indiuisibilem.

Quintò, Substantia Angeli ex se est indifferens ad quemcumque locum. Quare ergo magis erit in hoc loco, quam in alio?

Sextò, Arist. 4. Physicorum ad locum corporeum necessariò requirit aliquem contactum, ergo, quia locus Angelorum proportionatus esse debet loco corporum, etiam aliquis contactus

ctus erit necessarius Angelis, sed nullus planè esset potest nisi per operationem, ergo.

Secunda sententia est dicentium Angelos etiam seclusa operatione per solam substantiam esse in loco definitiuè modo supra explicato hanc sententiam illustriorem reddidit Scotus. 2. d. 2. q. 5. quæ tamen antiquior ipso fuit. Eam enim docuit Alb. 2. p. summę quæst. 6. Alexand. Alensis 2. p. q. 32. art. 1. Ioannes Arboreus lib. 1. Theosophie cap. 6. Henricus Gand. quodl. 2. q. 9. quamuis non nihil hæsitet. D. Bona. 2. d. 2. art. 4. q. 1. Ricc. 1. d. 27. q. 2. art. 1. Hocham quodl. 1. q. 4. Gab. & Gregorius 2. d. 2. q. 2. Io. de Bassolis ibidem, q. 3. Io. Maior. ibid. q. 8. Aureolus apud Capteol. ubi supra.

Pelbartus 2. p. Rosarij uerbo Angeli 6. tit. de limitatione, & motu Angelorum §. 58. Ioseph. Angles in quæstionibus Theologicis in 2. sent. d. 2. q. 3. dub. 1. de loco Angelorum diff 2. Gratianus minorita 2. d. 2. q. 5. Guliel. de Rubione ibid. Franc. Lycletus, & Petrus Tattaretus 2 d. 2. q. 5. Ludouicus Molina in p. p. q. 52. art. 1. disput. unica in 2. 3. 4. & 5. in hanc pendet Iacobinus Bargius in primo sent. d. 37. q. unica. Laurentius Opimus 2. d. 2. q. 5 Hæc sententia probatur.

Primò, Ex Damasc. qui in illis iisdem capitibus citatis prima opinione dicit Angelos loco circumscribi & dum dicit sunt ubi operantur ponit operationem tamquam posteriorem, ipso loco Angelorum; ideo dicit quod dum sunt in cœlo non possunt esse in terra.

Secundò, Quia D. Tho. aperte sibi cōtradicit quia p. p. q. 8. art. 1. Deum esse ubique quia operatur. Quare sic argumentatur. Scot. Vel probat Deum esse præsentem, idest mouentem omnia, & sic petit principium, quia operari est esse in loco, probare ergo, quod sit in loco, quia operatur, est probare esse in loco, quia operatur in loco, & hoc est negatio, uel probat esse in loco ex operatione, & sic probat prius per posterius, prius est enim esse, quam operari, & esse in loco, quam operari in loco.

Tertiò, Implicat contradictionē aliquod operari, & nō esse ibi præsens; & hoc esse præsens est ratio operandi, prius ergo est esse presentem, ac propterea esse in loco, quàm operari in loco.

Quartò, Vel Angeli sunt in toto corpore quod mouent, uel in aliqua eius parte; neutrum dici potest, ergo probo mino. non potest dici, quod sint in toto corpore, quia intelligentia mouens primum mobile esset quodammodo immensa de qua idem dicere possemus, quod de Deo dicimus, qđ esset supra nos, infra nos, à dextris, à sinistris, ante, & retro, ideo malè docuisset. Damascen. quod dū est in cęlo non sit in terra, quia si esset simul in Oriente, & Occidente, ergo à fortiori posset esse in terra, & in cœlo, minus enim distant cœlum, & terra, quam oriens ab Occidente, quia terra est in centro mundi. Neque secundum dici potest, quia non est maior ratio, cur sit in una parte, quam in alia.

Quintò,

Quintò, Equè immaterialis est operatio transiens Angeli sicut, & ipse Angelus, si ergo operatio tangit corpus quare etiam ipsa substantia Angeli non tanget?

Sextò, Ponamus Angelū operari in aliquod corpus. Videlicet in Obeliscum Sancti Petri per horam, qua elapsa nō amplius operetur; nec etiam moueatur, iam peto elapsa hora, an Angelus sit in Obelisco, uelut in loco, uel non si primum, ergo ita est in loco absque operatione, sicut quando operabatur. Si secundum iā hoc gratis dicetur, & contra suppositum, si non est motus, ergo ibidē est ubi etiam erat prius.

Septimò, Cōiter dicunt Patres Angelos esse in cœlo empireo, ita etiam animas hominum beatorum, ergo si necessaria est operatio, quænam palatia, tanto tempore fabricassent? quæ menia? quid ibi agunt?

Octauò, Dæmones sunt in inferno, & tamen non agunt quin potius patiuntur, ergo.

Nonò, Ex opposita sententia sequūtur plura absurda, quod Angelus nullibi operans nusquam sit, quod possit esse in pluribus locis simul, quod non conuenit substantiæ finitę, quod plures Angeli possent esse in uno eodemque loco, quod possint transire ab extremo ad extremum sine medio, quæ omnia sunt monstra, & parum digna, quæ apud doctos uiros audiantur. Hæc sunt argumenta quibus Doctores secundæ sententiæ impugnant primam.

SECTIO II.

Noua disputandi ratio de Angelorum loco explicatur.

EGO in hac difficillima quæstione diu perplexus fui. Conatusque sum lectitandis, uolutandisque scolasticis doctoribus me ad aliquam opinionem determinatè sectandam determinare, (neque enim problematicis opinionibus ualde delector, nec libet cum ueritas una sit plures eadem de re habere sententias) tamen re uera nihil inuenire potui ubi firmiter pes meus hæreret. trahebatque me Sancti Thomæ auctoritas, qua de causa sententiam illius cum iunior essem publicè defendendam proposui. Verum cum in neutra sententia, solidum appareret fundamentum statui non amplius mihi elaborandum esse in inuestigando quid scolastici dicerent. Conuerti igitur me ad sacræ scripturæ, & sanctorū Patrum locutiones, ad quarum mentem præsentem quæstionem censui determinandum.

Angeli uere sunt in reb. Prima conclusio Angeli, & substantiæ spirituales sunt in rebus corporeis, uerè, & realiter. Hanc conclusionem intelligo hac ratio-

tione, quod sint non, ut contineantur, sed potius ut Diuus Damasc. ait ut contineant res. Hæc conclusio est de fide probatur.

Primò, Ex scripturis (abstinebo autem a locis quæ sunt de Angelis in corporibus assumptis,) 1. Reg. 28. qui habebant Pithones in uentre. Act 16. Apostolus eiicit Pithonem a puella, ita de fide est septem dæmonia fuisse in Maria, & eiecta esse a Christo, ut habetur apud Lucam capit. 8. Ita dæmonia uerè erant in hominibus Nazaretanis, quæ expulsa uerè intrarunt in porcos, & Marci cap. 5. Expulit legionem dæmonum, quæ erat in obsesso, & sepissimè in scripturis a Christo Domino, & Apostolis legimus dæmonia, quæ uerè erant in aliquibus esse eiecta dicente Domino Exi ab ea, quod significat ibi uerè fuisse, et illum locum deseruisse. Matth. 12. & Lucæ 11. Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, & inaquosa &c. tunc assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Tobiæ 12. uere Raphael ligat dæmoniū in partibus deserti, quod cogitur ibi manere, Apoc. 19. & 20. ligatur diabolus in inferno. Apoc. 12. Angelis malis non est inuentus locus in cœlo, signum est; quod bonis erat locus in cœlo, Anima uerè, & realiter est in corpore, & Beatæ animę solutę a corporibus uerè simul cum Angelis, sunt in cœlo, & damnatæ uerè in inferno; Animæ, Sanctorum, Patrum, ante Christi passionem in limbo, & anima Christi realiter, non tantum per uirtutem descendit, & fuit ad inferos.

Secundò, Quia in scripturis & passim apud Sanctos Patres fit mentio de motu locali Angelorum, ut dixi in superiori quęstione.

Secunda conclusio Angeli, & substantiæ spirituales sunt in corporeis locis, etiam absque operatione. Hanc conclusionem censeo ego esse uerissimam quam probo.

Primò, quia de fide est dum homo uiuit etiam si nihil operatur, tamen animam rationalem esse in illius corpore.

Secundò, scriptura, & Patres, nunquam explicarunt nobis eas operationes, quas dæmonia hebabant in corpora obsessorum. Nec dicas, quod illa corpora torquebantur, nam sæpissimè per long um tempus erant absque torsionibus, ut etiam modo patet in energumenis, qui non semper cruciantur.

Tertiò, Christus Dominus uerè est in sacramento Eucharistię, licet non operetur, tamen realiter, & substantialiter ibi adest.

Quartò, Quia animæ, & Angeli sunt in Cœlo empireo & dæmones, & Angeli sunt in inferno, & animæ, Sanctorum Patrum, uerè erant in limbo, nec tamen explicari potest quam nam operationem habeant.

Huic Argumento Respon. Thomistæ uarijs modis.

Prima quæ est Capreoli dicit quod exornant cœlum; ideo dicuntur esse in illo cœlo, Hanc exornationem dicit esse per præsentiam solum, hoc ipso quod ibi sunt.

Secun-

Secunda quam nonnulli tribuunt Caietano quod sunt in cœlo per applicationum suæ uirtutis, licet nullus sequatur effectus.

Tertia Caietani quod Angeli non sunt in cœlo empireo, tamquam in loco, sed dum scriptura dicit esse in cœlo intelligit in Beatitudine cœlesti.

Quarta est Ferarr. & Caietani qui dicunt habere quasdam operationes, quæ nobis sunt ignotæ, nihil autem mirum, si cælestia nesciamus, qui ne terrena quidem cognoscimus.

Quinta est Dominci Banes, qui dicit Cælum Empireum habere quasdam nobilissimas influentias in hæc inferiora etiam ad effectus specificos, ideo uirtutem illius cœli adiuuari ab Angelis, ut fortius agant, sed hæ omnes responsiones sunt expressa diuerticula, ad argumenta subterfugienda, & eludenda potius, quam soluenda.

Prima ergo, omnino falsa ideo, ipsimet Thomistæ, Caietanus & Banes illam reprehendunt, quia si eo ipso, quod ibi sunt exornant ergo, prius est, eos esse in cœlo, quam cœlum exornare; deinde Diuus Tho. aperte hanc confutabit, ita enim habet in 1. d. 37. q. 3. ar. 1. in corpore. Angelus & quælibet substătia incorporea non potest esse in corpore, uel in loco nisi per operationem, quæ effectum aliquem in eo causat, hoc autem contingit multipliciter, substantia enim spiritualis potest alicui cõferre non quidẽ esse, sed aliquid ad esse superadditum, & sic Angelus, est in loco, in quantum operatur circa aliquod corpus locatum; uel motum, uel lumen, uel aliquid huiusmodi; Hæc D. Tho. in hac autem exornatione, uel præsidentia nihil tale reale datur; Et hæc auctoritas apertè etiam confutat secundam responsionem quia Diuus Tho. uult aliquem effectum uerè causari.

Tertia Respon. est apertè falsa, ideo merito alii Thomistæ illam reiiciunt, quia omnes Patres dicunt Angelos creatos esse in cœlo, & de diabolo dicitur Esaiæ. 14. Quomodo cecidisti Lucifer, & Apoc. 12. factũ est prælium &c. & draco cœlo pulsus est, & non est inuentus locus eius amplius in cœlo, in quo scilicet erant alii. Ita etiam animę Beatorum dicuntur ascendere in cœlum empireum & Patres respondent ad interrogationem factam per ubi, sunt animæ Beatorum & Angeli, quæ interrogatio locum requirit, respondent, quod sunt in cœlo; Præterea cœlum empireum dicitur Patria, dicitur, domus, dicitur mansio, in domo Patris mei mãsiones multæ sunt, quæ locum denotant Patres in sermonibus Sanctorum, eorum animas in cœlo esse dicunt.

Quarta Responsio. Nulla est ratione admittenda, nam parum uidetur digna Theologo fingere operationes in Angelis, quas nequeant explicare. Certe philosophi admittentes influentias hoc solo argumento refelluntur, quod ad ignota gratis reccurrãt. Diues dispare esse rõnẽ, de Theologo, & philosopho, plurima. n. accidunt Theologo, quę explicare non potest, et tñ dẽt ea asserere.

Dispar Theologi ac Philosophi ratio.

Respon-

Respondeo. Quando fides cogit nos aliquid afferere, tunc licet illud explicare nequeamus tamen id omnino, firmiterq; afferere debemus, at uerò cum fine ulla planè auctoritate, sed solo nostro marte aliquid ponitur; illud etiam debet a nobis exactè explicari alioqui gratis dictum censebitur. fides autem non cogit nos alias operationes ponere in Angelis & animabus, quæ sunt in cœlo empireo, nisi uisionem, & fruitionem Dei, alias autem transeuntes operationes non ponit, & si nos ponimus debemus scire, quid ponimus.

Vltima Respon. anilis est, & friuola. Nam esto cœlum Empireum influat in hæc inferiora, tamen si influit, per suam formam naturaliter, quid ergo opus est Angelorum ministerio?

Dices Angeli moderantur limitant, & determinant illam influentiam.

Contra esto debeat illa influentia limitari, tamen nonne satis erit unus Angelus, uel duo, uel centum, uel mille. Deus bone si omnes occupantur circa has influentias moderandas, ubi erunt Angeli assistentes Deo? cum tamen millia millium, assistant ei, & decies millies centena millia ministrent ei; Numquid ne tantus Angelorum numerus continuo occupabitur in moderatione harum influentiarum? Esto etiam hoc quod omnes plane Angeli, hoc faciant certè de animabus beatis nulla ratione dici poterit. Cœlum enim non indiget in operationibus suis, naturalibus opitulatione animarum humanarum. Cum igitur hæc influentia cœli empirei, incerta sit, & a pluribus quidem negetur, a D. Tho. autem, & discipulis, & aliis ponatur tantum ut probabilis cum unius Angeli ministerio moderari possit, sicut unus Angelus singulis cœlis præesse dicitur. Cum humanę animæ, quæ tamen dicuntur esse in cœlo Empireo nullo modo circa huiusmodi influentias operentur restat dicendum; responsionem illam merum esse figmentum.

Tertia conclusio. Angeli, & substantiæ spirituales, per illud suum esse in rebus; sunt in rebus tamquam in loco, non quidem circumscriptiuè, sed definitiuè, in eo scilicet loco, qui ipsis competere possit. Hanc conclusionem censeo esse de fide probatur.

Primò, Ex scriptura, quia in locis citatis in prima conclusione scriptura utitur uerbis, & aduerbiis, & nominibus, localibus; & eodem modo loquitur de loco illorum, sicut & de loco hominum, hoc dico, non ut aliquis inferat, ergo eodem modo sunt in loco quo homines; negabitur. n. consequentia, sed ut ego inferam, quod loquitur de uero loco, qui ipsis conuenit. 1. Regum 28. habet Pithonem in uentre, in, denotat locum; ita dæmonia eiecta a corporibus uerè erant in illis corporibus, & si quis interrogasset Christum. Marci. 5. ubi est legio hęc dæmonum, respondisset in hoc energumeno. Ita de reliquis ita dæmonia uerè intrarunt in

porcos, Christus dicit, Exi ab eo, & ne introeas amplius in eum, sunt uerba localia, Ita Lucæ 11. septem spiritus peiores ingressi habitant ibi. In collecta dicitur, Angeli tui Sancti habitent in ea. Lucæ. 18. Diues ille sepultus est in inferno, quo ad animam, & rogabat, timens, ne fratres sui uenirent in locum tormentorum, in quo scilicet loco ipse erat; Ita de fide est animas esse in inferno; Ita scripturæ loquuntur de motu locali Angelorum, perinde ac hominum; diabolus dicit, Circuiui terram, D. Pet. Circuit quęrens quem deuoret, quod si debuisset operari in terram, dum terram, circuiuit sine dubio non adeo uelociter circuisset. Ita Diabolus dum præceps cecidit e cœlo non potuit operari: Videbam inquit Christus Dominus. Lucæ cap. 10. Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem, benè hanc sententiam explicat Seraphinus Caponi. p. p. q. 63. ar. 6. quod fulgur cito, & quasi tempore imperceptibili descendit e cœlo in terram; ut uix accipere possimus quid in tanta pernicitate diabolus in illo spatio potuerit operari. Apoc. 9: solue quatuor Angelos qui sunt in Euphrate alligati & in Psal. Diabolus stet a dextris eius.

Secundò, Ex sanctis Patribus, qui opinantes se uerum locum Angelorum assignare locum ipsis Angelis attribuunt.

Angeli sanctorum exequijs adsūt. Sanctus Hieronymus homilia in festum Assumptionis Beatæ Virginis dicit. Ad exequias Beatæ Virginis quantum fas est credere famulabantur Angeli, Et infra legimus persæpe ad funera & sepulturas quorumlibet Sanctorum Angelos aduenisse, & ad exæquias eorum obsequia præstitisse, nec non & animas electorum usque ad cœlos cum laudibus hymnisque detulisse. Quanto magis credendum est hodierna die, militiam cœlorum cum suis agminibus, festine obuiam uenisse genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse? Ibidem. Ad præsepe quoque o Paula teste, nato puero multitudinem Angelorum, inter crepundia noui partus, & quærelis nescij ploratus, pro fescenninis cantantem audisti.

Sanctus Hildephonsus, qui egregie de Beatæ Virginis laudibus conscripto libello à Beatissima Virgine sacerdotali ueste donatus est; in sermone de Beatę Virginis Assumptione dicit. Cunas infantię Christi Angeli frequentant.

Sacrum Concilium Aquisgranense cap. 112. Non latet Angelos crebro electis adesse inuisibili præsentia. Nobis tamen specialiter adesse credendum est, cum diuinis mancipamur obsequijs.

Sanctus Ioannes Damascenus sermone de Assumptione Beatæ Virginis per προσωποποιΐαν sepulcrum Beatæ Virginis sic loquens inducit. Nunc me circunstant Angeli, &c. Et sermone de dormitione Beatæ Virginis per totum plurima habet.

Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 2. de Theologia dicit Angeli Dei ministri robore non solum naturali, sed etiam aduen-

uentitio pollent, omnia loca peragrant omnibus ubique impigri adsunt.

Sanctus Augustinus lib. soliloquiorum cap. 7. Magna cura ac uigilanti studio adsunt nobis Angeli, omnibus locis, & horis.

Sanctus Hilarius in Psalm. 118. Super illa uerba: Tu mandasti mandata tua custodiri nimis dicit. Omne hoc uacuum quod putatur, repletum est Angelis Dei, nihilque est, quod non hæc diuinorum ministrorum frequentia incolat.

Sanctus Bernardus lib. 5. de consideratione. Quod si dicas posse inesse Angelum, non inficior in circunscriptum, & Angelus qui loquebatur in me inest suggerens bona.

Sanctus Epiphanius heresi 51. dicit: Putant gentiles quod ridicula res sit, quod quatuor Angeli sint in Euphrate.

Sanctus Ioannes Chrisostomus hom. 29. in Matth. Euthimius, & Theophilactus ipsius sectatores in cap. 12. Matth. Libenter inquiunt dæmones habitant in sepulcris, ut prauam opinionem hominibus immittant, quod mortuorum animæ dæmones fiant.

Ericus antiquissimus doctor in cap. 2. Ioan. dicit: In ipsa domo orationis ubi corporis Christi sacrosancta mysteria consecrãtur, ubi Angelorum, & ipsius Dei præsentia augustius esse non dubitatur.

Riccardus de Sancto Victore in cap. 4. Canticorum dicit: Anima, Angelorum aduentum intelligit, & præsentiam sentit.

Glossa ordinaria in id Tobie 5. Piscis immanis exiuit ad deuorandum Tobiam dicit: Christo in Cruce passo, diabolus aduenit quærens, si quid peccati in eo inueniret.

Landulphus de uita Christi, p. 2. cap. 63. Petrus Commestor in historia Euangelica, cap. 63. dicit: Christo patiente diabolus stabat super brachium crucis, obseruans si quam peccati maculam deprehenderet in eum.

Sanctum Concilium Florentinum in litteris Sanctæ unionis in fine dicit: Animas eorum qui cum mortali culpa, uel cum solo originali peccato e uita decedunt mox in infernum descendere.


Sanctus Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 28. Oportet, ut super omnia credas iniquorum animas esse in inferno.

Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 3. cap. 18. dicit: Sane de spiritu creato hoc commodius dictu, & ad intelligentiam accomodatius esse fatemur, ut non solum in loco esse, sed etiam localem esse pronunciemus sine dubitatione. In loco quidem quoniam hic alicubi præsens cernitur, localem uero, qm̃ cum sit alicubi, non ubique inuenitur. Omne enim quod definitum est, secundum aliquid locale est, quoniam in eo ipso, quod finem, & terminum habet, locum habet, & determinat locum, sicut determinatum est in loco, sed corpus dimensionem habens loco circunscribitur, quoniam ei secundum locum, principium medium, & finis assignatur, spiritus uero quoniam dimẽsionem

non capit, sed definitione sola terminatur, circunscriptionem quidem non recipit, loci tamen loco quodammodo concluditur, qm̄ cum hic alicubi præsens sit totus, alibi non inuenitur. Itaque corpus locale est, quoniam loco circunscribitur, spiritus autem quoniam in loco per præsentiam naturæ, & operationis concluditur localis in ipso iure nominatur, & infra docet eam rationem de Angelorum loco in usum loquendi esse ponendam, quæ se sponte accomodat.

SECTIO III.

Eadem conclusio testimonijs ad Sacro sanctæ Eucharastiæ venerationem excitantibus comprobatur.



Acrum Concilium Aquisgranense cap. 132. Nec dubitari licet. Vbi corporis, & sãguinis Christi geruntur mysteria, supernorum ciuium adesse conuentus. Vnde studendum solerter est, ut cum Ecclesiam uel ad diuinæ laudis debita soluenda, uel ad agenda Missarum solemnia intramus, semper Angelicæ præsentiæ memores, cum timore, & ueneratione competenti solemne compleamus officium.

Milo Eluonensis antiquissimus doctor relatus a Ioan. Garetio in centenario 9. de Eucharistia scripsit hæc carmina.

Non sic tractaui, ceu tantus postulat ordo.
Cœlicolis astans operator iussibus audax
Officio huic impar, cui dignius nullus in omni
Orbe luator erat, &c.

Sanctus Ambrosius in cap. 1. Lucæ. Vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, assistat Angelus, imo prębeat se uidendum. Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus imolatur.

Sanctus Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 58. Quis enim fideliũ habere dubium potest, in ipsa imolationis hora ad sacerdotis uocem, cœlos aperiri: in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse; summis ima sociari, terrena cælestibus iungi unum quid ex uisibi libus, & inuisibilibus fieri?

Sanctus Cyrillus hæremita (is uixit circa annum Dñi 1470.) in uita Sancti Euthimij, ita scribit. Aiunt Sanctum Euthymium aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsum uersabantur, quod sæpe uideret terribilem Angelorum uisionem una secum Deo ministrantem, & sacra contrectantem.

Nilus in epiſtola ad Anaſtaſium Epiſcopum ſic loquitur de Sancto Ioanne Chriſoſtomo. Sanctus Ioannes Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, imo uerius totius orbis ſplendor, uir animi perſpicacis omni fere tempore uidebat domum Domini refertam Angelorum cætu, & tunc in primis, cum diuinum & incruentum ſacrificium offerebatur, quo quidem tempore ſtupore & lætitia plenus, rem proprijs amicis ſpiritualibus priuatim enarrauit. Cum cæpiſſet inquit ſacerdos ſanctum ſacrificium ſeu oblationem facere, plurimæ ſtatim ex beatis illis uirtutibus, e cęlo deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altare magno cum ſilentio, & reuerentia quo ad uenerandum illud myſterium expletum fuit circunſteterunt.

Sanctus Ioan. Chriſoſt. tanti myſterij religioſiſſimus adorator hom. prima de uerbis Eſaiæ. Vidi dominum dicit: Non cogitas hic ipſum inuiſibiliter adeſſe Dominum, qui uniuſcuiuſque motum metitur, & conſcientiæ rationem habet? Non cogitas quod Angeli huic ſtupendæ menſæ aſſiſtunt, cumque reuerentia hanc circumuallant. Veruntamen iſta non cogitas? Et hom 3. contra Anomeos. Cogita apud quem proxime ſtas, quibus cum inuoces Deum ſcilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus cœli uirtutibus, Animaduerte quos habeas ſocios. Et rurſus ibidem. Tempore illo ſacrificii Miſſæ, Mi Frater non ſolum homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant. Habent ſibi id tempus idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes mouere reges conſueuerunt, eoque arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes rogant pro genere humano quaſi dicant. Pro iis Domine rogamus quos adeo dilexiſti; ut pro eorum ſalute mortem obires; animam in cruce efflares. Pro iis ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem. Pro iis oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.

Angeli ut facilius Patris propitiationem nobis ipetrēt Miſſarum oblationis tempus fauorabile expectant.

Efficax ardenſq; Angelorū pro nobis deprecatio.

Idem hom. in Enceniis Papaè menſa myſteriis inſtructa eſt, & Agnus Dei pro te imolatur. Sanguis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit Seraphim aſtant, ſex alis faciem tegentia, omnes incorporeę uirtutes pro te cum ſacerdote intercedunt.

Idem homilia 22. in Acta Apoſtolorum. In manibus eſt hoſtia, & omnia propoſita ſunt bene ordinata. Adſunt Angeli. Adſunt Archangeli. Adeſt filius Dei Cum tanto horrore, adſtant omnes; adſtant illi clamantes omnibus ſilentibus. Et hom. 3. in epiſtolam ad Epheſios. Contemplare obſecro. Adſtat menſa regia: adſunt Angeli, menſæ huius miniſtri: adeſt rex ipſe & tu oſcitans adſtas? Et infra. Quando audis. Præcemur ſimul oēs; dum uides ſublata uela, tu cogita cœlum ipſum ſurſum reſerari, Angeloſque deſcendere. Et lib. 6. de ſacerdotio, Per id tempus & Angeli ſacerdoti aſſident,

&

& cælestium potestatum uniuersus ordo clamores excitat, & locus altari uicinus in illius honorem, qui imolatur Angelorum choris plenus est. Id quod credere aperte licet, uel ex tanto sacrificio quod peragitur. Ego uero & commemorantem quendam olim audiui cum diceret. Senem quendam uirum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuitus fuissent detecta, sibi narrasse se tali olim uisione dignum habitum esse a Deo, ac per illud quidem tempus, de repente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgétibus uestibus indutorum; altare ipsum circundantium, denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente rege stantes uideat.

Angeli non sunt in loco per operationem.

Quarta conclusio decisiua Angeli & substantię immateriales, non sunt in loco per operationem nec per applicationem uirtutis. Probatur conclusio.

Primò, Quia diabolus agens in animam illam torquendo non est in illa, quia unus spiritus substantialiter non ingreditur alium spiritum.

Secundò, quando factum est prælium in Cœlo Michael agebat in draconem, & draco in Michaelem, & tamen nec Michael diaboli, nec diabolus Michaelis erat locus; Dices Angeli pręliantes, non ita dimicant, ut ad manus deueniant, cædendo se pugnis uel calcibus, uel cæstibus, sed dicuntur præliari, quatenus unus Angelus impedit operationem alterius. Respondeo ergo, applicat uirtutem suam operationi alterius Angeli, quam impedit, est ergo, substantialiter in operatione alterius Angeli, tamqu am in loco, quod est absurdum.

Tertiò, Angelus Tobiæ substantialiter ligauit dæmonium agebat, ergo in illum, consequēter dæmonium reluctabatur, ergo. Dices ad hæc argumenta, tunc Angelus est in illis non, ut in loco, sed ut mouens in mobili, Contra nam esse in alio, ut mouens in mobili, uel ut causam in effectu, est etiā commune corporibus, quoad hoc igitur nihil erit singulare in Angelis. Secundo, quia esse, ut mouentem in mobili non est realiter & quo ad substantiam inesse in mobili; sed uirtualiter tantum, nam necessaria est distinctio realis inter uerum agens, & passum, quia agens ut sic est actu, passum ut sic, est potentia.

Quartò, diabolus, & animæ damnatorum sunt in inferno, & tamen non per aliquam operationem, ergo.

Respondēt Thomistæ licet diabolus & animæ non operantur, tamen hoc ipso quod patiuntur tanguntur ab igne, hic autem contactus sufficit ad hoc, quod sint in loco. Contra. Nam ex sententia ipsorum ignis realiter non agit in spiritus, ut ignis, urendo, sed tantum ut carcer detinendo, at carcer non semper tangit carceratum, ergo.

Quintò, sequeretur interdum Angelos nusquam esse, hoc est absurdum, ergo, sequelam ipsi admittunt, sed negant minorem,

quam

quam ego probo, auct. expressa Damasc. lib. 1. cap. 17. Angelus inquit non dicitur esse nusquam, sed alicubi intelligibiliter circunscribi, ubi & operatur: dices non est absurdum, quod Angeli nusquam sint, nam illi Patres qui Angelos uoluerunt ante mundum esse creatos necessario ponebant Angelos esse nusquam. Contra nam tunc nusquam erant quia locus non erat, posito autem loco non debent dici nusquam esse. Præterea illud nusquam, tunc erat negatiuum, & abusiuum; nunc est priuatiuum, & propriè nusquam; sicuti etiam nunc dicimus extra cœlum, cum tamen cœlum non habeat extra.

Sextò, Quia etiã si Deus non operaretur adhuc tamen esset ubique, quia est immensus.

Septimò, diabolus dum est in obsesso quid operatur. Respondet Ludouicus Granatensis, concione 1. in tertiã Dominicam. Quad. super illa uerba, & in gressi habitant ibi, dicit si sunt in loco per operationem, quid operãtur? Respondet illum efficere mendacem, superbum, &c. at hoc efficiunt tantum suggerendo, Nunquid ergo, illa Legio semper hoc operabatur, & non potius discerpebat obsessum.

Vltimo libet nõ nihil disputare cũ Caie. Si Angelus in loco A, operetur per horam, deinde cesset operari, nec tamen recedat, nec moueatur, ab eo loco, quæro uel erit Angelus elapsa hora in loco A, uel non, si primum, ergo est sine operatione, si secundum quæro quo abijt, cum supposuerimus non esse motum? Respon. Caiet. non est ibi ut in loco, sed non distat ab ibi. Contra. Si non distat, ergo præsens est, nam non abesse, & non distare communiter sumitur pro adesse, seu pro præsentem esse. Per quid ergo est præsens, non per operationem, quia ponimus non operari, ergo per substantiam. Dicit uerè esse præsentem loco, sed non esse in loco. Contra. Nam scripturæ ut supra ostendi, in prima conclusione dicunt spiritus hos esse in loco, quando secundum substantiam præsentes sunt. Videlicet Dæmonem esse in obsesso.

Ad argumenta primæ sententiæ. Facillimum est respondere.

Ad primum Respondeo. Angelum eo ipso esse in loco, quod est quo ad substantiam, simul cum loco, non simultate contactus, sed simultate substantiæ. Et quidè ad locum ab Aristo. definitum necessarius est contactus; quia locus ille locus est corporum, corpus autem locans, & locatum. optimè se tangere possunt. At in spiritualibus non est necessarius hic contactus.

Primò, Ex testi monijs supra allatis.

Ad secundum Resp. ad Nazian. hoc dixisse nequis putaret Angelos in loco esse per modum corporum, ideo benè dicitur non est hic corporaliter, sed operatur hic Damascen. autem ponit sine dubio operationem esse ibi, ubi est Angelus, sed tãquam posteriorem, quod benè explicauit Iodocus Clictoueus in commentario, capit. 3. lib. 2. exemplo candelę. Angelus inquit est in loco ubi operatur,

ratur, ſicut candela accenſa, quæ ubi eſt lucet, & illuminat, prius autem eſt candelam eſſe, & accenſam eſſe quàm illuminare.

Ad tertium, Reſpondeo ſubſtantiam corpoream non eſſe ſibi rationem eſſendi in loco, quia ille locus corporeus neceſſario tactum exigit, at ſcripturæ ponunt locum in Angelis abſque contactu.

Ad quartum, Reſpondeo Angelum eſſe indiuiſibilem, non per modum puncti, ſed per modum ſubſtantiæ, quod autem hac ratione, eſt indiuiſibile, ſimul eſt cum re corporea, & diuiſibili; ut patet de anima rationali, quæ eſt, & perfundit totum corpus.

Ad quintum, Reſpondeo Angelum ex natura ſua indifferentem ad plura loca determinari ad aliquem unum, uel creatione, quia Deus creat in uno loco, uel ex libertate ſua, quia uolunt potius accedere ad unum locum quàm ad alium, uel coactione ſicut dæmonium de quo legitur Tobiæ 12. quod ligatum eſt à Raphaele Archangelo.

Ad ſextum Reſpondeo, ſcripturas non illud exigere ad locum ſpirituum, quod Ariſt. exigebat ad locum corporum.

SECTIO IIII.

Soluuntur quædam difficultates de loco Angelorum.



Rima, Quidnam ſit illud ubi Angelorum.
Secunda, Quidnam producat illud ubi.
Tertia, Qualis ſit iſte locus Angelorum.

Quid ſit ubi per qđ Angeli ſunt in loco.

Quod ad primā dico. Hoc ubi eſſe accidens quoddam reale ſpirituale, quod Angelus acquirit hoc ipſo, quod ipſe Angelus ſimul eſt cum re in qua eſt.

Quod hoc ubi ſit accidens, probatur. Tum ex Analogia ad ubi, quod eſt in corporibus, tum ex eo, quod Angelus acquirit, & deſerit aliquod, ubi præter ſui ipſius corruptionem.

Quod ſit accidens Reale, probatur, quia nō poſſet realiter eſſe in loco, niſi per aliquid reale.

Quod ſit ſpirituale patet, quia eſt in ſubſtantia ſpirituali.

Dixi quod acquirit Angelus hoc ipſo, quod eſt ſimul cum eſſe rei in qua eſt. Quia hoc ubi pono natura prius relatione, quæ conſurgit ex eo, quod eſt ſimul cum alio, imo hoc Vbi, pono fundamentum illius relationis, ſolum tamen natura prius pono non tempore. Itaque Angelus acquirit hoc ubi, quo acquiſito ſimul eſt cum alio.

Quod ad ſecundam attinet, Analogiam ſequor ad ubi corporeum, ſicut igitur, vbi corporeum acquiritur ex eo, quod quis locum ingreditur, ita hoc ubi acquirit Angelus uel ex eo, quod creatur magis in uno loco, quam in alio, uel ex eo, quod uoluntarie ſe

transfert

transfert ad locum aliquem, uel ex eo, quod uiolenter ab alio intenditur in locum aliquem.

Quo ad tertium, Respondeo in loco Angelorum non esse easdem qualitates, quæ sunt in hoc corporeo. Corporeus locus continet locatum, commensuratur locato, necessario adæquatur illi, ad quod sequitur, situs, & relatio partium locati ad partes loci, & differentiæ positio num ad partes uniuersi, item conseruat locatum.

In loco Angeli hæc non insunt, nam locus non continet, sed potius continetur ab Angelis, ita Damasce. ubi supra, & communiter Patres. Item locus Angelorum est diuisibilis, cum Angeli sint indiuisibiles. Præterea locus Angelorum non commensuratur, quia Angeli possunt esse, in maiore, & minore loco. Non sequitur relatio partium locati ad partes loci, quia Angelus est indiuisibilis, quare in eo nullus est situs, nec differentię positionum consideratæ ad partes Angeli locati, quamuis relatę ad totam Angeli substantiam possint in ipso assignari differentiæ positionum secundum quas dicetur esse sursum, uel deorsum. Præterea Angelus non indiget loco, ut conseruetur, quare ipse potius conseruat locum. Locus Angelus non continet.

DISPVTATIO III.

Vtrum Angelus possit esse in pluribus locis simul.



CErtum est Angelum successiue posse esse in pluribus locis, deserẽdo unum locum, & alium acquirendo: Dubium est, an possit esse simul in pluribus locis, & hæc quæstio est tam in ordine ad potẽtiam, Dei absolutam, quàm ordinariam, & est duplex sententia.

Prima sententia est dicentium naturaliter posse esse in omnibus locis, ita Dur. 1.d.37.2.d.1.q.1. qui dicit posse Angelum ubiq; operari, & ubique esse, quamuis in fine quæstionis moneat lectorem se dubitando, non asserendo, ita dixisse.

Secunda sententia est Scoti, & Gabrielis, quibuscum consentit Valentia, & alij ex Thomistis posse Angelum esse in pluribus locis simul, sed inadequatis, fundamenta tamen uaria sunt.

Tertia sententia est non posse esse in pluribus locis, ne inædequatis quidem D.Tho. ubi supra, art.2. Alen.2.p.q.32.mem.3.Gab. Bonauen. Aegid. & ferè omnes, qui tenent absque operatione Angelum esse in loco. Fundamenta tamen horum doctorum uaria sunt. Diuus Thomas, & discipuli hoc referunt ad rationem operationis; alij ad ipsam substantiam, facilè tamen cõciliari possent, si conuenirent quid nam adæquati, & in adæquati loci nomine intelligeretur.

Hac igitur in re quoniam controuersia non est grauioris momenti sit.

Angelus naturaliter nō potest esse in pluribus locis per potētiam Dei posset.

Prima conclusio, Naturaliter Angelus ubique esse non potest conclusio est de fide,& patet euidenter, tum in 1.d.37. tum etiam in præcedentibus quæstionibus, quia Patres ostendunt, hoc esse Dei proprium, propter ipsius immensitatem, & infinitatem.

Secunda conclusio, per potentiam Dei absolutam posset fieri, ut unus Angelus sit in pluribus locis imò etiam in omnibus, & ubique simul. Hæc conclusio latissimè à nobis probanda non est, satis est hic supponere id,quod est de fide, Christi Domini corpus, uerè,& realiter esse in pluribus locis in Eucharistiæ Sacramento. Quod si Christi corpus posset esse in pluribus non apparet implicantia. Quare etiam spiritus non possit.

Preclara Hugonis de loco sentēna.

Secūda,hoc probabit auct.Magni Hugonis Victorini, lib.2. de Sacramentis p.16.cap.7.dicit: Qui corpus fecit, & locum fecit,& qui fecit,ut unum corpus sit in uno loco,fecit sicut uoluit, & si aliter facere uoluisset,fecisset utique,nam & quando vult aliter facit, ita dicere possimus,qui spiritus fecit,fecit,& locum, & qui fecit, ut unus spiritus in uno esset loco,fecit sicut uoluit, & si aliter facere uoluisset,fecisset utiq; nā & quando uult aliter facit,& infra dicit. Cogita facientem,& desinet esse mirabile,quicquid erit, & si mirabile esse non desierit tamen impossibile non erit. Nam si factor omnipotens cogitatur,non erit impossibile quicquid erit.

Dices si Angelus,& homo esset ubiq; esset Deus,quia est proprium Dei esse ubique,Resp.Nego consequentiam,quia propriū Dei est uirtute sua propria,& necessariò esse ubique. Angelus autem,& corpus neque necessario,neque uirtute propria, sed uirtute tantum Dei esset ubique.

Tertia concl. naturaliter Angelus nō potest esse nisi in uno loco.Conclusio est aperta,ex fundamento à nobis posito in superiore quæstione,quia Angeli non per operationem,sed per substantiam suam sunt in loco,substantia autem, est indiuisibilis una, & tota simul,ergo ei locus unicus esse potest.

Secundò, Quia neque corpora possunt esse naturaliter nisi in uno loco.

Quod si quis quæreret,an in adæquate esse posset in duobus locis. Videlicet si substantia Angeli media intelligeretur in aqua, & media in aere. Quamuis hæc ratio partium propriè in Angelis locum non habeat, tamen libenter concederem esse in locis inadæquatis, cum tamen potius dicendum esset locum ipsum habere partes heterogeneas.

DI-

DISPVTATIO XI.

Vtrum locus Angelorum sit determinatus quo ad magnitudinem, & paruitatem.



Repetenda sunt hic, quæ de maximo, & minimo Phisici dicunt, tum in primo phys. tum in lib. de generatione.

In hac quæstione, fit in opinionibus Doctorum omnis combinatio possibilis.

Prima sententia est Duran. ubi supra, qui dicēs posse Angelum esse ubique consequenter cogitur dicere non habere terminum magnitudinis.

Secunda sententia est dicentium esse determinatū quo ad magnitudinē, & paruitatē. ita Scot. 2. d. 2. q. 6. quãuis ēt contrariū censeat probabile. Gregorius, Ioan. de Bassolis, Tattar. & reliqua scola Scotistarum, Aegidius, Riccardus, Maior. Mars. in 2. d. ita etiam Ocham. quodl. 1. q. 4 Pelbartus 2. p. Rosarij uerbo Angeli 6. §. 59. & sequentibus, & apud ipsum Scotellus, probatur hæc sententia.

Primò, Quia licet Angelus dicatur indiuisibilis, tamen non est indiuisibilis per modum puncti, sed latitudinem quandam habet, non quidem quantitatiuam, sed entitatiuam; Ideoque quādo Diabolus ingreditur corpus paruum energumeni dicunt existere partim in corpore, partim in aere ambiente.

Secundò, Quia sicut Angelus non potest esse in toto mundo simul, ita nec uidetur congruum, quod possit esse sub quantitate formicæ.

Tertiò, Quia uix uidetur posse Angelum esse circunscriptum entitatiuè nisi certos terminos haberet, tum magnitudinis, tum paruitatis.

Quartò, Arguté, & doctè Scotus more suo probat, hãc sentent. maximè, quod sit determinatus locus Angelorum, quo ad paruitatem, quia apud Euclidem, lib. 1. elementorum dem. 35. 36. 37. demonstratur, quod quicquid posset esse sub uno æqualium, posset esse etiam sub reliquo si sibi figuratio non repugnaret. Supponamus, ergo locum naturalē Angeli esse istum, quadratū A, B, C, D, & lineæ A, B, C, D, protendantur in infinitū vsq; ad puncta, E, F,



Erunt enim lineæ parallelæ, deinde inter easdem parallelas ducatur quadrangulum à punctis C, D, ad puncta G, H, quod tendat ab

Oriente,usque in occidens,tunc Angelus naturaliter existens in quadrato A,B,C,D,poterit etiam esse si quadrangulo C,H,D,H, quia Angelo figuratio non repugnat, hoc autem est absurdum, quod Angelus in loco,adeo protento,& per longum angusto esse possit. habet ergo terminum paruitatis determinatum.

Tertia sententia est dicentium esse locum Angelorum determinatum,tantum quo ad magnum, non autem quo ad paruum, sed posse esse in loco minore,& minore in infinitum, ita Caietanus, Capreolus, Banes, Molina, Valentia,Ferarr.

Locus Angeli quo determinatus.

Prima conclusio,Locus Angeli determinatus est quo ad magnitudinem,Conclusio erit certissima,& communis, quia uerè Angelus naturaliter non potest esse ubique sed certum terminū habebit, ultra quem naturaliter non poterit protendi.

Secunda conclusio, Locus Angeli non est determinatus quo ad minimum,probatur conclusio.

Primò, Ad hominem quia Scotus vult Angelum posse esse in loco indiuisibili, Videlicet in puncto, & etiam posse esse in loco quanto,ergo etiam poterit esse in omnibus intermedijs terminis assignabilibus.

Secundò,Quia de facto constat plurimos dæmones existere in vnico obsesso adeo, vt legamus fuisse in vnico energumeno legionem dæmonum legio autem est 6666. dæmonum secūdum alios autem 12250.uix autem credibile uideretur, si determinatam haberent loci paruitatem,quomodo tantus numerus posset ibi esse. Neque dicendum est cum quibusdam, qui nimis crasse philosophantur,partim esse in aere, partim in corpore,quasi uerò crura, & brachia dæmonum essent extra corpus,& quasi aliquis dęmon in illo obsesso teneret, uel digitum tantum pedis, & totus extra existeret,alius manum alius caput. Nam ex Euangelio habemus uerè legionem dæmonum fuisse in illo, ergo.

Ad Argumenta Scoti, ad primum Respondeo ex scripturis nos habere, quod unicus Angelus occidit exercitum 185000. hominum. ita 4. Regum 19. & quod duo Angeli euerterunt quinque urbes Sodomorum.Genesis cap.19.& tamen tantus hic Angelus, includitur in uno homine, imo etiam legio Angelorum, Modus igitur nobis incertus est, tamen ex scriptura cogimur dicere ita fieri.

Ad secundum Respond. Experientia patet diabolum sæpe se transformasse in formam Elephantis, sæpè hominis, sæpè canis, ursi,leonis,cati,soricis,respectilionis,formicæ,&c. quare colligimus posse esse sub illis & etiam minoribus quantitatibus.

Ad tertium Respond. uerè esse Angelos,quo ad entitatem circunscriptos, nec posse illos suam entitatem maiorem, uel minorem efficere, quia nihil sui esse potest causa, posse tamen pro libertate arbitrij eligere corporeum locum maiorem, uel minorem.

Ad

Ad quartum Respond. illam protractionem, & extensionem in Mathematicis fieri posse, quia ratione superficiei non repugnat. In Angelis autem non repugnat ratione figuræ, qua ipsi carent, repugnat tamen ratione entitatis ipsorum, quæ ea ratione dilatari non potest.

DISPVTATIO XII.

Vtrum Angelus posſit eſſe in loco indiuiſibili, Verbi gratia in puncto.

PRima sententia est dicentium posse esse, ita D. Tho. Sco. Banes, Valentia, Molina, Capreolus, Caietanus, Ferarr. putant posse esse in puncto fundamentum D. Tho. est & Thomistarum est, quia potest operari tantum in puncto; aliorum uero est, quia pro libertatis arbitrio potest locum ibi eligere.

Contraria sententia est aliorum, qui tenent Angelos non esse in loco per operationum, qui dicunt non posse esse.

Conclusio, Non potest Angelus esse in puncto, probatur.

Primò, Quia entitas Angelorum licet sit indiuisibilis, tamen non est, per modum puncti, neque apparet quomodo tota Angeli substantia possit, ita esse in puncto, ut non alibi.

Secundò, Quia punctus non potest esse locus, quia licet non sit necesse, quod locus coextendatur locato, tamen coexistere debet locato, at punctus non, potest coexistere entitati Angeli, dilatatæ quoad partes entitatiuas, licet non quantitatiuas.

Tertò, Quia punctus non est aliqua entitas distincta a lineæ entitate.

Ad fundamentum, Thomistarum, Respond. illud esse falsum.

Ad alios Respondeo, licet possit esse sub minore & minore in infinitum, non tamen in puncto.

DISPVTATIO XIII.

Vtrum plures Angeli posſint eſſe ſimul in eodem loco.

DE potentia Dei absoluta, nulla est difficultas, si enim corpora de quorum ratione est, quod habeant partes extra partes, possunt penetratiue se habere, & simul esse, quanto magis indiuisibilia, ita si Angelus penetrat corpora, & anima corpus, utique actuat, ita etiam Angelus alium Angelum undique permeare poterit, nam & in obsesso est in loco corporeo, in quo est etiam anima.

De

De potentia uero ordinaria sunt duæ sententiæ.

Prima sententia est D. Tho. & discipulorum negantium posse esse, quam communiter sequuntur ij, qui censent Angelos in loco esse per operationem.

Fundamentum est, quia Angeli agunt quantum possunt naturaliter atque ita unico effectu producendo unicus sufficit; Quare discipuli D. Tho. cum uiderent sæpe, plura dæmonia operari in idem corpus, ideo, dixerunt, quod in natura bene instituta non possunt esse plures Angeli in eodem loco; In deprauata autem dæmonum natura qui omnia peruerse agunt posse esse.

Secunda sententia est, Scoti & communis eorum, qui absque operatione, Angelos censent esse in loco dicentium posse plures esse in eodem loco, cui adherent etiam, nonnulli ex prima sententia.

Prima conclusio possunt plures Angeli esse in aliquo loco communi, prob. quia ex testimonijs supra allatis script. & Patrum patet plura dæmonia esse in uno obsesso corpore, & plures Angelos bonos esse in eadem Ecclesia.

Secunda conclusio. Etiam possunt naturaliter esse in unico loco proprio, ita ut in illo præcise loco, quo unus est, etiam alius sit prob. conclusio.

Primò, Quia Angeli, nō sunt in loco, per operationē, ideo nulla apparet ratio implicantiæ.

Secundò, diabolus naturaliter est in corpore obsesso, in quo est etiam anima.

Tertiò, Quia Lucæ. 8. in uno obsesso erat legio dæmonum si autem deberet loca habere distincta uix posset homo, in tot partes distingui.

Dices, ergo unus Angelus ingredietur essentiam alterius, Respondeo, nego consequentiam ingredietur, quidem entitatem, non tamen principia essentialia, patet hoc aperte in dæmone occupante corpus obsessi est, enim ibi, ubi est rationalis anima, cum tamen quidditates maneant distinctę.



DI-

DISPVTATIO XIIII.

De motu Angelorum.

Vtrum Angelus possit moueri localiter.



DVr.1.d.37.2.p.d.q.1.ponens Angelos ubique esse consequenter etiam motum abstulit,quia eatenus alicui competit motus localis quatenus ipsi cōpetit locus, locum autem dicit esse tantum secundum quandam appropriationem,cum Angelus sit ubique, ergo.

Quæ sententia Durandi in eo quod asserit Angelos non posse moueri, potest ex phisicis argumentis firmissimis confirmari, nam uidetur expræssa Aristotelis sententia. Quod intelligentię moueri non possint, quod prob. quia docuit Ioan. Arborens lib. 1. Theosophiæ capit.6.dicit localem,motum non esse in Angelis, proprie,& probat ex D. Augustino lib.8.de Genes.ad litteram cap. 20. Deus spiritalem creaturam corporali præposuit, quod spiritalis tantummodo per tempora mutari possit, corporalis autem per loca & tempora,deinde probat ex locis Aristotelis quæ adduximus.

Primò, quia communis est, sententia indiuisibilia non esse in loco;quare consequenter neque moueri,quia omnis motus localis est,ad locum.

Secundò, Quia Aristoteles ex professo probat indiuisibile non posse moueri 6.phijs 86.& 87. Omne quod mouetur partim est in termino,a quo,partim in termino ad quem,sed indiuisibilia hoc ipso quod indiuisibilia sunt carent,partibus,ergo non possunt esse partim in termino a quo, partim in termino ad quem.

Tertiò,Tex.89. Omne quod mouetur per aliquod spatium maius se, prius moueri debet per aliquid sibi equale, sed quod est indiuisibile non potest esse equale diuisibili ergo.

Quartò,indiuisibile quale est punctus si moueri debet,per sibi æquale moueri semper deberet per puncta, at puncta actu non sunt in continuo,ergo.Hinc inferret Zeno omnia mobilia æqualiter moueri.

Quintò,tex.90. Omne quod mouetur, mouetur in tēpore, sed indiuisibile nō potest moueri in tempore, ergo probatur minor; quia moueri in tempore est mensurari tempore, sed indiuisibile non potest mensurari tempore, quia mensura & mensuratum debent esse homogenea, ergo.

Sextò,ex Arist.4 Physic.tex.71. probat motum,non posse effici in uacuo,quia motus fieret in instanti, quia ratio cur motus fiat cum successione est propter repugnātiam, & existentiam medij, at medium non resistit indiuisibili,ergo.

Se-

Septimò, motus est actus entis in potentia, prout in potentia, sed Aristoteles intelligentias posuit actus puros, ergo.

Octauò, motus est accidēs reale, & materiale, est enim, ut dicit Arist. 3. Physic. initio de genere continuorum, at accidens materiale non potest esse in subiecto immateriali, ergo.

Nonò, vel Angelus mouetur naturaliter, uel uiolenter, neque enim debemus reuocare motum ipsorū, uel ad supernaturalem, uel ad artificialem motum, sed uiolenter nemo dixerit, sed neque naturaliter, potest moueri, ergo probatur min. Quod mouetur naturaliter mouetur a natura, sed Angelus a natura moueri non potest, ergo probatur min. quia natura est semper, uel materia, uel forma 2. Physi. tex. 11. in Angelo autem, neque est materia, neque forma, ergo.

Decimò, omnis motus naturalis est, ad aliquam perfectionem acquirendam; ideo dicitur esse actus entis in potentia, at Angeli omnem suam perfectionem naturalem habuerunt, in primo instanti suę creationis, ut supra dictum est, ergo.

Vndecimò, Antiquitatis totius consensus quem laudat Aristoteles primo de cœlo fuit, qđ Dij essent in cœlo tanquam in loco incorruptibili maxime remoto ab omni corruptione, & perturbatione, ubi. s. possent maxime quiescere, ac frui otio, non ergo debent moueri.

Communis tamen Theologorum omnium sententia est Angelos moueri localiter motu uere, & proprie dicto.

Angeli localiter mouentur.

Prima conclusio Angeli in corporibus assumptis possunt localiter moueri. Hæc conclusio est de fide, quia Angeli, qui apparuerunt Abrahæ, & Loth, & Iacob. Manue Tob. &c. mouebantur localiter; imo argumenta facta in principio nihil roboris habent contra hunc motum factum in assumptis corporibus.

Secunda conclusio, Angeli absque corporibus assumptis mouentur localiter. Hæc conclusio est etiam de fide.

Primò, ex scripturis Dan. 3. & 4. Angelus Domini descendit, & excussit ignem Iob 1. Circuiui terram. 1. Pet. 5. Circuit diabolus quærens &c. Apoc. 12. Factum est prælium magnum &c. & diabolus missus est in terram &c. Mar. ult. Angelus Domini descendit de Cœlo, & accedens, &c. Matt. 4 Accesserunt Angeli, & ministrabant Io. 13. Introiuit in eum Sathanas Luc. 7. Exhibant dæmonia a multis &c. Luc. 8. expellitur legio dæmonum Luc. 12. qui ingrediuntur in porcos. Secundo de fide est Christi animam descendisse ad inferos non uirtute solū, sed reali præsentia. lege Catechismum, & Canis. ibi descendit ad inferos Luc. 8. Exi ab eo, & ne introeas amplius in eum, & sexcenta loca possent afferri.

Secundò, ex doctrina Patrum, qui etiam dicunt Angelum esse præditum motu uelocissimo.

Tertiò ratione, quia supra monstratum est Angelos esse in loco, quibus autem competit locus, & possunt ad locum moueri.

Ad

Ad argumenta, ad primum. Respondeo Aristotelem uoluisse indiuisibilia non esse in loco circumscriptiue, ut corpora, ita etiam argumentum probat non esse huiusmodi motum circumscriptiuum in Angelis.

Ad secundum, Respondeo procedere ex æquiuocatione indiuisibilis, ibi enim Aristoteles probat indiuisibile per modũ puncti, non posse moueri, non autem indiuisibile, per modum substantiæ, & per hæc patet responsio, ad 3.4.& 5.

Ad sextum, Respondeo argumentum Aristotelis esse ad hominem contra antiquos, qui successionem admittebant, tantum ex parte medij. Nos autem dicimus successionem competere motui ex propriis ipsius principiis intrinsecis, scilicet ratione quantitatis vnde desumitur resistẽtia intrinseca, ut optime colligitur ex Aristot. 4. Physic. non autem solum ab extrinseco, licet ergo nihil resistat motui Angelorum, tamen talis est natura motus, ut in instanti esse non possit.

Ad septimum, Respondeo etiam Angelos dum mouentur respectu motus esse partim actu, partim potentia, actu respectu spatij confecti potentia respectu conficiendi.

Ad octauum, Respondeo localem motum esse accidens eiusdem generis cum loco, quia ergo supra docuimus locum Angelorum esse accidens spirituale, idem etiam de motu entium corporeorum.

Ad nonum, Respondeo Angelum moueri naturaliter, non eo modo tamen, quo entia naturalia, sed libere moueri, moueri autẽ semper ad aliquod bonum, & propter finem, qui sit bonus, uel sibi, uel aliis in quorum gratia mouentur. Motum tamen dæmonum dicimus esse, tum ad perditionem ipsorum, tum ad subuersionem aliorum.

Ad decimum, Respondeo patet ex dictis.

Ad undecimum, Respondeo satis clare patet, quam multis in rebus aliis sit decepta antiquitas.



DISPVTATIO XV.

Quomodo Angelus moueatur localiter.

PRima sententia est communis omnium, quos citauimus in quæstione de loco Angelorum, qui dicunt Angelos esse in loco, per applicationem uirtutis, seu per operationẽ, hi enim consequenter dñt moueri Angelorum, nihil aliud esse, nisi applicationem uirtutis, seu operationem quatenus successiue applicatur, pluribus spatij partibus; Quare operatione seclusa tollunt ab Angelis localem motum.

Secunda sententia est eorum, qui dicunt Angelos seclusa operatione esse in loco, hi consequenter dicunt Angelos substantialiter moueri absque operatione, sed per solam suam substantiam quatenus illam transferunt ex uno loco ad alium quæ est nostra sententia.

Conclusio Angeli per solam substantiam absque operatione mouentur probatur.

Primo ex scripturis constat Angelos uelocissimo motu moueri, neque ulla operatio ipsorũ transitus a scriptura nobis manifestatur, imo uix impossibile uidetur posse huiusmodi operationẽ dari. Cum diabolus eiectus est ex Cœlo Christus dicit. Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadẽtem, fulgur autem unico ictu oculi exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, quid igitur in tot cœlorum, & supernarum regionum tractibus, tam breui tempore potuit operari? Ita cum circuiuit terram, & perambulauit ipsam Iob 1. quid potuit in terræ circulo operari? Ita Christi anima descendit ad inferos, explicent quidnam egerit Christi anima in spatio medio inter crucem, & inferos, qui sunt in centro terræ, neq; enim ludicra fingi decet; quæ autem mystica sunt explicata etiam sunt in scripturis, seu per traditiones Ecclesiasticas, per Concilia, & apud Patres, neque enim fas nobis est ignorare, quę Christus propter salutem nostram est operatus. Ita etiam de fide est animas impiorum, in infernum descendere, animas iustorum ad cœlos euolare. Quid autem operentur in partibus intermediis explicare non possumus.

Dices efficere operationes, quas nos nesciamus, contra unde habes, quod illas operationes efficiant?

Dices secundo, illum non esse motum localem, contra scripturę, & Patres uocãt motum localem, ergo, uocant enim ascensum descensum &c. quæ sunt locales motus.

DISPVTATIO XVI.

Vtrum Angeli possint transire ab extremo ad extremum sine medio.

PRima sententia est eorum, qui dicunt Angelos esse in loco per operationem, qui consequenter dicunt posse Angelos transire ab extremo ad extremum, absque eo quòd transeant per medium, & probant euidenter, quia moueri Angeli, secundum ipsos est successiue applicare uirtutem pluribus partibus medij, potest autem applicare illam in principio, & fine, non applicando mediis partibus, ergo.

Secunda sententia est aliorum, qui uolunt Angelos esse in loco, & localiter moueri, per substantiam dicunt non posse moueri ab extremo ad extremum.

Conclusio necessario Angelus pertransiens spatiũ debet transire per partes intermedias probatur. Quia alias stante positione nostra de loco Angelorum non esset intelligibile quomodo possent moueri.

DISPVTATIO XVII.

Vtrum Angelus moueri possit in instanti.

IN superioribus quæstionibus cum ageremus de merito, & casu Angelorum diximus in Angelis posse esse dupliciter instantia, alia temporis discreti, alia temporis continui, de utrisque erit nostra disputatio; Rursus disputatio potest esse non solum de potentia ordinaria, sed etiam de potentia absoluta, quæ omnia per distinctas conclusiones a nobis diligenter explicabuntur.

Prima sententia est dicentium Angelos posse unico instanti temporis motu continuo moueri localiter, dicunt tamen dici potius instantaneas loci mutationes, quam motus. Hanc defendit Henricus Gandauen. quolib. 13. quæst. 7. Marsil. in 2. dist. 7 q. 7. art. 3. Io. Maior. dist. 2. quæst. 12. Gregor. Arim. 2. dist. 6. quæstio. 3. Gab. 2. dist. 2. quæst. 3. art. 3. dicit, quod si sit in loco sibi inadęquato potest in instanti moueri ad locum sibi adæquatum, non tamen potest a loco adæquato ad alium locum adæquatum in instanti moueri. Scot. etiam in 2. dist. 2. quæst. 11. uidetur in hanc sententiam conuenire, quia dicit, quod si per localem motum intelligeremus solam acquisitionem termini ad quem absque successione a termino a quo ad terminum ad quem posse moueri, tamen

quia iste non est motus; ideo &c. in hanc sententiam non nulli ex Thomistis deueniunt, sed propter distinctum fundamentum ab aliis, quia scilicet cum Angelus sit in loco per operationem, dicunt in eo instanti, quo Angelus desinit operari in uno loco poterit operari in alium locum, quare mutabit locum, probatur.

Primò, quia corpus Christi, per uerba consecrationis in instanti incipit esse in sacramento Eucharistiæ, & si species corrumpantur in eodem instanti in quo substantia panis, si ibi adesset corrumperetur, desinit ibi esse, hoc autem non uidetur fieri posse absque motu locali, ergo motus localis potest fieri in instāti.

Secundò, anima Christi dicūt in illo instanti fuit in limbo ad saluandos Patres, hic autem fuit motus, & instantaneus, seu instantanea localis mutatio, ergo.

Tertiò, animæ beatorum, in ultimo instanti uitæ, eo scilicet instanti, quo egrediuntur è corpore recipiuntur in cęlum, & animæ impiorum in illo instanti sunt ad inferos, alioqui, & Beatorum præmium, & impiorum supplicium, per aliquod tempus retardaretur, quod est absurdum.

Quartò; fulgur in unico instanti exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, quia lux non sit spiritualis qualitas in instanti producitur, sed diabolus è cœlo præcipitatus tanta uelocitate descendit sicut fulgur, Lucæ cap. 12. Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

Quintò Ratione optima si Angelus moueretur in uacuo moueretur in instanti si enim ut docuit Aristoteles 4. phys. tex. 71. & sequentibus posset lapis moueri in instanti in uacuo, ergo a fortiori Angelus, sed plenitudo medij nihil magis officit Angelo, quam ipsum uacuum, quia Angelus omnia penetrat, & permeat.

Sextò, Motus Angeli ut supra diximus est spirituale quoddam accidens, ergo indiuisibile, ergo totum simul.

Secunda sententia est dicentium Angelum non posse in instāti moueri ita D. Th. 1. d. 37. q. 1. art. 3. 1. p. q. 53. art. 3. quodl. 9. art. 9. quodlib. 11. art. 4. Argent. q. 1. art. 2. Scot. 2. d. 2. q. 11. quos sequūtur discipuli ipsorum Capreolus, Ferarr. Banes. Valentia de motu locali Aug. quæ est 3. puncto 2. Molina ubi supra.

Prima conclusio Angelus potest localiter moueri, in unico instanti temporis discreti, probatur conclusio.

Primò, Quia instans temporis discreti mensuratur eo, quod coexistit pluribus partibus temporis, in quibus partibus potest esse successio.

Secundò, Quia Angelus potest per horā continuare intellectionem Antichristi, & dum de Antichristo cogitat, potest localiter moueri.

Dices instantia temporis discretū uariari, pro uariatione operationum ipsius Angeli. Quiescere autem in termino a quo,

& deinde

& deinde acquirere terminum ad quem sunt diuersę operationes, ergo etiam diuersa instantia. Cum ergo necessarium semper sit in motu, ut quis abijciat terminum oppositum a quo, in quo quiescebat; & acquirat terminum ad quem, etiam consequenter necessarium erit, ut operatio Angeli uarietur, Respon. si instantia tēporis discreti sumantur pro iis operationibus, quas habet in termino a quo, & in termino ad quem, argumentum concludit, & conuincit debere esse duo instantia, si autem sumatur operatio quædam Angeli cōmunis termino, a quo ex termino ad quem, seu quæ sit in Angelo, tam dum est in termino, a quo; quam dum acquirit terminum ad quem uera est conclusio nostra, quæ in hoc sensu intelligitur.

Secunda conclusio per potentiam Dei absolutam potest non solum Angelus, sed etiam corpus derelinquere unum locum & acquirere alium locum in unico instanti temporis continui. Hęc conclusio si recte intelligatur est uerissima. Per absolutam potentiam potest aliquid derelinquere locum unū, & alium acquirere in instanti.

Pro cuius intelligentia sciendum est, quod de potentia Dei absoluta potest Deus ponere, uel Angelum, uel corpus in pluribus locis simul, ut dixi cum de loco Angelorum, Verbi gratia potest eundem numero locum ponere simul Bononiæ, & Romæ, si ergo concipiamus Angelum existentem Bononiæ, Romæ etiam poni, ita tamen ut in eo instanti quo incipit esse Romæ, desinat esse Bononiæ. tunc hic Angelus in unico instanti uere locum mutabit. Et in casu nulla apparet implicantia. Tamē dico tunc Angelum non acquisiuisse locum nouum per motum localem, sed per localem mutationem instantaneam. Qūo possit aliquid mutare locum absque motu locali.

Tertia conclusio, Naturaliter Angelus non potest ab uno loco localiter moueri ad alium locum in instanti nostri temporis. Hęc conclusio probatur.

Primò, Quia in hoc transitu necessario intercipitur successio tum in terminis, tum in partibus medii, per quas necessario sit motus & successio non potest esse in instanti, quia successio motus dicit partes extra partes, sed quarum una sit extra aliam, at instans caret partibus & esse suum habet totum simul.

Secundò, Quia supra probatum est Angelos moueri localiter, non per operationem, sed per realem transitum substantiæ ipsorum, iste autem transitus, cum dicat successionem, non potest esse in instanti.

Tertiò, Probatur ratione D. Tho. quæ si bene intelligatur est optima. Quia quod quiescit in toto aliquo tempore, quiescit etiam in ultimo instanti illius temporis, ergo non mouetur, nec potest dici, quod moueatur in instanti immediate sequenti, quia non dantur duo instantia immediata, ergo.

Hanc rationem conatur Scotus euertere, ideo contra ipsam argumentatur.

Primò, quia transubstantiatio est actio instantanea & ante ipsam

sam quiescebat substantia panis in ipsa iam panis auolat.

Secundò, Quia illuminatio est actio instantanea & toto tempore ante ipsam aer quiescebat in tenebris & in illo instanti mouetur per luminis productionem. Nec dicas quod dicit D. Thom. quod hæc illuminatio solis fit post motum ipsius solis, quia quod ille motus præcesserit est per accidens illuminationi, secundo quia si sol crearet a Deo in eodem instanti illuminaret, tertio quia si aliqua alia ratione producatur lumen. Verbi gratia excutiendo ignem ex lapide adhuc illuminabit in instanti.

Tertiò, Quia sequitur numquam posse Angelum imo neque corpus moueri, si semel quieuerit, probatur sequela, quia si quiescit in toto tempore, & etiam in ultimo instanti illius temporis; Iam peto quando poterit Angelus moueri, non in illo instanti propter rationem D. Tho. neque in instanti immediate sequenti, quia non dantur hæc instantia immediata. Dices in alio instanti non immediato, sed mediato; Contra quia illud instans erit ultimum temporis intermedii, ergo si quieuit toto tempore debet etiam quiescere, per illud instans. Dices secundo incipiet moueri per instans temporis discreti. Cõtra quæro enim quidnam de nostro tempore respondeat illi instanti, si tempus iam ponimus, quod quiescat, si instans, hoc instans est ultimum temporis elapsi, ergo.

Quartò, Quia D. Tho. uult motum localem esse per operationem, potest ergo operari &c. sed tamen ratio D. Tho. est optima Proqua sciendum est.

Primò, Quod instans est terminus temporis, & quod mutatio, quæ in instanti fit est intenta ab agente per operationem præuiam, quæ fit in motu; ideo bene dicebat Aristoteles 5. phys. quod generatur, iam generabatur, sumens illud generabatur pro motu alterationis, cuius uirtute fit generatio, quam doctrinam hic sequitur D. Tho. ita etiam quod intendit quietem in toto tempore, intendit etiam illam in ultimo instanti illius temporis;

Secundò, Sciendũ est, quod motus desinit extrinsece, & incipit extrinsece. i. incipit per ultimum non esse, & desinit per primum non esse. Illud igitur instans in quo desinit motus, uel etiam incipit est, tam præcedẽti motui, quam subsequenti extrinsecum, idest quod in illo instanti non est motus, sed fuit, uel erit; si ergo motus extrinsece incipit, iam necesse est, quod hoc instans, quod motus inceptioni est extrinsecum, sit quieti intrinsecum; idest quod tunc non sit motus, sed quies, & per hæc facile est ad argumenta Scoti respondere.

Ad argum. Scoti con. rationem D. Th. ad 1. Resp. nos loqui de motu, quiete, & mutatione naturali, seu quæ fit naturaliter, non autem de miraculosis.

Ad secundum Respon. primo quod D. Tho. non loquitur de quacunque mutatione, sed præcise de motu, qđ id qđ quiescit toto

tem-

tempore quiescit etiam in ultimo instanti illius. Quare hic oportet post quietem accipere nō mutationē, sed motum, qui cum incipiat extrinsece necessario fuit, ut qd quieuerat toto tēpore quiescat etiam in ultimo instanti illius. Dices imò D. Thom. uidetur confutare eos, qui dicebant esse motum in instāti, post illam quietem. Respond. ita est; illi enim quietem ponebant in tempore, motum in instanti, & D. Thomas ostendit, hoc non posse esse, quia motus necessario cum successione esse debet, & hac de causa extrinsece incipere: ex quo sequitur, quod debeat quiescere etiam in ultimo instanti illius temporis.

Ad tertium Respon. Motus incipiet in eodem instanti, quod est ultimum quietis, sed quia illud instans est extrinsecū, ideo tūnc non mouebitur, sed quiescet.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum Respond. argumen. falsum supponere, quod Christi corpus per localem motum incipiat, uel desinat esse sub speciebus.

Ad secundum Respond. Animam Christi Domini non quidem unico instanti, sed tempore imperceptibili ad inferos præsentialiter descendisse; ideo Sancti Patres pro eodem accipiunt instans, momentum, ictum oculi cum tamen ictus oculi fit in tempore, quia est per localem motum.

Ad tertium Respond. animas beatorum in tempore imperceptibili euolare in cœlum, & animas impiorum descendere in infernum, utrasque tamē in exitu a corpore experiri uel præmium, uel supplicium, etiam si ad destinatum locum in instanti non deueniant.

Ad quartum Respon. eodem modo, quia Sathanas uelocissimo motu descendit; ideo Christus comparauit fulguri.

Ad quintum patet ex dictis, quod etiam si Angelus moueretur in uacuo adhuc moueretur in tempore non in instanti.

Ad sextum Respon. licet sit accidens spirituale, tamen est simul cum successione respectu partium spatii, non respectu ipsius Angeli, ratione cuius successionis fit, ut motus non possit esse in instante.



An motus Angelorum mensuretur nostro tempore.



Ontendunt inter se doctores, Scotus contra D.Th. Thomistæ contra Scotum, & alios, sed in re parui momenti sit.

Conclusio, Quod Angelorum motus potest, & tempore nostro, & etiam duratione aliqua distincta a nostro tẽpore mensurari, probatur conclusio.

Primò, Quod possit mensurari aliqua duratione a nostra distincta, quia Angeli possunt aliquam operationem facere, qua mẽ surent motus, at probabilius est ipsos hoc mensuræ genere uti tamquam sibi magis apto.

Tñ etiam nostro tempore potest mensurari; Et quidem si motus fiat in assumpto corpore nulla erit difficultas; si autem fiat absque corporis assumptione erit difficultas maior, tamen etiam adhuc mensurari posse nostro tempore probo.

Ex scripturis Daniel cap. ultimo motus quo Abachuc translatus est tẽpore mensuratur; & Act.8. Cum Philippus asportatus est in Azotum, Ita etiam Patres dicunt Angelos uelocissime moueri, & breui tempore longissimos terrarum tractus transmeare.

Secundò, Quia ille motus est cum successione, ideo non est in instanti, ergo in tempore, & hæc de loco, & motu Angelorum.





POST PRAEDICTA.

DISTINCTIO IX.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Ostquam Magister egit de conuersione bonorum, & auersione malorum deinde tractationem suam conuertit ad explicanda ea, quæ & malorum auersionem, & bonorum conuersionem sunt consecuta. Et cum in superiori distinctione egisset de corporum assumptione, quæ communis est, tam bonis quam malis. Hic præcipue agit de bonorum Angelorum distinctione.

Quatuor autem potissimum facit in hac distinctione, Primo explicat distinctionem ipsorum Angelorum, & dicit discretos esse tripliciter ternos, vt in eis sint tria terna, quæ mysterium Trinitatis explicent, vt sint tres Hierarchiæ, & nouem ordines, scilicet Angelorum, Archangelorum, Principatuum,

Potestatum, Virtutum, Dominationum, Thronorum, Cherubim, Seraphim, & hæc nomina explicat.

Secundò, Quærit, An hæc distinctio sit facta à principio creationis, & dicit non esse factam, sed esse ita ex diuisione Spiritus sancti secundum gratiam, qui sicut in Ecclesia, alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, &c. Ita etiam secundum gratiæ largitatem, diuisit ordines ad inuicem, secundum quandam conuenientiam ad aliquod ministerium, ordo enim est multitudo Angelorum collectorum cum aliqua aptitudine ad inuicem.

Obijcit deinde sibi, quod in scripturis leguntur etiam dæmones ijsdem ordinibus distincti, ergo non est per gratiam, Respondet esse per gratiam non quam habuerunt, sed quam habuissent si stetissent.

Tertiò, Quærit, An omnes vnius ordinis sint æquales, Respondet non esse omnes, æquales, sed alios, alijs præstantiores.

Quartò, Quærit de numero hominum saluandorum, vt sarciatur ruina Angelorum, an tot homines sint saluandi, quot Angeli ce-

ciderunt

ciderunt relinquit dubium, an tot homines sint saluandi, quot Angeli ceciderunt; an quot perstiterunt.

DISPVTATIO L

De distinctione Angelorum in ordines, & quid sit ordo Angelicus.



N sacris litteris, distinctis non solum nominibus, sed etiam gradibus, & ut D. Gregor. 4. moral. cap. 11. dicit dignitatibus distinctis nominantur Angeli. Non solum enim nominibus proprijs nominantur Gabriel, Raphael, Michael, Vriel, sed etiam alijs nominibus honoris, & prælationis nominantur. Et Angelorum quidem mentio frequentissima est in sacris litteris, quia Angelicum nomen commune est omnibus cœlestibus spiritibus, sed præter hoc Esaiæ, cap. 6. Seraphim stabant super illud, & infra, & uolauit ad me unus de Seraphim, ubi cóstat plures esse Seraphim, quia שרפים plurale est dictum à שרף quod concremare seu ardere significat. Vnde Seraphim dicuntur quasi ardentes, Cherubim uero frequentissime nominantur. Gen. 3. ponitur Cherubim, ad introitum paradisi terrestris Exodi 18. 22. 37. Num. 7. 1. Reg. 4. dicitur Deus sedere super Cherubim, Throni etiam sępissime leguntur in scripturis, sed alia significatione, scilicet pro solio regio, tamen quatenus de Thronis Angelorum dicitur, habetur Col. 1. siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, ecce numerantur quatuor ordines, & Rom. 8. Numerantur tres ordines neque Angeli, neque Archangeli, neque Principatus, 1. Cor. 15. Cum euacuauerit omnem Principatum, Potestatem, & & Virtutem. Ephes. 1. Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & cap. 10. ut innotescat Principatibus, & Potestatibus, 1. ad Thess. 4. In uoce Archangeli, & in epistola Iudæ cum Michael Archangelus. Hæc igitur omnia si colligamus, reperiemus nouem ordines esse descriptos Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Potestatum, Virtutum, Dominationum, Thronorum, Cherubim, atque Seraphim. Est autem ordo Angelicus multitudo cœlestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiæ similantur sicut & naturalium donorum participatione conueniunt. Vnde patet ordines non esse præcise, neque ex munere gratiæ, neque præcise ex conditione naturæ, sed utrúque includere, principalius tamen gratiam, quam naturam.

Nouem Angelorum ordines.

Angelicus ordo quid sit.

Sanctus Antonius Aegyptius epistola secun. ad Arsenoitas loquens de nominibus ordinum ait. Hæc autem nomina sunt addita, pro eo, quod conditoris proprij custodierunt uoluntatem.

Hinc facile conciliari poterunt doctores, qui in hac re discordare uidentur, & explicari quomodo dicantur dæmones ex omni ordine cecidisse.

DISPVTATIO II.

Quomodo ordinandi sint Angelici ordines.

Diuus Greg. lib. 32. moral. cap. 18. secundum aliam editionem capit. 25. hoc ordine Angelorum ordines numerat, Angeli, Archangeli, throni, dominationes, uirtutes, principatus, potestates, Cherubim, & Seraphim, at hom. 34. in euangelia, alio ordine numerat dicens nouem Angelorum ordines testāte sacro eloquio, nouimus, Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Breuiariū Romanum iussu fac. Triden. Conc. editum in Antiphona, quæ canitur, ad Laudes in festo S. Michaelis, hoc ordine enumerat, Angeli, Archangeli, throni, & dominationes, principatus, & potestates, uirtutes cœlorum, sed prætermittit Cherubim, ac Seraphim, at in Antiphona ad Magnificat, in festo omnium sanctorum, rursus eodem ordine dignitates Angelicas ordinat, & addit Cherubim, & Seraphim.

Sanctus Athanas. quæst. 4. ad Anthiocum dicit. Ordines nouem Angeli, Archangeli, principatus, potestates, uirtutes, dominationes sex alis alata, Seraphim, multis oculis ornata Cherubim, & throni.

Sanctus Bernardus serm. 19. in Cant. fuse enumerat ordines sic, Angelos Archangelos, uirtutes, principatus, dominationes, thronos, potestates, Cherubim, Seraphim. Rursus ibidem, alio ordine numerat sic. Angelos, Archangelos, uirtutes, potestates, principatus, dominationes thronos, Cherubim, Seraphim.

Rupertus Abbas lib. de Trinit. & eius operibus cap. 15. sic enumerat, Angeli, Archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, uirtutes, Cherubim, Seraphim.

Clemens Rom. lib. 7. Constit. Apostolicarum cap. 35. enumerat Seraphim, Cherubim, Archangelos, thronos, dominationes, principatus, potestates, uirtutes, Angelos.

Sedulius in cap 1. epist. ad Ephesios. Nouem Angelorum scimus ordines, Angelos, Archangelos, uirtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, Cherubim, Seraphim.

Sophronius

Sophronius Episcopus Hierosolimorũ in Bibliotheca Patrum in festo sancti Michaelis, uolo inquit uos, o cœlestes spiritus ex ordine prædicare, significare, inuocare incipit ab Seraphim, post illos ponit Cherubim, thronos, dominationes, potestates, uirtutes, principatus, Archangelos, Angelos.

Isidorus lib. 1. de summo bono c. 12. Angeli, Archangeli, throni, dominationes, uirtutes, principatus, potestates, Cherubim, Seraphim.

Ioan. Gropperus in institutione Ecclesiæ Catholicæ tract. de Angelis affert hos uersus.

Sunt Seraphim, Cherubimq́, Throni sunt, & Dominatus.
Principibusq́, Potestates, subsunt, comitantur
Virtutes, Archangelica hic mentes numerantur.
Angelicusq́ chorus claudit sacer ordo nouenos.

Quem ordinem sequitur Albertus Nouicampianus, in scopo biblico annotatione de fide, spe, & charitate. & plurimi è doctoribus.

Sanctus Dionys. Areop lib. de cœlesti hierarch. sic enumerat Angeli Archangeli, principatus, potestates, uirtutes, dominationes, throni, Cherubim, Seraphim.

Dionysium sequitur alter, Dionys. s. Chartus. in ipsius explicatione Io. Damasc. lib. 2. de fide Orthodoxa c. 3. Hugo de S. Victore elucidatione, in Dionys. Anselm. optime in cap. 12. 2. ad Cor. dicit nouem sunt ordines Angelorum, qui iuxta Dionysium in tres ternas distinctiones distributi sunt, prima enim triplex eorũ dispositio. i. illa, quæ terris est uicinior constat ex Angelis, & Archangelis, & principatibus, Media uero ex potestatibus, & uirtutibus, & dominationibus. Suprema autem ex thronis, & Cherubim, atque Seraphim, & huic distinctioni omnes plane assentiuntur, & merito.

Quia sanctus ille Dei eloquentissimus Dionysius summi Doctoris gentium Pauli discipulus fuit, & cap. 6. cœlestis hierarchiæ dicit, ea quæ scripsit de cœlesti hierarchia scripsisse, quatenus audiuit à D. Paulo. At D. Paulus omnium optime, hæc noscere potuit, quippe ad tertium usque cœlum raptus, audiuit arcana uerba, quę non licet homini loqui. Et hæc de ordinibus Angelorum nunc de hierarchiis dicamus.

Quo ordine Angeli numerandi.

S. Dionysius quæ de Angelis docuit ea à D. Paulo didicit.



Quid sit Angelorum Hierarchia.

Sacrũ Pontificium.



HOrum sacrorum ordinum coordinatio, atque distribuio Hierarchia dicitur quasi sacra prælatio, seu sacer principatus, uel sacrum pontificium Hierarchia enim teste Budæo in cõment. linguę Gręcè dicitur. ἀπὸ τοῦ Ἱεραρχεῖν, quod est sacro Imperio, seu principatu fungi inde Ἱεραρχία compositum nomen ex Ἱερος quod sacrum significat, & Ἀρχια quod dominium significat. Quare Hierarchia à Latinis propriè uertitur sacer principatus. Quia tamen principatus est proprium nomen tertij ordinis ad tollendam ambiguitatem censerem commode uerti posse sacram prælationem, uel sacrum Pontificium. Ita Carthus. in cap. 13. Dionys. de cœlesti hierarchia.

Angelica, & ecclesiastica hierarchia.

Hæc autem Hierarchia duplex est, Visibilis, & Inuisibilis, seu Angelica, & mundana. Prælationum uero constitutio, & uariorum graduum rutilans distributio, qui in militanti Ecclesia cernuntur, Ecclesiastica hierarchia appellari debet, ita ipsam appellat Anacletus Papa in epist. 2. decretali ad Episcopos Italiæ, Cōcilium Trident. sess. 25. cap. 4. Ecclesiasticam hierarchiam, & hierarchicum ordinem nominat, & ibidem can. 6. dicit, si quis dixerit in Ecclesia Catholica, non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris, anathema sit. Imò hæc est Ecclesiastica hierarchia subordinata cœlesti Angelorum hierarchię, ideo terribilis apparet, ut castrorum acies ordinata, ita fac. Concilium sess. 23. cap. 4. cuius similitudinem satis eleganter describit Alex. à Turrecremensi lib. de Fulgenti radio hierarchiæ Ecclesiæ militantis radio. 3. & 4. Albertus Pighius eruditissimum opus scripsit de Ecclesiastica hierarchia. nonnulla etiam habet Henricus Harpius lib. 1. mysticæ Theologiæ cap. 102. sed de hac non est nobis hic agendum; sed de illa cœlesti, atque Angelica.

Ecclesiastica hierarchia Angelicę subordinata.

Angelica igitur coordinatio in tres hierarchias a S. Dionys. partitur in supremam, mediam, & infimam, & quælibet hierarchia tres ordines continet.

Suprema { *Seraphim* / *Cherubim* / *Thronos*

Media { *Dominationes.* / *Virtutes.* / *Potestates.*

Infima { *Principatus.* / *Archangelos.* / *Angelos.*

Huius autem distributionis rationem fusius explicant Sáctus Dionys. & Ioann. Damascenus ubi supra, Gregorius hom.34.in Euangelia, Ioan. Chrisost.hom.4. de incomprehensibili Dei natura.D.Bernardus in serm.19.in cantica. Hugo de Sancto Victore in elucidationibus in Dionys. Qui etiam omnes explicant uaria nomina, & rationem, cur illis nominibus appellentur nouem ordines. Plura de iis ordinibus, ac Hierarchiis Angelorum tradunt Sancti Patres in locis supra citatis & præter illos Athanas. opusc. de Spiritu Sancto & in lib. de communi essentia Patris filii,& Spiritus Sancti.Hilarius in ps.129. Basil. lib.3.contra Eunomium Theodoretus epitome diuin. dec. cap.de Angelis.D.Hieronymus in cap. 1. ad Ephes. lib.2. cont. Iouinianum & apologia 1.contra Ruffinum Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium Papam. Isidorus lib 7.Ethimologiarum & lib.1.de summo bono cap.12.Riccardus de Sancto Victore in ps.113.Magister cum Scola in hac distinctione D. Tho. p. p. q.108.ideo plura,quæ fusius dici possent ibi poteris legere.Quorum plurima satis accurate mira quadam breuitate perstrinxit Bartholomeus Cassaneus 3. parte catalogi de gloria mundi consideratione quinta sic dicens.

In prima & suprema Hierarchia ponuntur Seraphim, ut supremi, deinde Cherubim,& Throni, In media ponuntur Dominationes, Virtutes, Potestates; in tertia Principatus, Archangeli, Angeli. In huiusmodi ordine relucet mysterium Trinitatis.Nam ex unitate hierarchiæ, inuenitur unitas diuinæ essentiæ.In tripartito

Dei summa maiestas in Angelorum ordinibus elucescit.

tito ordine ostenditur Trinitas personarum, & ipse quidem Deus Trinitas, qui omnia operatur in singulis diuidens, pro ut uult. Amat in Seraphim, ut Charitas, Nouit in Cherubim, ut ueritas. Sedet in Thronis, ut æquitas. Dominatur in dominationibus, ut maiestas. Tuetur, ut uirtus in uirtutibus. Iubet in potestatibus, ut potestas. Regit in principatibus, ut principium, Reuelat ut lux, in Archangelis; Assistit ut pietas in Angelis. Et in prima Hierarchia æquitas in Thronis refertur ad patrem, cognitio ueritatis in Cherubim ad filium, ardor amoris in Seraphim ad Spiritum Sanctum. In secunda Hierarchia maiestas dominationis ad patrem, rectitudo principandi ad filium, salus intuendo, ad Spiritum Sanctum. In tertia principatus ad patrem, reuelatio lucis ad filium, inspiratio intellectus ad Spiritum Sanctum. Hæc Cassanæus.

Admonet me locus iste, ut in gratiam studiosorum, eorumque potissimum, qui concionibus operam sunt nauaturi, excellentissimam magni Gulielmi Parisien. speculationem hic subijciam, ita enim fiet; ut nihil, quod ad huius rei explicationem attinet prætermittatur, & disputatio nostra tanti doctoris auctoritate illustretur. Is igitur in parte secunda secundæ partis de uniuerso cap. 112. habet hæc uerba.

Explicantur diuersorum ordinũ ministeria ex elegãti analogia ad terrestrem Monarchiam.

Scito, quod tempore adolescentiæ meæ, cum cogitarem de sacris istis principatibus, & ordinibus; incidit mihi cogitatus de regno terræ, bene ordinato, ac decenter disposito; & de familia regia, & uisum est mihi, quod proximi, ac laterales regis necessario debent constituere tres ordines hominum, quos necesse est indesinenter & lateraliter assistere ipsi regi.

Primus ergo est amantissimorum, hoc est maxime regem amãtium, & amore ipsius, super omnes feruentiũ, & manifestum est tibi, quia hæc est consuetudo regum omnium, scilicet, ut & uelint hẽre, & habeant iuxta se, & proximos sibi, quos sibi credunt amicissimos.

Secundus, est ordo sapientum, quo ordine nihil regi cõuenientius, nihil decentius; præsertim cum ipsa sapientia dicat, quia per me reges regnant; & ille rex Hæbreorum sapientissimus omnibus alijs donis sapientiam prætulerit, aliisque postpositis, illam singulariter expetierit. Tu quoque scis quam necessarij sint sapientes, gubernationibus regnorum, sicut & ille idem sapientissimus rex dixit, quia multitudo sapientium salus est orbis terrarum. Nosti etiam, quia per sapientiam conduntur leges, et statuta salutaria, hominibusque perutilia eduntur.

Tertius ordo est iudicum, uidelicet, qui iura reddant, qui controuersias & lites dirimant.

Quartus, ordo est excellentissimorum, atque honorabilium magnatum, inter quos sunt regi subditi, & tributarij regis, uel illi, qui solent dici proceres regni, & barones, in quibus consistit magna pars fortitudinis & potentiæ regni.

Quin-

Quintus, ordo præsides prouinciarum.

Sextus ordo Duces legionū, atque bellorum instructores, & capitanei acierum.

Septimus ordo Centurionum, uidelicet ministrorum, qui uindictas, & iustitias exequuntur.

Octauus magnorum nunciorum, qui legati usualiter nominantur, uidelicet, qui magna nunciant, & aliis nuncijs nō reuelanda, & de magnis rebus, atque negotiis deferunt; ad quos rex iusserit, nec numero equos in ista familia regia, qa nec regni necessitas, nec eiusdē decor, aut gloria; sed magis noxia deliciositas eorum ministeria exquisiuit; sic dico de pincernis, & decubicularijs & thesaurariis; hoc est thesaurorum custodibus; quia curiositas, & uoluptas; & auaritia causam dederunt superfluitati eorum, cum longe minori apparatu, & sollicitudine posset regibus ministrari & regna etiam gubernari; & tunc bene erat rebus humanis, cum à deliciis, & superfluis diuitiis, uanisque honoribus se reges abstrahebant; & sicut dixit philosophus quidam, cum philosophi regnant, & reges philosophantur. In regiis domibus quā multa superflua, noxia deliciositas excogitatit.

Nonus & nouissimus ordo est minorum nunciorum, per totum regnum discurrentium, siue equitum, siue peditum; iussa regis, & mandata deferentium. Quia igitur iste numerus ordinum, & ista dispositio eorum, & regni terreni tota huiusmodi dispositio decētissima est, atque pulcherrima; omnis autem pulchritudo, & decor, siue decentia cuiuscumque regnorum, exemplum est pulchritudinis, & decentiæ regni illius primi, ac nobilissimi, necesse est, in illo regno pulchritudinem, & decentiam munerum, & ordinationum, non solum similes esse istis, quas de regno terreno posui; sed etiam exemplares istarum. Cum enim proportionales sint reges ad regna, reges scilicet boni, ad regna sua, bene erunt, & permutatim regna proportionalia. Quia igitur omnis rex bonus exemplum est, & similitudo primi regis, qui est creator benedictus, erit necessario, & omne regnum bene dispositum, exemplum & similitudo regni illius, & ordinatio huius, ordinationis illius; & ordines huius, ordinationes illius, apparet etiam hoc euidenter in similitudine & proportionaliter proportionalitate, atque comparationibus partium, siue ordinum ad partes; siue ordines primi ac nobilissimi regni illius. Mira sententia. Regnum bene dispositum est imago primi regni scilicet Dei.

Ordo enim primus, scilicet ordo amore regis feruentissimorum ordini Seraphim assimilatur, atque proportionatur, sicut apparet ex ipsa cognominatione ipsius, qui est totus ardens, siue incendium ipsorum. Seraphim cubicularij Dei.

Et ordo sapientium, qui est secundus ordo, per similitndinem, & proportionem, respondet ordini Cherubim; quod ostendit eiusdem cognominatio ex hebræo in latinum interpretata, quæ est plenitudo scientiæ, uel fusio sapientiæ. Cherubim ui cōsiliarij.

Similiter & tertius ordo, qui est iudicum assimilatur, & pro- Throni sunt iudices Dei.

portionatur ordini tertio præclari illius, ac nobilissimi regni, qui throni, uel sedes cognominatur, in illis tamquam in regno regalis excellentię suæ sedet rex ille, & Dominus seculorum, & inde, siue per illos iudicia sua exercet.

Dominationes sunt barones. Quantus ordo potētissimorum honoreque, ac sublimitate potestatis in regno præeminentiū respondet per easdem uias, quarto ordini Regni antedicti, qui cognominantur dominationes, quoniam in illis maxime relucet dominatio super eminentissima creatoris, quemadmodum in ipsa potentia, & gloria magnatum, maxime apparet Regni terreni potentia. Vnde & barones à fortitudine, siue potentia cognominationem huiusmodi acceperunt.

Principatus, sūt præsides prouinciarū. Præsides uero prouinciarum, per quos. s. prouinciæ reguntur principalibus similitudine conuenientissime comparātur. Quod uidere facillimum est, si officium, & opera principum, quæ maxime iustitia, atque clementia decorantur diligenter ostendantur, hæc enim dignissima principe sunt; longe enim differt principatus à tyrannide, à rapina, & oppressione; subditorum. Veri namque nominis princeps ministrum, idest quasi partem se gerit, & exhibet subditorum. Vnde quidam princeps Romanorum subditos nobiles potentes commilitones suos uocabat, & de uero principe uerissimum est, quia prodesse intendit subditis suis, & hoc solum amat in principatu suo, non præesse.

Potestates sunt legionum duces. Sextò, Ordini qui est potestatum rectissime comparantur duces legionum, instructores acierum, ac princeps militiarum, quia per eos in potestatem regis reducuntur, & rediguntur, qui à potestate recesserant, vel eidem rebellant.

Virtutes ut cēturiones. Septimus ordo, qui est uindictas exercentium, & iustitias, siue iudicia exequuntur, quales solent esse centuriones, aptatur ordini uirtutum, qui adeo inimici debent esse uitijs, ut in mortem eorum coniurati appareant, & eousque aduersari uideantur uitijs, & non solū uirtuosi, sed etiam uirtutes nominari, digni sint; præsertim cum officia eorum sint uitia, & uitiorum studia totis uiribus exterminare, cum ipsis eorum auctoribus. His igitur incumbit, & armis, etiam militiæ secularis strenui sint armis, Videlicet omnino spiritualibus, & præcipue illis, quæ proprie nominantur arma iustitiæ.

Archangeli maiores nūcij. Angeli minores nūcij. Nouissimi uero ordines duo, qui. s. sunt maiorum nunciorum, atque minorum euidentissimam habent proportionem, atque similitudinem Angelorum, & Archangelorum. Et euidentia hæc non indiget declaratione. Hæc Gulielmus. Si quis uero has hierarchias, & ordines mistice cuperet ad animam nostram applicare; legat Hēricum Harpium. lib. 1. mysticæ theologię, cap. 102. ubi dicit hominem supremo Dei auxilio fultum habere, ut amore ferueat, cum Seraphim; vt scientia luceat, cum Cherubim; spirituales effectus iudicet cum Thronis; ut Dominetur cum Dominationibus, tollendo impedimenta; ut fortis sit cum uirtutibus; ut ordi-

Q̄sp in aīa nostra elucescu ni cœlestes ordines, ac hierarchiæ.

natus

natus cum Potestatibus; ut principetur cum Principatibus, ut cum Archangelis ueritatem reuelet; ut cum Angelis indigentibus pie assistat, quæ ex Lynconiensi desumpta sunt.

DISPVTATIO IIII.

Vtrum sit admittendus decimus ordo Angelorum.



EO IX. Papa relatus de consf.d 1.cap. Hi duo dicit, quod nouem hebdomadibus Alleluia, intermittimus non incongrue per nouem hebdomadas, nouē ordines Angelorum accipimus, quorum decimus ordo, per superbiam corruens, Angelicum numerū minuit & à fęlicitate perturbauit, qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam sibi timentes à perfecta laude creatoris fuere præpediti. *Cur nouem hebdomadibus in Ecclesia subticeatur alleluia.*

Sanctus Salonius Episcopus Viennensis dialogo in Ecclesiastem dicit: Decem sunt ordines Angelorum, sed unus cecidit per superbiam, ideo boni Angeli semper laborant, ut de hominibus numerus adimpleatur, & perueniat ad perfectum numerum, i. decenarium.

Magister dist. 9. dicit: Notandum etiam, quod decimus ordo legitur de hominibus restaurandus.

Conclusio. Nouem tantum sunt ordines Angelorum. Hæc conclusio ex supra citatis scripturæ, & Patrum testimonijs copiosissime est explicata, & cumulatissime confirmata. Ideo satis sit in contrarium adductas auctoritates explicare. *Nouē sunt tantum ordines Angelorum.*

Magister sentent. vbi supra. Ioan. de Turre crem. in cap. iam citatum de consf. d. 1. cap. Hi duo. Bartholom. Cassanæus 3. p. catalogi de gloria mundi considerat. 19. Bartholomæus Sybilla in Speculo peregrinarum quæst. decade 2. cap. 10. quæstiuncula 2. Scolast. Doctores communiter in hac distinctione 9. explicant nominari decimum ordinem Angelorum, non quod uere decem fuerint ordines Angelorum, & unus integer præcipitauerit, neque quod cum nouem sint Angelorum ordines, decimus ordo constituendus sit ex numero hominum, qui ad reparādam ruinam Angelorum ad cœlestes sedes super extollentur, vt quidam arbitrati sunt: Sed decimus ordo dicitur numerus hominum saluandorum, qui diuersis Angelorum Choris associabūtur, qui homines tot erūt, quot sufficerent ad unicum ordinem Angelicum construendum. Quia ut dicit Gregorius hom. de centum ouibus, ex S. Diony. cap. 1. de diui. nom. homines ad diuersos Angelorum choros, & ordines assumuntur. Quia etiam ex omnibus ordinibus Angeli cecidere. *Cur decimus ordo Angelorum nominetur.*

Si quis autem paulo curiosius quæreret. Qui nam Angeli ex

singulis ordinibus ceciderint, responderem hoc omnino incertum esse. Si tamen quis in re incerta aliquid dicere cuperet legat Bartholomæum Cassanæum, qui 3.p. catalogi à consideratione 6.usque ad 14. inclusiuè curiosè magis, quam doctè ista prosequitur, illud tamen addiderim, quod licet hic doctor parum doctè ista conscripserit, nullus tamen doctius scribere poterit, est enim res penitus incerta.

Quot & qui nam ex singulis Angelorum ordinibus ceciderunt.

DISPVTATIO V.

Vtrum Hierarchicus ordo sit in dæmonibus.



Hviusce difficultatis solutio, habetur ex dictis, cum n. ordines dixerimus esse distinctos, partim secūdum naturæ, partim secundum gratiæ gradus. Quantum est ex parte gratiæ non est hierarchichus ordo in dæmonibus, qui omnibus gratuitis spoliati sunt. Quantum tamen est ex parte naturæ, quia naturalia in dæmonibus manserunt integra; ideo est inter eos ordo; hinc est, q ab Apostolo ponitur ordo in dęmonibus dicēs, non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principatus, & Potestates, aduersus, &c. Et alibi ut innotescant Principibus, & Potestatibus. Quia tamen ostēdi in Angelicis agminibus, hierarchicū ordinem principalius desumi ex gradu gratiæ, quam ex gradu naturæ, ideo sequitur, quod in dæmonibus ordo hierarchicus sit impetfectus.

DISPVTATIO VI.

De Prælatione dæmonum.



PRæter distinctionem illam ordinum, quæ secūdum naturæ gradum attenditur adhuc est, & semper erit in dæmonibus, usque ad mundi finem quædā prælatio, quæ tamen fundatur in naturæ perfectione, & etiam in ordinum distinctione, secūdum quam maior imperat, minor obsequitur. de qua intelliguntur loca illa scripturæ. Lucæ 11. In Beizebub principe dęmoniorum. Apoc. 12. Draco & Angeli eius, omne regnum in se diuisum, &c. 2. Cor. 12. Angelus Sathanæ, ideo dicitur diabolus princeps huius mundi, & ab Apostolo uocantur rectores mundi tenebrarum harum, de qua glossa 1. Cor. 12. ibi cum euacuauerit, &c. dicit quandiu durat mundus Angeli Angelis, homines hominibus, & dæmones dæmonibus pręsunt, uel ad utilitatem uiuentium, mirum autem esse hoc

hoc notat Guliel. Parif. quod cum tanta fit uoluntatis deprauatio in dęmonibus, quod ne Deo quidem fubiici uolunt, tamen ad homines decipiendos, tentandos, impugnandos, tanta adhuc in ipfis prælationis, obferuantia, & obedientia maneat, ut tanta promptitudine inferiores fuperioribus pareant. Hac tamen in re affentiri non poffum Ioan. Vignerio, qui tract. de uolũtate Angelica, ner. 8. quæ eft de ordine dæmonum dicit: Adeo actiones inferiorum actionibus fuperiorum fubiiciuntur, ut quando fuperior dæmon præcipit inferiori effe in aliquo loco, quod præceptum fit per manifeftationem confilij fui, inferior dæmon ex naturali inclinatione neceffitatur operari circa illum locum tantum, quantum fuperiori placuerit, & ibi dicuntur fit alligari, quod ad alium locum diuertere non poffint. Hæc Viguerius. Hanc igitur neceffitatem naturalem ipfos alligantem non admitto. Cum enim Raphael alligauit Afmodeum, puto aliquam maiorem uirtutem aduenisse, quam folam manifeftationem fui confilii.

Magna in dęmonibus in tanta peruerfitate, animorũ ad malum coniunctio.

Conueniunt tamen doctores, poft finem mundi, euacuatum omnino iri hanc prælationẽ propter uerba Apoft. 1. Cor. 15. cum euacuauerit omnem principatum, & poteftatem, & uirtutem glossa ibi poft finem mundi ceffabit omnis prælatio, quia non amplius erit apta, ad decipiendos homines, fed omnes dæmones cum fuo principe igneis cathenis conftringentur, nifi forte etiã in ordine ad damnatorum torturas quendam ordinẽ fecundum naturalium perfectiones, in dæmonibus ponat, hic.n. non abfurde poneretur licet.n. Iob dicat. Vbi nullus ordo, fed fempiternus horror habitat, tamen Patres aliquem ordinem ponunt in inferno, quo ad pœnas. optime.n. S. Greg. lib. 9. moral. cap. 48. explicat quomodo ibi ordo effe poffit, ubi nullus eft ordo, & dicit ipfa quoque fupplicia, quæ ordinata per iuftitiam ueniunt ordinata proculdubio in corde morientium non funt. Hunc autem ordinem elegantiffime explicauit Bartholomæus Caffanæus 3. p. cathalogi glorię mundi confideratione 6. in fin. In inferno ait eft ordo diuinę iuftitiæ, quę.n. à Deo funt ordinata funt Rom. 13. In fupplicijs ergo ordinantur peccatores, ut numquam fit dedecus culpæ, fine decore iuftitię. Vnde ita pulchre, & ordinate ftat peccator in inferno, ficut in annulo gemma, & latro in furca, ficut ftercus in cloaca. Secundus eft ordo culpæ, quia qui fimiles erunt in culpa, fociabuntur in pœna. Matth. 13. Alligate ea in fafciculos, Tertius eft ordo pœnæ, quia pro menfura delicti erit, plagarum modus Deuter. 33. Hæc ille.

In fine mundi omnis pҫlatio dęmonũ deftruet.


Qualis fit ordo in inferno.

Elegans defcriptio ordinis apud inferos.

DI-

DISPVTATIO VII.

De actibus Hierarchicis.



Anctus Dionysius lib. de cœlesti hierarchia cap. 3. tres actus hierarchicos numerauit, qui sunt purgare, illuminare, perficere; sed purgare, & perficere dicuntur hoc ipso, quod illuminant, purgant enim ab inscitia & per nouam ueritatem aduenientem inferiorum Angelorum intellectum superiores Angeli perficiunt. Ideo hic de sola illuminatione agemus.

DISPVTATIO VIII.

De illuminatione Angelorum.



Omnia entia inter sese Deus miro ordine colligauit.

Irabilis in hoc apparuit Dei, Opt. Max. prouidentia, quod non solum entia quælibet in se ipsis perfecta produxit; sed uniuersa etiam inter se miro quodam ordine colligauit; præcipuè uero, ut per superiora inferiora gubernarentur, maximè ut S. Dionys. cap. 15. hierarchiæ, ait per sursum ductricem analogiam, & ea, quæ ab excelso summi Dei throno decreta sanciuntur per superiores Angelos, inferioribus & Angelis, & hominibus manifestentur, atque tunc illuminare dicuntur cum eximia Dei opera inferioribus manifestant. Supernaturalia enim Dei eloquia, & gratiæ mysteria luces quædam sunt, quibus illuminamur, quare Dauid Psal. 118. lucerna inquit, pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis; & Dauidis filius Salomon Prouerb. c. 6. mandatum Dei lucerna est, & lex lux; ideoque per Esaiam dicitur c. 9. quod ambulantibus in regione vmbræ mortis lux apparuit, lux scilicet fidei de qua etiam Petrus. 2. Pet. 1. dicebat donec illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus uestris. Qui ergo fidei mysteria nescientibus manifestant dicuntur illuminare S. Paulus Ephes. 3. mihi omnium nouissimo data est gratia illuminare omnes; quæ sit dispositio &c. & Eccles. 24. dicitur penetrabo inferiores partes terræ, & illuminabo omnes sperantes in te; Luc. 1. illuminare iis, qui in tenebris &c. Luc. 11. sicut lucerna fulgoris illuminabit te; Heb. 6. impossibile est eos, qui semel illuminati, &c. Apoc. 21. claritas Dei illuminabit illam, & Psalm. 118. dicitur illumina oculos meos, ne unquam obdormiam, quia ueritas quidem omnis lux est intellectus, præcipuè supernaturalis de qua Ephes. 5. dicitur. Omne quod manifestatur lumen est, atque ut exemplis quid illuminatio sit manifestem, extat luculentissimum exemplum Esa. cap. 65.

Supernaturalia luces quędā sunt.

Illuminare quid sit.

cap.65. Quis est iste, qui uenit de Edon &c. alii respondent ostendentes esse Christum, & Psal.24. Quis est iste rex gloriæ, respondetur ab aliis dominus uirtutum, Ezech.9. per signum Tau significatur, quinā sint saluandi. Dan.8. Angelus præcipit Gabrieli, ut Danieli manifestet, quid sit futurum de Hierusalem, Apocalip.5. Angelus præcipiens nolite nocere terræ, mari, neq; arborib. &c. illuminat alios, plura exempla ex Apoc. libro possent afferri. Hinc Christus, & Apostoli dicuntur lux mundi, quatenus mundum de supernaturalibus erudiunt.

D. Aug. lib. de uera innocentia cap.27. nemo est tam eruditus, tam doctus, qui superna illustratione non egeat, lib. Soliloquiorum cap.34. Gratias ago Domine, qui dignatus es per tuam misericordiam illuminare me, lumen uerum, lumen sanctum, lumen admirabile, lumen semper laudabile, & hom.4. super Ioan. epistolam dicit, est illuminatio per fidem; est illuminatio per spem, & in Psal.118. nulla inquit creatura, quamuis rationalis, & intellectualis, a seipsa illuminatur; sed participatione supernæ ueritatis accenditur, & lib.4. de Trinit. cap.2. illuminatio nostra participatio uerbi Dei est.

Christus, & Apost. quare sunt lux mundi.

Ex quibus colligitur, quod illuminatio est reuelatio uoluntatis Dei, uel supernaturalis ueritatis per superiores Angelos inferioribus Angelis, uel hominibus facta, uel de mysteriis gratiæ, uel de iis, quæ ad optimam uniuersi gubernationem spectant. Ex quibus colligūtur duo corolaria, primum quod inter malos Angelos non est illuminatio, secundum quod post mundi finem cessabit hæc illuminatio.

Illuminatio in malis Angelis nō est. In fine mundi cessabit illuminatio Angelorū.

DISPVTATIO IX.

Quomodo fiat illuminatio.

Difficilem huius difficultatis solutionem, non solum opinionū inter Doctores diuersitas reddidit, quot enim ferè sunt capita, tot, & sententiæ, sed et uarius ipsorum loquendi modus, Nonnulli. n. illuminationem cum locutione confundunt, Alij uero illuminationem a locutione distinguentes, uix explicant, quid nam sit horum utrumque. Alij uero in illuminationis modo explicando mirum in modum inter se discrepant.

Henricus quodlib.5. q.15. art.1. quatuor modis dicit posse illuminationem intelligi.

Primo infundendo lumen physice, ut Sol terram illuminat.

Secundo luminosum deferendo, ut qui candelam applicat.

Tertio auferendo obstaculum, uerbi gratia aperiendo fenestram.

Quarto

Quarto aliquid faciendo;ad quod sequitur lumen,illuminatio, verbi gratia,si medicus oculum sanet, ad quam sanationem sequitur illuminatio.Hic omnibus modis dicit effici illuminationem in Angelis, sed præcipuè quarto modo, sed uix explicat quomodo hæc explicari possint in Angelis.

Secunda sententia est Marsil. 2.q.7. dicit hanc illuminationem fieri, quia superior Angelus excitat inferiorem, & in intellectu illius dispositionem quandam ponit, per quam aliquid de nouo uideat in Verbo.

Tertia sententia est Dur. qui potius hanc illuminationem hierarchiam tollit quam explicat,dum dicit Angelos illuminari immediate tantum à Deo,dici tamen illuminari a superioribus Angelis, quia Deus illuminando, quendam ordinem sequitur dignitatis ipsorum Angelorum.

Quarta sententia est aliorum,qui dicunt illuminari tantum per modum obiecti quatenus, scilicet obiectum aliquod locutio ne & per signa,nutus, & figuras exterius manifestantur,ut Molina, Pelbartus, Ochan.

Quinta sententia est. Scoti 2. distin. 9.quæst.2.quæ planior est, dicit illuminationē nihil aliud esse, nisi quod superior causet in intellectu inferioris notitiam de aliquo uero reuelato, explicatque quomodo hæc illuminatio a locutione differat, ut nos infra. Dum autem dicit superiorem causare in intellectu inferioris notitiam, non est sensus, quod ipse effectiue producat; sed quod ita explicet rem, quam proponit, ut uere inferior Angelus assentiatur.

Vltima sententia est D. Tho. dicit fieri illuminationem primo ex eo, quod superior Angelus diuidit notitiam suam in plures cōceptus, ut proportionatā efficiat intellectui inferioris, secundo ex hoc quod superior confortat lumen intellectus inferioris Angeli.Quæ duo dicta communiter ab aliis impugnantur. Thomistæ uero ut illa defendant uariis rationibus explicant.

Primum dictum communiter ab iis impugnatur, qui negant. Angelos superiores per uniuersaliores species intelligere.

Primò, Quia fundamentum est falsum,quod Angeli superiores,intelligant per uniuersaliores species.

Secundò,quia hæc conceptus diuisio,uix potest intelligi & explicari. Vel enim res ipsa diuiditur,uel non res ipsa,sed conceptus superioris diuiditur & infunditur in intellectu inferioris, uel quod diuidat superior conceptus inferioris, uel quod superior quadam periphrasi, & circumlocutione enunciet inferiori; id quod breuibus posset explicare; sed nullum horum potest dici, ergo, probatur minor,primum dici non potest, quia intellectus non mutat res.

Secundum est omnino impossibile, quia conceptus Angeli est ipsa operatio intellectus illius, quæ cum sit actio immanens necessario

cessario debet esse in eo intellectu, à quo elicitur; præterea quia illa intellectio est accidens, accidens autem non migrat de subiecto in subiectum.

Tertium non est admittendum, quia superior non debet, nec potest immutare, neque uariare naturalem modum intelligendi inferioris.

Quartum esset omnino ridiculum, quod huiusmodi circunlocutio fiat, neque poterit umquam huic assentiri ille, qui nouerit, quomodo locutio fiat in Angelis, locutio enim nihil aliud est, quã manifestatio suæ intellectionis, hæc autem nulla periphrasi, uel circunlocutione fieri potest.

Secundum Dictum est etiam in intelligibile, ideoque Capr. & Dur. illud uehementer impugnant.

Primò, Quia hæc confortatio, vel fit, quòd Angelus superior producat aliquod lumen in inferiori intellectu, at hoc esse non potest, quia uel infunderet lumen proprium, uel alienum, non proprium, quia ipse spoliaret se aliqua parte luminis naturalis; qđ est impossibile: non alienum, quia deberet illud creare. Præterea sequitur, qđ facta illuminatione, Angelus perspicacioris esset intellectus, quia haberet maius lumen, quia illi esset facta accessio per noui luminis infusionem.

Secūdò, Nihil potest intendi, nisi per additionem sui similis, ut patet ex Phisycis, si ergo uerũ sit fundamentum D. Tho. quod quilibet Angelus specie distinguatur ab alio Angelo, etiam lumen intellectus specie distinguetur, quõ ergo confortari poterit?

Tertio, Angelus superior nihil operari potest in intellectu alterius, ergo nõ potest illum confortare. antecedens probatur, quia uel producit speciem de nouo; & hoc non, quia species ab initio sunt congenitę, uel producit lumen & hoc non, quia Angeli sunt Sicut corpora cęlestia habentia omnem possibilem perfectionem ab initio, uel producit intellectionẽ & hoc non, qa intellectio, est actio uitalis, nec potest produci, nisi ab eo qui intelligit, nec potest produci uerbum, quia uerbũ est terminus intrinsecus intellectionis. Nec potest illabi menti, quia hoc est Dei proprium, ergo à sufficienti partium enumeratione concluditur hanc confortationẽ esse merum figmentum.

Prima conclusio. illuminatio non fit per hoc tantum, quod excitetur intellectus Angeli ad aliquid de nouo uidendum in verbo, quia sequitur qđ Angeli proficerent in uisione Dei, neque ẽt potest intelligi, quę nam dispositio infundatur Angelo ad aliquid de nouo uidendum in verbo, nisi aliquod lumen gloriæ; Angelus autem non producit lumen gloriæ.

Secunda cõclusio illuminatio non fit per infusionem luminis, neque per communicationem intellectionis, ita ut superior suam numero intellectionẽ infundat, & communicet alteri Angelo; hanc conclus. aperte probant argumenta facta cõtra sñiam D. Th.

Superior Angelus cõceptus diuidit iferiori.

Tertia conclusio in illuminatione superior Angelus inferiori diuidit in plures conceptus, quæ ipse paucioribus intelligit, pro ut docuit D.Thom. hæc conclusio probatur.

Defenditur sententia S. Thom.

Primò, Quia dis.3.disp.14. Ostendi Angelos superiores per uniuersaliores species intelligere, & quo perfectiores sunt, eo posse paucioribus actibus plura cognoscere.

Secundò, Quia ut dixi præcedenti dubitatione illuminatio est reuelatio rerum, quæ à Dei throno procedunt; hæ autem ueritates in ipso Deo sub una simplicissima ratione continentur, in creaturis autem diuiduntur.

Tertiò, Est apertissima sententia Dionysij de cœlesti hierarchia cap.15. dicit unaquæque substantia intellectualis datam sibi à diuiniore uniformem intelligentiam, propria uirtute diuidit, & multiplicat ad inferiores sursum ductricem analogiam.

Quartò, Quia hoc expresse patet cum Angeli illuminant homines, ita cum ipsis colloquuntur, ut omnino sese accomodent captui humano, ut uere cum ipsis ratiocinari, & familiaritate quadam colloqui uideantur, ita patet in collocutione illa amplissima Gabrielis Archangeli ad B.Virg. in collocutione Raphaelis ad Tobiam, & Angeli ad Ioseph. ad Danielem, &c.

Sacra script. cur tropis vtitur.

Quintò, Quia scriptura sacra est illa, qua omnes illuminamur, hæc autem metaphoris, circumlocutionibus, ac tropis utitur, ut Dei opera nos doceat. Deo manus, oculos, nares, pedes, iram, indignationem uindictam, dolorem, delectationẽ tribuit; pro ut communiter Sancti Patres docent corporis tectam uelaminibus nobis cœlestem ueritatem ostendi.

Sextò, Quia Angelus illuminans inferiorem gerit præceptoris uices, præceptor autem, & pedagogus doctrinam, quam ipse unico conceptu intelligit, pluribus uerbis, notis, signis, characteribusque, exprimit, & doctrinam ueluti emasticatum bolum discipulo transgluttiendum off. rt. bene S. Paulus huius vt opinor doctrinę fons, & origo. is.n. S.Dionys. docuit, corinthijs suis. 1.Cor. 3. dicebat. Et ego fratres nõ potui uobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, & tamquam paruulis in Christo lac uobis potum dedi, non escam, non.n. intelligere poteratis, & Heb.5. Etenim cum debueritis esse magistri, propter tempus, rursus indigetis, ut uos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo: omnis.n. qui lactis est particeps paruulorum est, & expers sermonis iustitiæ, & rursus filioli mei quos iterum parturio, &c. ideo prudentissime cathechismus initio instituit parochos, ut maxime cum sobrietate mysteria Christi fidelibus proferant, & sub lactis, & paruulorum metaphora fideles pie erudiant, abstinentes initio ab altioribus mysterijs, sed à facilioribus inchoantes, ne tradant sanctum canibus, &c.

Quod præceptoris munus sit.

Quid præstare debeant Parochi in edocẽdo populo.

Vltimo ex communi modo loquendi, si.n. in arduo aliquo nego-

gocio

gocio aliquis quædam paulo occultiora aperiat, respondet alter maximam mihi lucem attulisti.

Quarta conclusio superior Angelus illuminans inferiorem confortat intellectum illius. Hæc conclusio si recte intelligatur est uerissima.

Sciendum est igitur hanc confortationem non esse realē quandam confirmationem, uel medicationem intellectus Angelici, neque esse accretionem, uel infusionem maioris luminis intellectualis, sed metaphorice dicitur cōfortatio, quatenus intellectus inferioris Angeli à superiore iuuatur, ut possit percipere, quæ sibi reuelantur, dum superior Angelus docilem reddit inferiorem, & hoc ipso, quod doctrinam suam multipliciter diuidit & proportionatam illi, scio statim dicturos aliquos. At hoc uere non est cōfortare. Respon. in proprietate sermonis uere non est, sed neque proprijssime illuminare est, illuminatio.n. proprissime est, quæ solis, uel ignis luce fit. Tamen in communi modo loquendi dicitur doctor diligens, & facilis iuuare, confirmare stabilire intellectū discipuli. E contra doctor inordinatus confusus, lingua præceps, dicitur intellectum audientium obruere obnubilare, confundere. Christus Dominus dum aperuit sensum discipulis, ut intelligerēt scripturas, tunc confortauit illorum intellectum: cum.n. quis alteri ordinate, & distincte, & cum euidentia quadam explicat doctrinam suam facit, ut intellectus auditorum, qui quodamodo hæsitabat, tandem colligat sese ac uires quasdam recipiat ad assentiendum.

Quomodo superior Angelus inferiorem illuminando confortet.

Explicemus tandem rem totam exemplis. sanctissimus Gabriel integerrimā Virginem mox futuram Christi matrem alloquitur dicens, concipies in utero, & paries filium, Beatissima Virgo credit quidem, sed tamen expauescit dicens, quomodo fiet istud, tūc Angelus confortat ipsam ad firmius credendum dicens, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. qua responsione firmata magis dicit: Ecce Ancilla Domini. Rursus Zachariam Angelus alloquitur quod filium habebit in senectute, Zacharias incredulus manet; tunc Angelus Zachariam locutione priuat ipsa priuatione uel linguæ infirmatione corroborat ac confortat. Adest optimum exemplum licet ad illuminationem non spectat satis tamen aptū ad confortandum alios. Absalon. 2. Reg. 13. præcipit militibus, ut occidant Ammon, illi timent manum mittere in filium Regis. Tunc Absalon, nolite timere ego sum, qui præcipio uobis, ecce quomodo confortantur milites absque eo, quod phisice producatur uirtus aliqua, uel fortitudo in inferioribus. Ex iis optime soluuntur argumenta.

Gabriel Angelus B. V. confortauit.

Ad primum cont. primum dictum negatur antecedens.

Ad secundum Respondeo hoc ipso quod id, quod superior Angelus unica intellectione cognscit explicat inferiori, secundum proprietatem specierum, quibus intelligit dicitur partiri & diui-

dere conceptum non ipſam animi operationem, ſed rem conceptam per animi operationem.

Ad Argumenta cont. ſecundum dictum patet ex dictis.

DISPVTATIO X.

Quid ſit locutio Angelica, & quomodo diſtinguitur ab illuminatione.



Vrioſior quæſtio uidetur, ſed non inutilis eſt, Audi D. Auguſtinum quid in Enchiridione cap. 59. dicat, cum enim enumeraſſet multa, quæ circa Angelorum locutionem & apparitionem ſpectāt dicit cum iſta quæruntur, & ea ſicut poteſt quiſque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata; & abſit error opinantium ſe ſcire quod neſciunt.

Optima regula de rebus diſſerendi.

Conſtat igitur ex ſcripturis locutionem eſſe in Angelis Gen. 16. dixitque ei Angelus Domini. Iudicum 2. cumque loqueretur. Angelus. Zachar. 1. & 2. loquuntur ad inuicem duo Angeli. Eſ. 6. Seraphim clamabant, alter ad alterum pſal. 23. Eſ. 57. Zachariæ ſecundo inferiores Angeli interrogant ſuperiores; & ſuperiores reſpondent. Iudæ Epiſtola, Michael diſputat cum diabolo de Moiſi corpore & Apoc. ſæpiſſime unus Angelus aliis loquitur, dicebat etiam Apoſtolus 1. Cor. 11. ſi linguis hominum loquar & Angelorum.

Adeſt etiam optima ratio quare debeat eſſe locutio in Angelis eſt enim excellentiſſima reſp. quibus incumbit gubernare uniuerſum, ideoque ſecum ipſi debent inire conſilia, Non poſſunt autem uidere cogitationes, nec ſecreta cordium, aliis inuitis, debent ergo illa manifeſtare inter ſe, quæ manifeſtatio locutio dicitur. Ita etiam loqui debent Deo, quem benedicunt. loqui etiam debent hominibus, quos erudiunt. Hæc autem Angelorum locutio nihil eſt aliud, quā mentis ſuæ manifeſtatio, ſeu rerum, pro ut ipſi eas concipiunt declaratio, loquor enim hic de uera locutione, nam interdum in malis Angelis eſt mendacium, quod eſt declaratio rei aliter, quam habeant in corde.

Locutio Angelorum quid ſit.

Differt locutio ab illuminatione.

Differentia locutionis ab illuminatione.

Primò, Quia illuminatio eſt de rebus quæ a Deo reuelantur, locutio uero de quibuſcumque rebus eſſe poteſt.

Secundò, Quia locutio latius patet, quam illuminatio, omnis enim illuminatio eſt locutio; ſed non omnis locutio eſt illuminatio.

Tertiò illuminatio ſemper fit a ſuperioribus, locutio uero eſt inter equales, imo inferior alloqui poteſt ſuperiorem, non autem illuminare, ſuperior uero alloquitur & illuminat inferiorē.

Quar-

Quartò, illuminatio eſt tantum in bonis Angelis, at locutio eſt etiam in dæmonibus.

Quintò, illuminatio durabit tantum uſque ad finem mundi, locutio autem etiam poſt finem mundi.

Sextò, illuminatio ſemper uera eſt, locutio uero falſa eſſe poteſt. Quare ſi Sathanas ſe transfiguraret in Angelum lucis, quaſi uelit illuminare, cum re uera mactare potius uelit, illa falſa locutio dicetur non autem illuminatio.

Septimò, cum illuminatione coniuncta eſt confortatio, & conceptuum partitio, locutio ſine iſtis eſſe poteſt.

Octauò, locutio poteſt eſſe inter bonos, & bonos Angelos; inter malos & malos; & inter bonos & malos; & e contra, at illuminatio poteſt eſſe tantum inter bonos inter ſe; non autem uel inter malos inter ſe ſe, uel inter bonos cum malis uiciſſim. Quamuis interdum beati dæmones illuminent, cum boni Angeli, malorum opera uti uolunt ad aliquos puniendos.

DISPVTATIO XI.

Quomodo loquantur Angeli inter ſe.



Ifficilis plane quæſtio. cum enim difficile ualde ſit diuerſarum linguarum, quibus homines utuntur idiomata callere multo tamen difficilius eſt ignotas Angelorum linguas & uerba uocis ſono carentia intelligere, ac perſcrutari, Atque hac de cauſa more ſuo inter ſe ſe diſcrepant doctores. Linguæ Angelorum difficile explicantur.

Prima ſententia eſt Henrici Gandanen. quodlib. 5. quæſtione. 15. articulo ſecundo, dicit Angelum cognoſcentem aliquod ſingulare determinatum, non poſſe determinatum ſuum conceptum alteri manifeſtare; ſed tantum per aliquem conceptum uniuerſalé, uel ſaltem, per modum indiuidui uagi alteri manifeſtare; ſed hæc ſententia magna ex parte labefactat locutionem Angelorum, & præterea non explicat, quo uniuerſaliore modo alteri manifeſtet.

Secunda ſententia eſt Scoti, qui dicit Angelum cauſare in intellectu alterius Angeli conceptum ſuum, ita ut uideatur etiam uelle intellectum Angeli, in quo cauſatur hic conceptus habere ſe mere paſſiue. Et hæc ſententia optime refutatur, quia non poteſt intelligi, quo unus intellectus cognoſcat formaliter, per cóceptũ non ſuum, nec formaliter a ſe elicitum, ſecũdo quia ille cóceptus eſt accidens, quod non poteſt trãſmigrare de ſubiecto in ſubiectũ, tertio quia cognitio eſt actio uitalis, poſtulatq; intrinſece produci ab eo, qui intelligit, quartò quia licet intellectus in nobis patiatur ab obiecto, tamen intellectus Angeli intelligens per concreatas ſpe-

species non patitur ab obiecto, & licet pateretur tamen necessario concedendum esset, quod dum intelligit etiam agit; quia si Aristoteles lib. de sensu & sensili cap. 2. dicit quod sensus sicut patitur sic & agit aliquid, a fortiori intellectus agit.

Tertia sententia est eorum omnium, quos citauimus in distinctione tertia cum de cogitationibus cordium ageremus, qui dicebant Angelos posse naturaliter cognoscere secreta cordium, de facto tñ non cognoscere, quia Deus impediebat. Hi consequenter dicunt, quod dum ipsi uolunt indicare, Deus amplius non impedit, nec subtrahit concursum suum, & hac ratione pro eo tempore tantum, quo uult Angelus reuelare, alius cognoscit, sed hoc fundamentum fuit a nobis supra confutatum.

Quarta sententia est D. Bonauen. qui dicit per hoc Angelum alteri loqui, quatenus speciem suam, per quam intelligit extendit, & quodammodo mutuam dat alteri Angelo. Ioan. Gerson lib. 6. summæ dicit ostendendo suas species; sed difficile est cognitu, quomodo Angelus intelligat per speciem non suam.

Quinta sententia celebrior est Greg. dist. 11. q. 2. quem sequitur Marsil. Dut. dist. 11. quæst. 2. Hanc probabilem censet Franciscus Zumel in 1. par. D. Tho. quæst. 57. art. 4. quęst. 3. quamuis in q. 107. D. Thom. quęst. 1. sua probabiliorem iudicet sententiam Alensis, & Riccar. quod fiat, per impressionem speciei. Pelbartus. 2 parte, Rosarij uerbo Angeli, nono. §. 102. Molina quæst. 106. art. 1. disp. unica dicunt Angelos loqui quibusdã signis notis, nutibus characteribus; quæ alij dicunt in cœlo describi, ut Duran. Io. Gerson vbi supra dicit faciendo aliquid unde intelligant, alij uolunt esse sensibilia; sed ut plurimum ponunt spiritualia, Videtur esse diui Ansel. in id 1. Cor. 13. Habent inquit, & Angeli suas linguas, quibus maiores insinuant minoribus; quod de Dei uoluntate senserunt, linguæ enim quibus alij aliis loquuntur intelliguntur aliqui nutus, uel interiores nutus, per quos intimant sibi uicissim, quod uoluerint. Fundamentum præcipuum est. Primo quia non apparet modus melior. Secundo quia modus D. Tho. defendi non potest, quod scilicet communicent suum conceptum alteri, uel ordinent eum ad alium, quia hac ratione sequeretur Angelum non posse alteri mentiri, cum tamen diabolus mentiatur, ut patet in epistola Iudę, altercabatur enim diabolus cũ Michaele de Moysi corpore, quare dixit Michael imperet tibi Deus.

Sexta sententia est D. Thom. 2. dist. 11. quæst. 2. artic. 3. & 1. parte, quæst. 107. art. 1. de Verit. quæst. 9. art. 4. & 5 primo cont. gent. c. 13. dicit locutionem fieri quatenus Angelus manifestat alteri conceptum suæ mentis, potest autem vni manifestare absque eo quod alteri manifestet, quia subest ipsius uoluntati, quæ sententia est omnium planissima, & uerissima.

Angeli per nutus nõ loquuntur.

Prima conclusio Angelorum locutio non fit per nutus, & signa. Et quidem non contendo nullam locutionem fieri per nutus,

tus, & signa quia Exod. cap.12. & Ezech.capit.9. per signum Tau scriptum fortasse locuti sunt, & Apoc.7 signaculum in frontibus seruorum Dei aliqua fortasse locutio fuit, qua iudicaretur, qui nã essent feriendi, qui nam uero saluandi, sed communiter non fieri per signa.

Primò, quia adhuc deberent ij Doctores qualia sint hæc signa manifestare, & quomodo hæc signa possint infallibiliter ducere Angelos, ut determinate cognoscant mentem alioqui occultam.

Secundò, quia ponerent necessario discursum, quia ex signo inferrent mentẽ. Dices in signo relucet ipsa mens, Contra igitur non est signum, nam signum est, quod præter speciem, quam ingerit, in alterius cognitionem ducit. Cum igitur Angeli secreta sint ignota; signum est euidens, & ex notitia signi causatur notitia cordis, sine dubio erit per discursum.

Secunda conclusio, locutio fit per solam manifestationem suæ mentis. Probatur. *Angelorũ locutio est, per solã cogitationis manifestationem.*

Primò, auctoritate S.Greg. lib.2. moral. cap.4. Secundum alios. 5.6.& 7. quæ tria capita hic aduerbum essent describenda, in hoc tamen stat eius doctrina, quod Deus ad Angelos sanctos loquitur eo ipso quod eorum cordibus, occulta sua inuisibilia ostendit, & licet aliis uerbis locutiones Angelorum ad Deum describat, omnes tamen in hoc stant, qđ reueletur, quid occultum. Et quia Deo nihil occultum, quod admirando laudet Dei Sapientia, & lib.38. moral. cap. 2. duobus, inquit modis locutio diuina distinguitur. Aut enim per semetipsum Dominus loquit, aut per creaturam Angelicam eius ad nos uerba formantur, cum per semetipsum loquitur sola nobis uis internæ inspirationis aperitur, de uerbo eius sine uerbis, & sillabis, cor docetur. infra plures alios loquendi modos explicat, quos ibi legito.

Chrisost. hom.32. in id 1.Cor.13. si linguis hominum loquar, & Angelorum linguam, inquit Angelorum dicit, non quod spiritibus corpus affingat, sed si ea loquar, qua utuntur inter se ipsi linguam non carneum instrumentum, sed beata spirituum inter se colloquia nominauit. Quæ uerba accipientes Theodoretus Gennadius, & Ioannes Heutennius in communi explicatione in illam epistolam explicarunt hac ratione. Habent inquit, & Angeli quandam significationem, qua uicissim colloquuntur, siue conceptum significant. Theophilactus in illum locum Pauli hic. Non quod Angeli, inquit linguas habeant, sed ut quiddam quod humanis linguis excellentius esset indicaret. Angelis porro spiritalis lingua est, uis nimirum illa, qua sibi mutuo diuinarum rerum intellectum, ac diuinas cogitationes impertiuntur. Ambros. ibidem magna utique uidetur gratia diuersis loqui linguis, plus autem aliquid est etiam si possit Angelorum linguam scire, idest spiritualiter cognitum habere Angelicum motum. *Angelorũ lingua quid sit.*

Secundò, quia ut diximus. dist.3. disput.16. Angeli secreta cordium

dium cognoſcere nequeunt naturaliter. Cum autem hominibus ad ſit hæc uirtus, quia non ſolum nutibus, ſed uoce ſua ſenſa aliis patefaciant, ergo excellentiori modo Angelus, Angelo patefacere poterit cor ſuum.

Quid & quō loquantur Angeli.

Tertiò, Deus loquens Angelis non loquitur per nutus, nec ſigna, ſed uoluntate ſua, prout in ſe ipſa eſt patefacit, ergo & Angeli Antecedens probatur, tum ex locis D.Greg. ſupra citatis, tum ex D.Aug. lib. 13. confeſſ. cap. 15. dicit Angeli uident faciem tuam, & ibi legunt, ſine ſillabis temporum, quid uelit æterna uoluntas tua; Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum, quia tu ipſe illis hoc es. Hinc collige quod unus Angelus, poteſt cordium ſecreta uni manifeſtare, non manifeſtando alteri, ſi enim hoc poteſt homo, & eſt perfectio in homine, multo magis debet poni in Angelis.

Angelus poteſt uni cordis ſui ſecreta aperire, nō aperiendo alteri.

Ad argumenta, Primæ ſententiæ. Ad diuum Anſelmum, Reſpondeo eum nutus metaphoricè accepiſſe, pro manifeſtatione conceptuum, non autem pro ſignis propriè dictis.

Ad ſecundum, Reſpondeo nego. Antecedens.

Quō mentiatur diabolus.

Ad tertium, Reſpondeo diabolum quando mentitur, habere in ſe duplicem conceptum alterum uerum, quem reuelare nō uult, alterum falſum quem prius format in ſe, deinde alteri manifeſtat.

DISPVTATIO XII.

Quomodo Angelus alloquatur Deum.



Eſpondeo tripliciter poteſt Angelus Deum alloqui, primo pure mentaliter, ideſt intra ſe, in arcano cordis ſui. Hic modus ſatis patet, tum ex communi conſenſu omnium doctorum; tum etiam quia ſi Angelus poteſt habere in ſe occultas cogitationes, & cordium ſecreta in ordine ad Angelos, cur non etiam in ordine ad Deum, cui omnis uoluntas loquitur?

Secundò, Deum alloquitur benedicendo himnoſque nouos decantando, ita duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, &c. & Apoc. 5. cantant Canticum nouum, & adhoc ſæpius.

Tertiò, manifeſtando Deo cogitationes, & deſideria ipſorum, non quidem pro ſe ipſis, ſed pro nobis. Neque tamen ita Deo manifeſtando quaſi ipſi ſint occulta, ſed quia Deus licet etiam indigentias hominum cognoſcat, tamen vult, ut a nobis, ita etiam ab Angelis pro nobis exorari.

DI-

DISPVTATIO XIII.

Quomodo Angeli homines alloquantur.


Espondeo quinque modis, primo per uoces ſenſibiles, quas in aſſumptis corporibus emittunt, nō quidem per organa uocis efformando uoces, ſicut nos, ſed in aere ſonum efformando.

Secundò, ſenſibiles uoces in aere efformando etiā abſque corporum aſſumptione, ſicut Angelus loquens Balaam, ex ore aſinę, ſi enim poſſunt cū aſſumpto corpore in aere ſonum efficere igitur etiam ſine corpore.

Tertiò, per ſomnia, ut Angelus apparens Ioſeph.

Quartò, mouendo phantaſmata.

Quintò, per ſigna ſenſibilia quæ efficiunt ſicuti refert quidam Doctor de quodam habente Angelum bonum, qui quoties aliquod malum efficere cogitabat toties Angelus eum pungebat, ut ab incepto deſiſteret. Et quoniam hęc faciliora ſunt, ideo breuibus me expedio.

DISPVTATIO XIIII.

Vtrum loci diſtantia impediat locutionem Angelorum inter ſe.


Iuus Thom. 1. par. quæſt. 107. art. 4. negat, & dicit Angelum poſſe alterum alloqui in quantacunque diſtantia, Hanc limitat Franciſcus Zumel in illum locum D. Thom. quæſt. 2. difficultate ſecunda ad quantamcunque diſtantiam, modo ſit intra uniuerſum fundamentū eſt, quia intellectio abſtrahit ab hic, & nunc; nec requiritur obiectum præſens. Secundò, quia Diues poſitus in inferno, alloquebatur Abrahamum, in cœlo exiſtentem. Tertiò, quia uirtus intellectiua Angelorum, eſt excellentiſſima.

Econtra Scotus hic, & Ioan. Gerſon lib. 6. ſummæ dicit Angelus hic non intelligit quæ in Britania, dicit requiri debitam diſtantiam. Quia enim uirtus intellectiua Angeli eſt finita, ideo debet habere quandam ſphæram actiuitatis, intra quam poteſt agere, ultra quam non poteſt pertingere. Vt ergo poſſit Angelus cognoſcere debet obiectum cognoſcibile eſſe intra ſpheram actiuitatis. Reſponderent Thomiſtæ hoc eſſe proprium intellectus, ut poſſit rem, quam maximè diſtantem intelligere, ita nos Bononiæ manentes de rebus, quę apud Gallos, Hiſpanos Hungaroſq; ſiunt cogitamus, & illas cognoſcimus. Sed contra intellectus enim tam Angelicus quam humanus, duplicem habet cognitionem alteram intuitiuam; alteram abſtractiuam; Abſtractiua concedendum eſt, poſſe rem etiam maximè diſtantem cognoſcere, at intuitiua debet habere in ea ſphæra actiuitatis, qua intellectus uide- Angeli non in quantacunque diſtantia loci poſſunt res intuitiuè cognoſcere.

uidere potest res præsentes, & tanta distantia necessaria est, ut res dicatur præsens; Cognitio autem quam manifestat Angelus loquendo, non est quælibet cognitio, sed est cognitio huius determinati Angeli, de hoc determinato obiecto, & ut sic debet uidere, & cognoscere Angelus.

Cur dæmones quædã diuinare uideantur.

Secundò, quia Zach. 2. Angelus, ut alloqueretur alium Angelum, dicitur accessisse.

Sanctus Bernardus serm. 5. in Cant. dicit, super cœlestis spiritus absque adiutorio corporis, & absque intuitu horum, quæ per corpus sentiuntur sola profecto suæ uicinitate, ac uiuacitate naturæ sufficit apprehendere summa, atque intima penetrare, Ecce uicinitatem requirit.

Sanctus August. lib. 12. de Gen. ad litteram cap. 17. rationẽ reddit cur dæmones quædam diuinare uideantur, quia præditi sunt motu uelocissimo; ideo accedunt ad remotissimas regiones, & uident quę ibi fiunt, & ad nos reuertentes nunciant; ideo diuinare uidentur, & lib. de diuinatione dęmonum cap. 3. dæmonum ait ea natura est, ut aerei corporis sensu terrenorum corporum sensum facile præcedant celeritate etiam propter eiusdem aerei corporis superiorem nobilitatem, non solum cursus quorumlibet hominum; uel ferarum, uerum etiam uolatus auium incomparabiliter uincant; quibus duabus rebus præditi, multo ante cognita pręnunciant, uel potius nunciant, quæ homines pro tarditate sensus mirentur.

Tertiò, Sathan ut patet ex supradictis tempore passionis Christi, ut posset deprehendere, an aliqua in ipso esset maçula dicitur stetisse a dextris eius.

Quartò, Quia Angeli sunt præditi motu uelocissimo inter alias causas, hanc etiam puto esse connumerandam, ut intuitiue res uidere possint. Quare hæc Scoti sententia uidetur mihi probabilior. Qđ non in quantacunq; distantia res cognoscere possint.

Ad argumenta D.Tho. ad primum. Respondeo abstractiuam cognitionem abstrahere ab hic, & nunc, at intuitiuam requirere determinatas circunstantias, in quibus res sunt.

Quæ de Epulone dicuntur historice, non per parabolam dicuntur.

Ad secundum Respon. Christus Dominus Luc. 16. refert historiam illam, non ut parabolam, sicut quidam putarunt, sed ut historiam, quę uere elapsis temporibus acciderat. Tunc autem quia adhuc Christus passus non erat animæ sanctorum non ascenderãt in Cœlos, sed in Lymbo detinebant, qui lymbus erat in terræ uisceribus; Ideo ad illas liberãdas dicitur Christus ad inferos descendisse. Cum autem esset in terræ uisceribus, non erat tanta inter ipsos distãtia, quanta prima facie apparet. Vt interim omittam, posse etiam probabiliter dici ad instructionem nostram factum esse, ut diues miraculose uideret Lazarum, quem forte communiter uidere non poterat, sicuti D. Greg. sæpius in lib. Dialogor. plures uisiones miraculosas refert ad eruditionem nostram factas.

Lymbus ubi sit.

HOC



HOC INVESTIGANDVM EST.

DISTINCTIO X.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Vm supra Magister egisset de Angelorum distinctione, & coordinatione in varios ordines, & hierarchias. Hic agit, de Angelorum missione vnicam tractans quæstionem. An omnes Angeli mittantur.

Respondet quibusdam visum esse Angelos omnes non mitti, propter auctoritates Dionysij, qui dicit superiora agmina, ab intimis numquam recedunt. Dan. 7. dicitur: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.

Tamen concludit etiam eos, qui ex suprema hierarchia sunt, & etiam ex supremo ordine interdum, sed rarius, mitti, quod probat, quia Esa. 3. dicitur: Volauit ad me

vnus de Seraphim, qui tamen sunt ex ordine supremo. Et omnes sunt administratorij spiritus.

Ad auctoritates Respondet illa agmina suprema rarius mitti; inde factum esse, vt Angeli nuncij nomen retinerent, quia frequentissime, imò quasi ex officio mittuntur.

DISPVTATIO I.

De missione Angelorum.

Angelis tū à Deo tum ab aliis Angelis superiorib' mitti.



Ertum est ex sacris litteris Angelos interdum a Deo; interdum etiam ab alijs Angelis superioribus mitti solere. Genes. 24. Ipse mittet Angelum suum. Exodi 2. Ego mittam Angelum meum. Num. 20. Quod miserit Angelum suum. 1. Paralipom. 21. 2. Paralip. 32. Tobiæ 3. Missus est Angelus Domini. Prouerb. 17. Angelus crudelis mittetur. Dan. 3. & 6. 2. Mach. cap. 15. Lucæ 1. Zachariæ 2. & Dan. 8. Apo. 7. & 18. Heb. 1. Omnes sunt administratorij spiritus.

DISPVTATIO II.

Vtrum ex omni ordine & Hierarchia mittantur Angeli.



Onueniunt omnes Theologi communiter Angelos mitti tantum, ex quinque ordinibus inferioribus, ex quatuor uero superioribus non ita frequenter mitti. Sed controuersia est. Vtrum saltem aliquando ex illis ordinibus aliqui mittantur.

Prima sententia est dicentium. Numquam mitti Angelos ex suprema hierarchia. ita D. Tho. in hac d. art. 1. 2. & 3. & p. p. q. 112. artcu. 1. 2. 3. & 4. Bon. Ricc. Alb. Egidius, Caietanus, Capreol. Ioā. Gersonlib. 6. summæ. Francisc. Zumel in commen. D. Thom. ubi supra.

Primò, Ex D. Dionysio qui dicit suprema agmina ab intimis nun-

nunquam recedere, Daniel 7. Millia millium ministrabant, & decies centena millia assistebant ei, nec possunt hæc loca glossari ea ratione qua Magister dicit ab aliis glossari, scilicet quod non ita frequenter, nam D. Diony. cap. 13. Cœlestis hierarchię hanc explicationem reijcit, & ostendit Seraphim illum qui missus fuit Esaiæ 6. non fuisse uere, sed equiuoce Seraphim, quatenus scilicet fungebatur ministerio Seraphim incendendo, ita etiam habet D. Gregorius hom. 24. in Euangelia, & Nicolaus de Lyra in illud Esaiæ 6.

Secundò, Probatur ex fundamento D. Tho. quia inferiora sub ordinantur superioribus, & superiora mittunt inferiora; ideo Angeli ex suprema hierarchia. ordinantur ad Deum Dominationes uero in quibus imperij remanet excellentia non debere mitti, sed alios mittere.

Secunda sententia est eorum, qui putāt Angelos superioris hierarchiæ interdum licet rarius mitti, ita Alexander Alen. 2. p. q. 36. memb. 2. Scotus, Durandus, Pelbartus, 2. p. Rosarij uerbo Angeli 11. tit. de Missione §. 139. Albertus Nouicampianus in scopo biblico annot. de fide spe, & charitate. Bartholomæus Cassanæus 3. p. catalogi de gloria mundi consideratione 6. qui citat etiam Bernardinum de Bustis, quamuis dicat quoadmodum quo mittantur sequi. S. Antonium Molina. in comment. in p. p. quæ sententia mihi uidetur probabilior.

Prima conclusio, Omnes Angeli etiam supremæ hierarchiæ mittuntur missione impropria, quatenus sumitur tantū pro illuminatione, quæ fit Angelis. Hæc conclusio communiter conceditur ab omnibus.

Secunda Conclusio Angeli supremæ hierarchię interdum mittuntur proprie ad quædam ministeria obeunda, probatur conclusio.

Primò, Ex illo Es. 6. Vidi Dominum sedentem &c. & uolauit ad me unus de Seraphim &c. ubi concedunt omnes doctores uere fuisse missum illum Angelum, qui appellatur Seraphim. Respondent doctores primæ sententiæ illum æquiuoce appellatum Seraphim, non quod uere fuit ex ordine Seraphim, sed erat ex ordine inferiori, tamen, uel quia exercebat officium Seraphim, quatenus scilicet uolebat Esaiam incendere, purgando labia eius, ideo etiam sortitum esse nomen illius; uel quia uisio facta erat p Seraphim, licet Angelus inferior purgauerit, tamen tribuitur illi Seraphim, quæ responsio est non solum Sancti Thomę, sed est expresse Sancti Dionysij capit. 13. & dicit has duas responsiones sibi ab alijs esse traditas, & forte sibi tradita sunt a D. Paulo; sicuti ipse scribit quæ de Angelis dixit ex D. Pauli doctrina dixisse, item etiā has responsiones & solutiones expresse ponit Sanctus Gregorius hom. 24. in Euangelia, & Lyranus in cap. 6. Esaiæ.

Seraphim missus Es. 6 fuit uerus Seraphim.

Sed hanc responsionem satis quidem probabilem puto; non tem

autem necessariam, imo contrariam sententiam puto probabiliorem.

Primò, Quia expresse S.Dyon.dicit in cap.13.citato ubi utramque solutionem ponit, non ut acceptam a D.Paulo, sed de prima dicit. Quidam aiunt de secunda uero ita; Alter autem non nimis inconuenientem quandam mihi præstitit apologiam, & utraque explicatione allata, ipse dubius hæret, dicens. Et numquid hæc ratio uerax est?

Quod ad D.Greg.attinet, ponit quidem D.Greg.utramque illã explicationem, sed tamen nihil determinat, magis tamen in nostram sententiam pendet, ut patet ex eius uerbis. dicit.n.in ea homil.34. sed quia in quibusdam scripturæ locis quædam per Cherubim, quædam uero per Seraphim agi didicimus. Vtrum per se hæc faciant; an per subiecta agmina agantur, quæ sicut dicitur in eo, quod a maioribus ueniunt, maiorum uocabula sortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis testimonijs non approbamus.

In tota sacra scriptura non fit mentio de Seraphim nisi Esaiæ cap.6.

Secundò, Quia ut dicit D.Hieronymus in cap.6.Es.in tota scriptura nullibi; præter hic, legitur nomen Seraphim, & ex qualitate & descriptione eorum, quæ hic habetur de sex alis S. Dionys. & Damasc.lib.2.capit.3. Vocat Seraphim, Sex pennatos. Esaias igitur cap.6.dicit Serap. stabant subter illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri, & hos Seraphim ueros fuisse constabit ex Patribus, quos modo afferemus, & statim subdit, uolauit ad me unus de Seraphim, quos scilicet nominarat, ergo ueri Seraphim sunt intelligendi.

Sanctus Hieronymus in cap. 6. Esaiæ uere accipit per Seraphim, & dicit. Volat igitur uel missus est unus de Seraphim & infra Seraphim mittitur a Deo, uel uolat propria uoluntate, quia huic officio mancipatus est.

Sanctus Athanas. in id. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, hanc uisionem refert, & de ueris Seraphim explicat, dicens. Quid enim Deo propinquius Cherubinis & Seraphinis; illi non obtuentur hanc maiestatem, aut in pedibus erectos se tenent: imo ne faciem quidem relinqunt, sed ea obuelata gloriam maiestatemque Dei labijs numquam cessantibus extollunt.

Sanctus Cyrillus Alex. lib.1. in Esaiam de ueris Seraphim explicat, & subdit D. Paulus scribit de Sanctis Angelis, quod omnes administratorij spiritus sunt, quod non est obscurum, omnia namque ab illis supremis potestatibus administrantur, atque idem omnibus Sanctis spiritibus, quasi iugum est, & herili nutui seruiunt non indignam censentes seruitutem. Mittitur itaque unus è Seraphim &c.

Sanctus Bernardus in sermone 3. 4. de uerbis Esaiæ. Vidi Dominum &c. de ueris Seraphim explicationem fuse prosequitur, licet multas alias explicationes allegoricas, & misticas intermisceat.

San-

Sanctus Chrisostomus hom. 8. in Genesim, & hom. 1. & 2. in id Es. 6. Vidi Dominum semper ueros Seraphim intelligit, ita etiam hom. 7. ad populum Antiochenum, sed præcipue hom. 3. de incomprehensibili Dei natura Seraphim explicat quatenus ab alijs ordinibus distinguuntur, & dicit ne istos quidem Seraphim audere nudam Dei faciem uidere; sed alis obuelare &c. citans locum Es. 6. Et in sua liturgia dicit. Tibi assistunt millia Archangelorum & multa millia Angelorum Cherubim atque Seraphim sen's alis uoriferantia & clamantia. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Quod autem sex pennata sint Seraphim ex illo tantum loco Esaiæ colligitur locus igitur ille de ueris Seraphim intelligitur.

Theodoretus lib. diuinorum decretorum cap. de Angelis. de Seraphinis ait, Dixit Beatus Esaias, quod clamant dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Fauet etiam usus Ecclesię, quæ canit in prę fationibus ac beata Seraphim, quæ non cessant clamare quotidie una uoce dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Quare cum in tota scriptura unicus hic Esaiæ extet locus de Seraphim, si hoc etiam ministerium alijs tribuatur, uix constabit nobis, quid nam sint Seraphim Ps. 103. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Sedulius in cap. primum epistolæ ad Hebręos hic hyperbaton est, & est ordo præposterus. Bon. ibid. dicit ex prædicato fieri debet subiectum, ut sit sensus, qui facit spiritus Angelos, & flammam ignis ministros &c. Communiter autem Patres & expositores per flammam ignis intelligunt Seraphim, & dicunt fieri Dei ministros, ita D. Gregorius hom. 34. in Euangelia, Glossa interlinearis ignem uirtutem idest Seraphim. Glossa ordinaria. Ignem mentem idest Seraphim, qui sunt superior ordo, quos facit ministros suos. Vnde Es. 6. Volauit ad me unus de Seraphim D. Augustinus in ps. 103. licet obscurius idem tamen dicit Titelma. ibid. Nobilissimos cœlestes spiritus, qui sunt ut flamma & globus ignis, semper ardentes profecto Charitatis amore tamen facis esse tuos ministros, Auctor incognitus ibi. Ex hoc inquit uult ostendere, quod non tantum inferiores, sed etiam superiores spiritus habet in sua potestate, & ipsos superiores quando uult facit esse suos Angelos, seruos, & nuncios; nam primus & supremus ordo est Seraphim, ille autem ordo per ignem urentem insinuatur, quia Seraphim interpretatur incendium; Et tamen illos spiritus facit suos Angelos, unde dicit Es. 6. Volauit ad me unus de Seraphim, quæ sunt superior ordo; Idem docet Petrus Lombardus in cap. primum Epistolæ ad Hebræos & affert etiam hoc testimonium Ambrosii Ioannes Gropperus lib. de doctrina Ecclesiæ Catholicæ tract. de Angelis.

In quinta Synodo Constantinopolitana cum Petrus Episcopus Antiochiæ diceret in Missa, Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui crucifixus es pro nobis, ponuntur Epistolæ plurium Episcoporum scilicet Antheonis Episcopi Arsinoes; Fausti Episcopi Apollonidæ; Asclepiadis Episcopi Trallarum; Iustiniani Episcopi Siciliæ, qui omnes reprehendunt Petrum Episcopum Antiochię quod Tri-

sagio

fagio addere noluerit quod a Seraphim non esset additum, & sen tentiam inuertere.

Secundò, Probatur ex illo Gen. 3.& collocauit ante paradisum uoluptatis Cherubim & flammeum gladium, atque uersatilem ad custodiendum uiam ligni uitæ. Ecce deputatur Cherubim ad custodiā Paradisi, qui tamen est ex secundo ordine supremæ hierarchiæ. Respondent aliqui doctores primæ sententiæ, Illum uere non fuisse Cherubim, sed fuisse Angelum ex inferiori ordine, dici tamen Cherubim uel quia missus fuit a Cherubim, uel quia Cherub. dicitur scientia, quia ergo homo scientiam appetendo peccauit; ideo Cherub. dicitur. Sed hæc prima responsio uoluntaria est; Vnde colligunt non fuisse Cherub. sed missum a Cherub. cum dicatur Deus posuisse Cherubim. secunda responsio non ita firma est, homo enim peccauit superbiendo, & appetendo æqualitatem Dei; quare ergo non est positus ad custodiam Michael, qui dicitur quis ut Deus. sicut enim sathanam è cœlo expulit, ita si ad sensum nostrum consilia Dei liceret attrahere, dicendum esset, quod etiā debuisset ibi collocari Michael, sed uideamus quid hac de re dicāt Patres. Chrisost. hom. 18. in Gen. in illum locū. Prę cepit inquit Deus, ut uirtutes illæ Cherubim custodirent uiam, & sermone de Ascensione dicit, Angeli, & Archangeli nostris dolebant suppliciis, & Cherubim, licet Paradisum custodiebant tamen nostris suppliciis tristabantur, & infra, sic, & Cherubim meruerunt quidem custodire paradisum, sed dolebant honorem custodiæ.

Cherub. positus ad custodiendam paradisi uiā fuit uerus Cherub.

Isidorus relatus in glossa ordinaria, ponitur Cherubim ad custodiendam uiam, quia ad paradisum non reditur, nisi per Cherubim, quæ est plenitudo scientiæ cum Charitate.

Diuus Augustinus lib. 11 de Genesi ad litteram cap. 40. & hoc significandi gratia factum est, sed tamen factum est, ut Adam contra paradisum poneretur, & ordinauit Cherubim, & flammeam rompheam, quæ uertitur, custodire uiam ligni uitæ. Hoc per celestes potestates etiam in paradiso uisibili factum esse credendum est; non tamen frustra, quia significat etiam aliquid de paradiso cœlesti, quid autem significet, explicat in lib. 2. de Genesi contra Manicheos cap. 23. dicunt Cherubim plenitudinem scientiæ significat flammea romphea uersatilis, tribulationes. Nemo ergo peruenire potest ad arborem uitæ nisi per has duas uias idest per tollerantiam molestiarum, & scientiæ plenitudinem.

Quid significet collocatio Cherubim ad portam paradisi.

Diuus Hieronymus uerū Cherub. ponit in explicatione Gen.

Hilarius ps. 109. Quis inquit Angelorum & potestatum, & dominatuum, & Thronorum, & principatuum officia rationesque percipiet? Quis Cherubim, & Seraphim perpetuas uoces, ęternasque intelliget, Gennadius explicans hæc uerba Mosis Cherubini inquit sunt uirtutes inuisibiles. Has dixit suscepisse paradisi custodiam.

Neç

Nec etiam incongrue diceretur illum Angelum uerè fuisse Cherubim, quod scientiæ plenitudinem, dicit ut sciret quinam in paradisum essent admittendi ne.f.arceret, cum alijs simul Enoc, & Eliam. Quare Rupertus lib.3.de Trinit.& eius operibus, cap. 32.dicit recte Angeli qui in huiusmodi præsunt Cherubim, dicuntur, idest plenitudo scientiæ, ipsi namque iudicandi plenam habent scientiam, sciunt enim, quid in libro uniuscuiusque nostrum sit scriptum, idest bene habent memoriæ traditum, quid boni aut mali gesserit unusquisque nostrum. Quotidie singulariter legunt, & in nouissimo uniuersaliter recitaturi sunt libros illos, de quibus in Daniele scriptum est. Iudicium sedit, & libri aperti sunt, & cap.34.plura affert in hanc sententiam, quærés quare non solum ignem gladium, sed etiam Angelorum præsidium uoluerit ibi collocare Dominus. Horribilis sententia.

Tertiò, In aliis scripturæ locis inueniuntur ministeria Cherubim. Ezech. 10. mittitur Cherub.ut effundat, prunas super Hierusalem, ibid.quattuor Cherubim ascendunt,& cum ipsis eleuantur rotæ. 2.Reg.22. Ascendit super Cherubim, & uolauit in adiutorium Dauidis. Eccl.49. Currus Cherubim.

Quartò, Solet ad hoc afferri testimonium Sancti Bernardi sermone primo, in Missus est, qui dicit Angelú qui nunciauit Beatæ Virgini Incarnationem Christi non fuisse ex inferioribus, quia a solo Deo missus legitur, dicit esse ex primis spiritibus.

Sanctus Andreas Hierosolimitanus sermone in salutationem Angelicam dicit. Ἐςὶ τοίνυν τῶν πρωτίςων ἀγγέλων διακονῆσαι τῷ μυςηρίῳ θέσπισας, τοῖα δ᾽ ἔοιμαι τῷ τῆς οἰκείας μεγαλειότητος διεκέλευετο πνεύματι. Vni ergo ex præcipuis Angelorum quem huius ministerio misterii præfecisset talia, ut puto uere maiestatis suæ nutu mandauit. Iob 12. Raphael dicit: Ego sum unus ex illis septem, qui astamus ante conspectu Dei.

Sextò, Quia Angeli inferiores, in ascensu Christi ignorabant mysterium Incarnationis, maxime quo ad particulares quasdam circunstantias, de quibus Dionys.cap.4. de diuinis nominibus dicit: Incarnationis mysterium adhuc ignotum esse etiam dignissimo Angelorum, & Sanctus Ierotheus dicit. idem mysterium esse nouis omnibus magis nouum, & mirabilium omnium maxime mirabile.

Septimò, Quia si aliqua ratio est, cur non mittantur, maxime esset propter dignitatem istorum Angelorum, qui assistere debeant, non autem ministrare, sed hæc ratio non est efficax, quia si ipsæ diuinæ personæ, quibus Angeli assistunt, licet in infinitum Angelorum dignitatem superent, tamen mittuntur, ut Filius, & Spiritus Sanctus. Quare non magis Angeli superiores? Quos omnes administratores spiritus uocauit Apostolus. Heb.1. propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.

Octauò, Quia ordo naturæ sæpe a Deo mutatur propter ordinē

 gratiæ,

gratiæ, Ergo etiam ipse ordo inferior gratiæ, potest propter excellentiorem ipsius gratiæ donum mutari, sed præterea ordo gratiæ non impedit, quin mittantur, si enim non impedit missionem earum personarum, quæ sunt gratiæ auctrices, multo minus impediet ordinem eorum, qui gratiam recipiunt.

Nonò, Quia Ecclesia docet Angelos assistentes mitti, ita in oratione de Angelis dicit: Deus qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius, ut quibus tibi ministrantibus, in cęlo semper assistitur, ab ijs in terra uita nostra muniatur.

Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum patet ex dictis, quid dicendum sit ad illas auctoritates Dionysij, Gregorij, & Damasceni.

Ad secundum patet in septimo, & octauo nostro argumento.



ILLVD

ILLVD QVOQVE SCIENDVM EST.

DISTINCTIO XI.

EXPLICATVR INTENTIO MAGISTRI.



Um supra Magister egisset de vniuersali cælestium spirituum missione; hic præcipue de ea Angelorum missione agit, quæ est ad homines custodiendos, vel impugnandos, illi enim à Deo; ij à Sathana mittuntur. Et circa hoc tria facit.

Primò, Quærit, Vtrum deputati sint Angeli ad custodiam, Respondet esse deputatos duos, alterum quidem bonum, alterum vero malum.

Secundò, Quærit, An singuli Angeli singulis hominibus deputentur, Respondet non singulos Angelos, singulis hominibus deputatos; sed vnum Angelum pluribus hominibus custodiendis successiue, esse destinatum; ita ta-

men, vt singuli hominum, dum hac aura fruuntur, singulos Angelos habeant custodes.

Tertiò, Quærit, An boni Angeli proficiant in merito, vel præmio per actus custodiæ. Proponit varias sententias, rationesque dubitandi; concludit tandem non proficere in merito vel præmio essentiali, sed accidentali.

Obijcit deinde sibi, quod vere proficiunt in cognitione Quia multa ex prædicatione Apostolorum cognouerunt, quæ prius ignorauerant.

Affert igitur plures explicationes, tandem concludit proficere non in cognitione diuinæ visionis; sed in cognitione quorundam mysteriorum extra obiectum beatificum.

DISPVTATIO I.

De custodia Angelorum.

Deus custos custodum.

COnstat, quidem apud omnes Deum esse summum, atque primarium custodem, tum hominum, tum Vrbium, Regnorum, Prouinciarum, tum etiam reliquarum omnium rerum. Ipse.n.est custos custodũ de quo Dauid psalmo 16. Custodi me ut pupillam oculi. Psalmo. 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem. Psalmo. 11. custodies nos à generatione, in generationem. Psalmo. 33. custodit Dominus ossa eorum. Psalmo. 24. custodi animam meam, & erue me. Psalmo. 120. Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel. Psalmo. 144. Dominus custodit aduenas pupillum, & uiduam

& uiduam suscipiet.&c.Gen.28.Iacob præcatur Dominum,ut cu stodiat uiam suam. Hac de causa dicitur Dominus protector,au- xiliator,defensor,adiutor &c.Sed & præter Dei opt. Max. custo- diam, constat ex sacris litteris Angelos ad hominum, & regno- rum,custodiam inuigilare.Psalmo. 90.Angelis suis Deus manda- uit de te,ut custodiant te &c.Es.62.super muros tuos Hierusalem constitui custodes. Daniel.10.Princeps regni persarum. Tobiæ 3. & alijs locis, quæ infra, afferrentur, Ita etiam in Cantica. 3. in- uenerunt me uigiles;qui custodiunt ciuitatem.Baruc. 6.Angelus enim eius nobiscum est. Heb.primo.omnes sunt administrato- rii spiritus propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Deut.32. constituit terminos populorũ iuxta numerũ filiorum Dei.Septua ginta dicunt, iuxta numerum Angelorum Dei. Tob. 5. Angelus comitetur uobiscum. Ex Patribus. Hãc enim sententiam propter unanimen consensum puto esse traditionem Apostolorum.

Dionys.Areop.lib.de cœlesti Hierarchia cap.9.& 13.

Sanctus Gregorius Nazian. oratione ad centum quinquagin- ta Episcopos. Tunc ad Angelos quibus huius Vrbis cura com- missa est, Nec enim dubitandum, quin alii aliarum Ecclesiarum præsides,ac patroni sint, quemadmodum in Apoc.&c.Idem do- cet, & in fine eiusdem orationis. Valete Angeli huius Ecclesiæ pręsides, & oratione secunda de Theologia. Angeli loca omnia peragrant omnibus ubique impigri adsunt.

S.August. Soliloquiorum 27. magna cura, & uigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, & locis.

S.Athanas.serm.4.cõtra Arrianos.Angelus mandatur,ut tuea- tur populum in itinere, & lib.de communi essentia Patris Filij, & Spiritusancti,circa finem Angeli, qui hominum pędagogi cen sendi sunt.

S.Hilarius lib.10.de Trinitate Misso inquit,ad tuitionem Apo- stolorum Angelo. Angeli hominum pædagogi.

S.Cyrill.Alexan.in apologetico petitione prima,septem Orien talium Episcoporum sic Angelos alloquitur, Ad uos solos post su premam uirtutem orbis seruatores præcando uertemur, quan- doquidem scimus proprietate sollicitudinem, uobis peculiariter conuenire; utpote iis,qui usque in hoc tempus custodierint,uicis simque per illam custodiunt.

Riccar.de S.Victore lib.2.de eruditione hominis cap.20.ò cel- situdo Angelicæ potestatis,qui securi sunt de seipsis,& adhuc sol- licitudinem gerunt pro nobis.

D.August.lib.7.in Iudicum cap.48 sub Angelis constitutæ sunt gentes, & lib.83.quæstionum quæstione 29. Vnaquæque res ui- sibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositã. lib.12.de Gen.ad litteram cap.36. S.Angeli ex iis, corporalibus, ac iudicandis præsunt.

S. Ambr.lib.2.in Lucam cap.de aduentu Magorum,non solum

Episcopos

Episcopos ad tuendum Domini gregem Dominus ordinauit, sed etiam Angelus destinauit.

S.Bernard.lib.5.de consideratione fuse.

Theodoret.lib.4.de curandis Grecorum affectionibus.

Lactantius Firmianus lib.2.diuinarum institutionum cap.5.

Clemens Alex lib.6.strommatum; Nam per gentes, & ciuitates sunt distributæ Angelorum perfecturæ, fortasse autem etiam ex iis sunt deputati singulis.

S.Gregor. Nyssenus.lib.de uita Moseos Angelorum multitudo in tabernaculo conspecta, quo corporea, hæc secundum Dei uoluntatem reguntur, & gubernantur. Plura, qui uoluerit legat Isidorum lib.1.de summo bono cap.17.

Origenem lib 7.contra Celsum, & hom.8. in Gen.hom.20. & 24.in lib.Num.hom.20.& 23. in Iosue lib.1. in cap.1.Epist.ad Roman.hom.12.13.27. in Lucam. Cœlium Rodiginum lib. 2. antiquarum lect.cap.1.& 11. Alcuinum in homiliario, in festo sancti Michaelis, & ex breuiario Romano nota est historia dedicationis sancti Michaelis dicentis Garganum montem, esse in sua tutela, & ex alia apparitione eiusdem Archangeli Michaelis, ad Michaelum quam refert Sozomenus lib.2.historiæ tripartitæ c.19.

DISPVTATIO II.

An singulis hominibus Angeli custodes applicentur.

Angeli singulis hominibus tutelæ res adhibiti sunt.



Onclusio prima, Angeli sunt assignati custodes singulis hominibus. Hæc conclusio est de fide probatur.

Primò, ex scripturis Psal. 90. Angelis suis mandauit de te.Matth.18.ne contemnatis unum ex pusillis istis, qui in me credunt, Amen dico uobis Angeli eorum semper uident faciem patris, ubi illud Angeli eorum distributiue supponit pro omnibus Eccl.17.in unamquamq; gentem præposuit rectorem.Psalm.33.immittet Angelus Domini in circuitu timentium eos. Act.13. Angelus eius esset.Iudith 13. custodiuit me Angelus Domini euntem, & redeuntem, & ibi manentem. Tob.5. Angelus comitetur uobiscum, ibidem. Credo quod Angelus Dei bonus comitetur cum eo, Ge.48. Angelus qui eduxit me, & tenuit me.

Secundò, ex Patribus, S.Basil.lib.3.contra Eunomium, quæ uerba referuntur in Concilio Florentino sess.20. Angeli ipsorũ gentibus præpositi sunt. alij uero fidelium singulos consequuntur. Quanto autem gens uni uiro præponenda est, tanto maiorem necesse est Angeli, qui gentis principatum habet esse dignitatem eorum, quibus singulorum tutela commissa est.

S.Cyrill.

S. Cyrill. Alex. lib. 4. contra Iulian. Dictum est per uocem sanctorum sancto omni, & bene operari eligenti, Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uiis tuis, & Paulus. Nonne omnes administratorij spiritus? Hi noxias a nobis abigunt feras, & captos ab illorum crudelitate liberant, & docent, id omne, quod laudabile est, & liberum iter facere.

Origenes homil. 20. in Num. Adest unicuique nostrum etiam minimis qui sunt in Ecclesia Dei Angelus bonus, Angelus Domini qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis quotidie uideat faciem Patris, & hom. 1. in Psal. 37. Erudimur a procuratoribus, & actoribus, idest ab Angelis quibus animæ nostræ custodiendæ traditæ sunt, & hom. 2. in Cant. dicit: Ne dæmones in ea, s. anima possent prospexit diuina prudentia, ut paruulis quibusque, & iis, qui pro semetipsis contra dæmonis nequitias pugnare non possunt, utpotè infantes, & adhuc lactentes in Christo daret Angelos, tanquàm procuratores, & tutores. Idem repetit infra hom. 4. uocat Angelos benignos, quibus custodimur, lib. 1. περὶ Ἀρχῶν cap. 5. & 8. lib. 3. cap. 2. idem docet tracta. 5. & 35. in Mat. hom. 24. in Lucam.

Quanta nobis cõmoda afferat Angelorum custodia.

Theophilactus ibid. A Deo adeo diliguntur, ut Angelos habeant præsides à Deo; ne damnum illis fiat a dæmonibus.

Euthimius in cap. 18. Matth. Manifestum est iustos habere Angelos custodes.

Haimo in cap. 18. Matt. ibi Angeli eorum dicit in hoc loco discimus, quia unusquisque fidelium Angelum ob sui custodiã deputatum habet, qui eum à tentationibus defendit, & in uirtutibus iuuat.

Dices. Hæc Patrum testimonia probant tantum homines iustos, & fideles singulis, ad tutelam deputatis Angelis custodiri, non probant autem uniuersaliter singulis hominibus tutelares Angelos esse deputatos. Respondeo ita est; sed Age iam. Afferamus, & testimonia, quibus idipsum uniuersaliter de omnibus hominibus demonstretur.

S. Dionys. Areop. lib. cœlestis hierarchiæ c. 9. dicit, Ipsa quidem omnium summa prouidentia, omnes homines salutariter propriorum Angelorum restitutoriis manuductionibus distribuit.

Riccard. de S. Vict. lib. 2. de eruditione hominis interioris c. 20. circa hominum curam tam boni, quàm mali Angeli perpetuam sollicitudinem impendunt, & nec nocte, nec die ab hac sollicitudine se, uel ad modicum subtrahunt; sed mali ad impugnandũ, boni ad protegendum inuigilant.

Angeli tam boni, quam mali sollicitudinem habẽt circa hominum curam.

S. Greg. lib. 2. moral. c. 15. secundum alios 21. ab Angelis in hac vita laborantibus officium pietatis impenditur. lib. 4. moral. c. 27. secundum alios 31. sic iumentis homines; hominibus, Angeli; Angelis, Archangeli præsunt.

S. Hilarius

S.Hilarius in Psal. 34. facis Angelos tuos spiritus. Sunt enim Angeli paruulorum quotidie Deum uidentes. Hi igitur spiritus ad salutem humani generis emissi sunt, neq; enim infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam Angelis, tot tantisq; spiritualium cœlestium nequitiis obsisteret, opus ad id fuit naturæ potioris auxilio, ideo ad Mosen Dominus dicit præcedet te Angelus meus.

Christianus Druthmarus relatus in Bibliotheca Patrum in festo sancti Michaelis in illa uerba Angeli eorum dicit, ex hoc loco, & ex aliis inuenimus quod unusquisque homo duos Angelos habet sibi deputatos a die ortus sui, usque ad diem mortis, bonum, & malum: omnes enim homines maxime fideles habent suos Angelos. Apparet enim ex hoc quod licet omnes Angelos habeamus peccatorum, tamen Angeli quasi propter nos confusi minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam libere Deum uidere, & præcari forsan pro nobis. Humilium autem Angeli hi semper uident faciem Patris, & forte pro nobis orant.

Caute legendus locus.

Sanctus Laurentius Iustinianus libro de casto connubio Verbi, & animæ cap. 8. dicit. Singulis hominibus proprium Deus deputauit Angelum, quatenus ipsorum auxilio ualeant præsentis uitæ transire discrimina.

S.Hieronymus ibid. magna dignitas animarū, ut unaquæque à principio suæ natiuitatis ad sui custodiam Angelum habeat delegatum, & in cap. 66. Esa. dicit. Quod autem unusquisq; nostrum habeat Angelos multæ scripturæ docent, quas ibid. citat, & in c. 1. Habacuc. licet multi hoc caput citent, ut ostendant S.Hieronymū hanc Angelorum custodiam sustulisse circa particularia, quia dicit. Liber ille Apocriphus stultitiæ cōdemnandus est, in quo scriptum est quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus, piscibus quoque, & arboribus, & bestiis uniuersis proprios in custodiam Angelos esse destinatos. Tamen Hieronymus id quod homini est proprium ex Dei benignitate negauit de bestiis.

Glossa in capit. 18. Matth. dicit unicuique nostrum adest Angelus, qui regat, qui moneat, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus impetrandis, quotidie faciem uideat Patris, qui in cœlis est; & in cap. 2. Nahum Angeli singulorum, qui quotidie uident faciem Patris puluerem excusserunt.

Sanctus Ioan. Chrysost. hom. 60. in Matt. cap. 18. Hinc manifestum est, quod omnes sancti Angelos habent, & hom. 5. in cap. 9. Heb. dicit Vnicuique nostrum Angelus assidet. Auctor imperfecti in Matth. homilia 5. duo sunt Angeli permanentes cum hominibus bonus, & malus, & hom. 40. ibi, & sæpè circundedit dicitur. Quid est sepes, nisi Angeli in circuitu custodientes populum Dei, ne in uineam Christi inuisibiles latrones irrumpant. Angelos enim præesse docet Apoc. Ioan. & illud. Angeli eorum.

Pantaleon diaconus, magnæ Ecclesiæ Cartophilacis apud Simonem Metaphrastem dicit. Ex diuinis quidem & infinitis Angelis,

gelis, alios quidem unumquemque unicuique præesse fidelium, alios autem, ut ignotas gentes regerent, ut qui oĩa administrent Deus instituit.

Sanctus Iustinus Martir, q. 30. ad Orthodoxos si unumquemq; hominem Angelus custos comitatur, ut diuina scripta dicunt.

D. Bernar. serm. 31. in Cant. Cum autem ad Deum suspirat, tūc Angelus eius, qui unus est ex amicis sponsi in hoc ipsum deputatus minister, quomodo tripudiat? quomodo delectatur? ipse est, qui in omni loco sedulus quidem pedissequus animæ, non cessat sollicitare eam, & assiduis suggestionibus monere dicens. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, & serm. 12. in Psal. Qui habitat ibi Angelis suis mandauit de te sanctissime, et acutissime explicationem prosequitur dicens. Et ne quid in cœlestibus uacet, ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus, propter nos mittis in ministerium, custodię nostræ deputas, nostros efficis pædagogos, illos ubique tam sæ ices, & tuos ad uos. & nostros ad te Angelos facis. Mira dignatio, & uere magna dilectio charitatis. Quis? in quibus? de quo? quid mandauit?

Quanta sedula afficiatur tutelaris Angelus ex bonis operibus sui clientuli Idem docet S. Laurent. Iustin. ubi supra.

Acuta amplificatio.

Theodor. epith. diuinorum decretorum cap. de Angelis. Ex iis autem quæ a Daniele dicta sunt conijci potest nonnullos quidem ex Angelis præesse gentibus, aliquibus autem unicuique hominis traditam esse custodiam.

Cassianus collatione 8. cap. 17. Nam quod unicuique nostrum duo cohæreant Angeli, idest bonus, & malus scriptura testatur, &c.

Lege Iodocum Clictoueum in commen. cap 3 lib. 2. Damasc.

Imò non solum hoc certum exploratumque est apud sanctos Patres, sed etiam Gentiles plurima de assistentia bonorum dæmonum, & uersutijs cacodęmonum tradiderunt; ac præcipuè singulis hominibus datum esse Angelum bonum, & unum malum; scribit enim hac ratione Comes Natalis lib. 4. Mitologie capit. 3. crediderunt siquidem antiqui singulos homines statim, atq; nati fuissent, dæmones duos habere, alterum malum, alterū bonum, quorum nos sub tutela essemus, quos genios nuncuparunt, & putarunt nobis cum esse natos. Idem [illegible] Thomas Gianinus lib. de prouidentia c. 18. Eugubinus lib. 8. de perenni philosophia cap. 24. Plutarcus lib. de tranquillitate animæ. Cic. lib. 1. de diuina tione. Lactantius Firmianus lib. 2. cap. 15. Seneca lib. 19. epistolarum, epist. 110. & in epist. 3. refert hoc fuisse dogma stoicorum, Lege Iulium Syrenium lib. 5. de fato cap. 4. docte enim plurimis allatis testimoniis ostendit pium hoc dogma, apud Etnicos firmū fuisse Insignis hac de re sententia apud Porphyrium quamuis à fide Apostatam lib. 2. de abstinentia ab esu carnium, qui ex Platonis sententia [illegible] tantam de rebus huiusmodi, dæmones curā [illegible] ut numquam nos deserant, nec circa nos officia sua [illegible]que intermittant, sed indesinenter bona boni dæmones

Gentiles Angelorū tutelam cognouisse.

Hhh nobis,

nobis procurant, ut imminentia pericula, uel propellant, uel pro facultate significent, tum per somnia, tum alijs modis.

Communis cõsensus ecclesiæ suffi. cit ad faciẽdam propositionem de fide.

Tertiò, Quia communis est consensus Ecclesiæ, & omnium Scolasticorum qui sufficit ad constituendã propositionem de fide, imo propter unanimem consensum sanctorum Patrum, & Doctorum censeo hanc esse traditionem Apostolicam.

Quartò, Ratione quia Deus omnes homines ordinauit, ad ęternam beatitudinem, ergo dedit media sufficientia, quę nulli negat, ita Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 13. ideo bene dicit Apostolus ad Rom. 1. inexcusabiles esse gentiles.

Quintò, Quia homines semper impugnantur à dæmonibus, ergo debet esse illis præsto Angelus bonus custodiens, consequentia patet. Quia Ecclesiastici 42. dicitur: Omnia duplicia, unum contra unum, & non fecit quicquam deesse. lege Ianseniũ in cap. 61. concordiæ ibi, uidete ne contemnatis, &c.

Hanc autem conclusionem fusissime corroborare uolui, ut in hac in re consilium Amb. Cath. collaudarem, qui lib. 2. Apologiæ in Caietanum, ut refert Sixtus Senen. lib. 6. bibliothecæ annotat. 77. Caietanum notat, quod nullo modo in dubium reuocare debuerit, an singulis hominibus data esset Angelorum custodia, maxime cum pateat Sanctos Patres extendisse locutiones scripturæ ad singulos homines, male etiã hac in re locutus est Gerson, qui lib. 6. summę tract. de gaudijs paradisi, dicit singulis hominibus nõ esse applicatos, singulos Angelos, sed unum Angelum pluribus hominibus etiam eodem tempore præesse.

Christus custodem Angelum non habuit & cur?

Ab hac tamen communi lege excipiendus est Christus Dominus, qui cum sit Deus non eget Angelorum auxilio, quatenus autem erat homo, adhuc erat intime unitus diuinæ regulæ, propter unionem hypostaticam, ideo naturaliter erat impeccabilis, neque Angelorum auxilio indigebat in ordine ad adimplenda Dei præcepta, fugiendaque peccata, ita communiter doctores Alexander Alen. secunda parte, quæstione 41. memb. 4. art. 2. Albertus 2. par. quæst. 36. membro 4. D. Thom. hic quæst. 2. art. 3 & prima parte, quæst. 108. artic. 4. Ad primum Bonauentura, Gabriel, Aegidius, Capreolus hic, Viguerius in institutione, Banes, Molina, Pelbartus, ubi supra.

Optima etiam ratio id suadet, quia Christus maior est Angelis cui Angeli ministrare, non autẽ præesse debent. Adde quod Christus iam erat comprehensor.

Obiicit tamen Altissiodoren. in 2. tractatu 4. Ioan. de Bassolis, quæst. 1. quod Ps. 90. dicitur de Christo Angelis suis Deus mandauit de te.

Respondet tamen D. Thom. illam auctoritatem intelligi de hominibus puris, uel de Christo non pro se, sed pro suis m[illegible]

Ab hac lege nonnulli, Beatã Virginem excipiunt. [illegible] dam non censeo propter testimonium Diui Bern[illegible]

[illegible]dicit

dicit Archangelum Beatæ Virgini ad custodiã fuisse assignatum. B. Virgo cu stodẽ Angelum habuit.

Aduertendum tamen est Angelorum custodiam diuersos habere gradus nam multo solicitius custodiunt Angeli pios, & fideles, & deuotos, ideo patres supra citati, qui interdum nisi sunt dicere solos fideles ab Angelis custodiri, explicandi sunt de hoc speciali custodiæ genere.

Aduertendum præterea non singulos Angelos singulis hominibus, ita designari, ut hoĩe mortuo nullum amplius hominem Angelus ille custodiat, hoc enim impossibile esset, omnes enim homines quotquot fuerunt, sunt, & futuri sunt, simul sumpti plures sunt, quam Angeli infimi ordinis, qui soli ad custodiam destinantur, sed uno homine mortuo idem Angelus alteri homini custodiendo traditur. Quõ singulis hominibus, singuli Angeli custodes assignentur.

DISPVTATIO III.

Vtrum Angeli singulis regnis, prouincijs, ac ciuitatibus sint deputati.

NOn solum prouincijs, regnis, ac monarchiis in uniuersali, non solum singulis hominibus, ut supra probauimus præesse Angelos Sancti Patres tradiderũt, sed etiam singulis regnis, prouincijs, ecclesijs. Hoc probant communiter Patres ex illo Deut. 32. Constituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei iuxta septuaginta interpræetes. Dan. 10. Princeps regni Persarum. Apoc. 1. 2. & 3. leguntur. Episcopi diuersarum Ecclesiarum, & capit. 9. Solue Angelos quatuor, qui alligati sunt in flumine magno Eufrate propter quatuor monarchias.

Secundò, Ex Patribus, quorum aliqui, vel indefinite loquuntur alij expresse fatentur in singulis.

Damascen. lib. 2. cap. 3. Custodiũt partes terræ, & gentium, &c. Iodocus Clictoueus in commentariis eiusdem capitis fuse.

Clemens Roman. lib. 2. recognitionum, est uniuscuiusque gentis Angelus, cui tradita est gentis illius dispensatio.

Remigius in cap. 1. Zachariæ dicit: Equi sequentes Michaelem significant regna siue Angelos, qui ipsis regnis præsunt.

Origenes hom. 9. in Gen. Angeli qui singulas quasque nationes sub potestate retinebant, & hom. 24. in Lucam. Ego non ambigo, & in cætu nostro adesse Angelos, non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam singillatim, & lib. 7. in cap. 8. Roma. Angeli in usus hominum alunt segetes, arbores, fructus. Angeli non solũ homines, sed etiã ea quæ propter homines sunt custodiunt.

Sanctus Salonius dialogo in Ecclesiasten Angeli Sancti sunt principes cœlestis Hierusalem, sicut & principes Ecclesiæ, quia [illegible] quotidie custodiunt, & regunt eam.

Sanctus Dionys. cap. 9. cœlestis Hierarch. dicit Angelos specialiter, atque honorabiliter imperare gentibus; Et infra ipsa una omnium excelsa prouidentia omnes homines salutariter propriorum Angelorum restitutorijs manuductionibus distribuit. ostendens autem & cum cæteris gentibus distribuisse cuidam Sanctorum Angelorum in cognoscendo per eum unum omnium principium Michaelem ait duxisse populum Iudaicum.

Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione ad centumquinquaginta Episcopos. Nec enim dubium est, quin alii Angeli, aliarum Ecclesiarum præsides, ac patroni sint. Denique si quis legat attentius loca supra citata omnem plane tollet, a se dubitandi locum. Illud tamen monuerim quod quidam arbitrati sunt, nō solum singulis hominibus, sed etiam singulis reptilibus, piscibus, bestijs, et arboribus, singulos Angelos ad custodiā esse destinatos, Quam stultitiam reprehendit S. Hieronymus in cap. primo. Habacuch, stulta enim liberalitas est singulis indiuiduis inanimatis, & insensibilibus singulos ex nobilissimis cœli principibus destinari custodes. Nec puto uerisimile qđ tradidit Iamblicus lib. de mysteriis capit. 31. qui dicit singulis speciebus animalium sunt dæmones distributi, propriam curam animalium, & perfecturam sortiti, quia licet Angeli animalium curam gerant, non tamen singuli Angeli singularium specierum custodiam sumunt.

Singulis inanimatis uel etiam animatis homine excepto singulos Angelos custodes non esse destinatos

His etiam accedit communis consensus doctorum, quod magistratibus Prælatisque plures Angeli ad custodiam assignentur non quidem ratione personæ sufficit enim unus Angelus, sed ratione officij.

Prælatis atque principibus plures assident Angeli.

Sanctus Bernardus epistola 77. ad Hugonem dicit Beatæ Virgini assignatum esse custodem Archangelum qui eam seruaret.

DISPVTATIO IIII.

Quando Angeli ad hominum custodiam destinentur.



Dubitatio esse potest de quadruplici tempore, uel quadruplici instanti temporis. An scilicet applicetur Angelus custos in instanti conceptionis. An in instanti natiuitatis, An in instanti, quo deueni[illegible] rationis, quo scilicet mereri, & peccare [illegible] an in instanti baptismi.

Conueniunt omnes non expectari usum rationis; [illegible] mi, ut refert Origenes hom. 6. in Matthæum [illegible] ante usum [illegible] nis licet p[illegible] in corpore [illegible] ab inimi[illegible]a Dæmonum rabie, [illegible]

rint.

rimi sunt, qui numquam usum rationis accipiunt, ut in amentibus patet; præterea plurimi numquam baptizantur, sequitur, ergo eos numquam habituros Angelorum custodiam; Difficultas restat de instanti conceptionis & natiuitatis.

Prima sententia est dicentium Angelos tutelares mitti ad paruulorum custodiam in instanti conceptionis saltem dum anima corpori infunditur. D. Tho. in hac distinctione quæstione prima art. 4.

Primò, Quia possunt ante natiuitatem multa pati paruuli in utero matrum, ibi & mori, sine baptismo ac damnari.

Secundò, potest mater saluari, infans damnari.

Tertiò, iam infans est in peccato originali, ergo eget adiutore.

Secunda sententia est dicentium destinari a principio natiuitatis, ita D. Tho. p. p. quæstione. 113. art. 5. Caietanus, Viguerius, Bartholomæus Sibilla in speculo peregrinarum disput. decade 2. cap. 4. q. 4. Franciscus Zumel in D. Tho. ubi supra probatur.

Primò, ex Patribus Hieronymus in cap. 18. Matt. ibi magna dignitas animarum ut unaqueque a principio suæ natiuitatis ad sui custodiam Angelum habeat delegatum, quem locum citat D. Augustinus lib. 2. meditationum cap. 12. & dicit maximum existimo, & illud fuisse beneficium quod Angelum pacis ab ortu natiuitatis meæ ad me custodiendum, usque ad finem meum mihi dedisti. Vnde quidam Sanctus ait Magna dignitas animarum &c.

Christianus Druthmarus ibi. ex hoc loco et ex aliis inuenimus quod unusquisque homo, duos Angelos habet sibi deputatos, à die ortus sui, usque ad diem mortis bonum, & malum, ita Antiqui hos Angelos Genios appellabant, quasi nobis congenitos. Sanctus Hieronymus ad huc uiuens Sanctus appellatus. Genij cur dicti.

Secundò, ratione quia si unius Angelus uni ciuitati gubernandæ sufficit: Quanto magis gubernande matri, & puero?

Tertiò, Quia filius ut dicit Aristoteles in Ethicis est pars patris, ergo in utero matris magis est pars ipsius.

Quartò, Quia ut dicit Viguerius infans in utero matris est uelut fructus ab arbore nundum excisus, quod ante ipsum docuerat etiam D. Tho.



DL

DISPVTATIO V.

Quanta nobis commoda afferat Angelorum custodia.



Arij uarios effectus Angelicæ nobis præsidentiæ discripserunt, ut Alb. 2. p. summ. q. 36. membro. 2. & in hac distinctione art. 4. Bonauentura & passim Scolastici hic. Ioan. Gerson tract. 8. in Magnificat parte 2. & 3. & in summ. lib. 6. de paradisi gaudijs Bernardinus de Bustis 2. parte Rosarij serm. 13. Pelbartus 2. p. Rosarii uerbo Angeli 10. §. 126. Bartholomæus Cassanæus 3. parte. catologi de gloria mundi consideratione 16. Sebastianus Fanestris in institutione uirtutum & uitiorum tit. Angelus deputatus Bernardinus de Parentinis 4. p. elucidarij. Antoninus 3. p. tit. 31. cap. 6. Ioã. de Combis 2. p. compendii cap. 18. Franciscus. Zumel in comm. D. Tho. p. p. q. 113. art. 6. quæstione sua unica.

Hos tamẽ effectus facilius quis cognoscere poterit deuote meditando, quam laboriose lectitando. A nobis etiam hic nonnulli quanta maxime poterit fieri breuitate describentur, nam multo plures lector excipiet ex testimoniis Patrum supra allatis in disputationibus 1. 2. & 3.

Primus ut ab hostium insidiis nos protegant, Tobiæ 3. Iudith. 13. Gen. 32.

Secundus ut resistamus diabolo 4. Reg. 6. dicitur Eliseus plures nobiscum sunt aperi oculos serui huius.

Tertius illuminanr nos Salomon emitte sapientiam de solio ut sciamus &c. ut fugiamus mala expetamus bona.

Quartus dant nobis recta consilia Ps. 142. spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã Exodi 13. per columnã ignis & nubis.

Quintò, cohærcent dæmonum potentiam Tobiæ 12.

Sextò, consolantur nos in tristitia positos Tobiæ 5.

Septimò, eruunt à periculis Tobiæ 5.

Octauò, excitant & hortantur nos Bernar. ubi sup.

Angelorum præsentia et ipsa ilia commoda nobis affert.

Nonò, suppeditant necessaria ad uitam temporalem, ita Gen. 16. Angelus Agar ostendit aquam. 3. Reg. 19. Eliæ affert panem subcinericium, & aquam Dan. 14. affert Danieli pulmentum.

Decimò, remouent impedimenta quæ nos à bene beateque uiuendo deterrent.

Vndecimò, stantes nos fouent labentes excipiunt surgenres, confortant, cunctantes, excitant, in peccato torpentes, mordent, increpant, torquent, ad fletum impellunt. Num. 2.

Duodecimò, impediunt a perpetrandis sceleribus in quæ propendimus. Num. 22.

Tertiodecimò, concupiscentiarum æstus refrigerant Gen. 32. Tobiæ cap. 9. 10.

Quar-

Quartodecimò, immunes custodiunt ab ultionibus, quæ Deo iubente fiunt per Angelos malos Apoc. 4. nolite nocere. Apud Ezech. signant. Tau cap. 28.

Quintodecimò, excipiunt orationes nostras, easque altissimo deferunt Tob. 12. Quando cum lachrymis orabas, & sepeliebas mortuos.

Sextodecimò, orant pro nobis Zach. 1.

Decimoseptimò, ut illis præsentibus peccare erubescamus, Seneca epist. ad Lucillum. Aliquis uir bonus ante oculos semper habendus est, ut sic tanquàm illo uidente omnia faciamus, magna enim pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Ideo Bernardus, quouis angulo, & loco reuerentiam habeas Angelo tuo, & ne audeas coram illo facere, qd me præsente nō auderes.

Decimooctauò, egredientes animas nostras de corporibus maxime custodiunt ab infenso hoste, qui calcaneo uitę nostræ insidiatur, easque maxima cum exultatione ad æternas cœli sedes perducunt. Ita de sancto Michaele Archangelo canit Ecclesia data est Michaeli potestas super sanctorum animas, ut perducat eas ad paradisum exultationis. Omnium tamen elegantissime.

Angelorum p̄sentia nos a scelerum perpetratione cōpescit.

Sanctus Laurentius Iustinianus lib. de disciplina, & perfectione Monastica cap. 5. ait Magnam prorsus inuiolabilem præbere debet fiduciam cunctis Deo militātibus sanctorum Angelorum concessa custodia. Nam si orant, eorum præces offerunt Deo, nec uacui reuertuntur ad illos. Si pugnant æquè ipsi, cum eisdem pugnant. Si quiescunt, nempe ipsi excubias agunt, ne quicquam mali ab aduersariis patiantur. Si ignorant docent eos; Si cadunt, erigunt. Si pusillanimes efficiuntur, sanctis exhortationibus eos roborant, & accēdunt; & qua parte humana curuatur infirmitas, ea parte se opponunt casuris, sicque custodiunt electos in omnibus uiis suis, ne forte offendant ad lapides pedes. Cur igitur trepidas o formidolose, quare dubitas, pro Deo sub tantis ducibus militare? regem namq; cœlorum inhonoras, Angelos offendis, sanctis gaudium subtrahis. Et lib. de casto connubio Verbi, & animæ cap. 8. ait. Singulis hominibus proprium Deus deputauit Angelum, quatenus ipsorum adiutorio ualeant præsentis uitæ, transire discrimina. Ipsi enim sancti Angeli aereas coercent potestates, ne ad libitum nos tentent, eorum detegunt fraudes, eorum argumentis obuiant. Vbique tanquam fidei comites nos tuentur; dormientes, stantes, deambulantes, quiescentes, operantes; Illuminant quoque intellectum nostrum, excitando, disponendo, lumen in nos diuinum transformando, Cum eleemosinas damus, cum oramus, nostras perferunt præces ad cœlum, & oblationes Deo offerunt, nobisque deferunt gratiam, ac spiritualia dona, nostris gratulantur profectibus, nostrisque uirtutibus delectantur. O quanto c[illegible]ant tripudio, cum aspiciunt crebris nos cœlum pulsare g[illegible]itibus, & assiduis orationibus diuinum flagitare

Mira Angelorum erga nos sollicitudo.

Quanta uoluptate boni Angeli afficiantur cū bene operamur.

flagitare suffragium, O quam suauiter lætantur, si uiderint nos sapienter psallere, deuote canere, legere frequenter, iugiter meditari, sine intermissione orare, Maximum spei de salute nostra capiunt solatium, si super cordis non dormitemus custodia, nos diligunt, nostramque zelant salutem.

Multo plures alios effectus experietur, qui corde bene affecto, uitam suam, suasque actiones in Deum referet, atque se Angelorum custodiæ, qua decet pietate commendarit, quos multo utilius est experiri, quam fructuosum cognoscere.

DISPVTATIO VI.

Vtrum Angeli interdum clientulos suos deserant.



Sancti Patres, ita de Angelorum custodia loquuntur, ut uideantur uelle interdum, homines a tutelaribus suis Angelis derelinqui.

Sanctus Hieronymus in cap. 17. Hierem. super illa uerba habitabit in siccitate dicit. Hoc intelligi de populo Iudæorum, qui non habet Deum hospitem, nec Angelorum præsidia.

Origenes hom. 3. in Hieremiam dicit, uide homo, ne quando Angelis præcipiat Deus, qui ad languorē animæ tuæ medicamina, & emplastra conficiunt, si quomodo possis ab ægrotatione sanari, & respondeant Angeli. Curauimus Babilonem istam, ostendentes à passionibus confusam, animam tuam, & non est sanata, & dicant relinquamus eam; uident se operam perdere, cum loquuntur inuicem. Caue homo, ne quando derelinquat te medicus, siue Angelus Dei, siue quicumq; hominum, cui tradita est cura sermonum Dei; si enim te dereliquerint, & dixerint. Abeamus hinc: manifestum est, quia abscessio eorum, condemnatio tua sit. Cum autem te deseruerit, quid aliud tibi euenturum est, nisi quòd solet iis accidere, qui a medicis desperantur, utentes uoluntate morbi, ut ad peiora demergantur.

Timescendū nobis ne deseramus ab Angelis.

Glossa ordinaria in id. Esa. 5. auferam sepem eius, & erit in direptionem &c. locus plane insignis dicit. Auferam sepem eius, i. Angelorum custodiam, qui aliquando ab hac custodia se retrahunt diuino iudicio, propter hominum nequitiam, & hæc expositio ualde congrua uidetur, quia communiter Patres explicantes illud Matt. 21. Et sepe circundedit uineam, sepem interpretantur Angelorum præsidia, ita Hieronymus Ericus, Chrysostomus, Beda, Christianus Druthmarus, Eusebius Nyssenus, Origenes; Item Glossa [illegible] id Hierem. 51. curauimus Babilonem, & non est sanata [illegible] relinquamus eam [illegible] in [illegible] Angelorum, & paulo post caue, ne [illegible] quat te medicus, uel Angelus Dei,

Dei, ibidem etiam Liranus hoc de Angelis exponit, Idem dicit, D Hieronymus in eum locum sanctus Basilius concione 9. in Psal. 33. celebrem hanc auctoritatem habet. Omni credenti in Dominum Angelus assidet, si non ipsum nos, per praua nostra opera effugauerimus, sicut enim apes fumus, & columbas graueolentia expellit, sic custodem uitæ nostræ Angelum lachrimosum, & graueolens peccatum abigit; si habueris in anima opera angelica custodia digna, Deus necessario continet tibi custodes, & protectores, & Angelorum custodia te munit, &c. Quid bonos Angelos abi gat.

Sanctus Bernardus serm. 1. in festo sancti Michaelis. Dicunt, sancti Angeli ubi scandala inuenerint, & dissensiones, non permaneamus cum hominibus istis in æternum, quia caro sunt.

Auctor imperfecti in Matt. hom. 5. dicit. Quandiu est circa nos Angelus bonus, numquàm nos in tentationem potest impellere Angelus malus, secundum dispensationem autem Dei recedit aliquantulum Angelus bonus; magis autem non recedit, sed se abscondit inuisibilem se reddens, ante diabolum. Quoniam nisi uoluerit Angelus bonus, non uidetur a diabolo, subtrahit, ergo se; ut det diabolo licentiam tentandi, & stans expectat tentationis euentum. Quæ uerba Laurentius Cundius, seu Gerardus Mosanus collector Bibliothecæ Patrum ad citatam auctoritatem in margine addit desumptam esse ex lib. Pastoris doctoris antiquissimi. Notāda sententia. Angelus bonus nisi uelit non uidetur a diabolo.

Eandem sententiam habet Landulphus de uita Christi in primam partem, cap. 22. & Iosephus lib. 2. de bello iudaico cap. 12. inter alia propria excidij Hierosolim. refert sacerdotes noctu ingressos in templum Hierosolimitanum ad diuinas res peragendas, quendam motum ac strepitum sensisse, cum tamen nihil uiderēt; postea etiam subitam quandam uocem audisse dicentem MIGREMVS HINC. Hunc locum refert Sanctus Hieronym. lib. 4. in Matth. cap. 27 in epist. ad Hedibiam quæst. 8. & lib. 14. in cap. 62. Esaiæ. Addunt nonnulli in Euangelio, quo utuntur Nazarei circa tempus euersionis hierosolimitanæ auditas esse uoces Angelorū dicentium RELINQVAMVS HAS SEDES. cum tamen nihil uiderent.

Conclusio decisiua Angelus custos numquam ex toto deserit hominem etiam quam maxime peccatorem. Dixi ex toto quia ualde probabile censeo, quod supra dixit auctor imperfecti, interdum subtrahere, & quodammodo abscondere sese, bonum Angelum, ut tentationi locus fiat.

Secundò, Dixi ex toto quia cōmuniter Theologi fatentur Angelos circa electos sollicitiorem quandam curam, ac uigilantiam habere, quam non habent erga alios. Imo quemadmodum Deus sic exigētibus nostris excessibus auertit faciē suam a nobis, & internas illuminationes, ac spiritualia auxilia supernaturalesq; influxus retrahit, ac imminuit, ita etiam probabile est externa An-

gelorum auxilia imminui, uel hoc ipso, quod permittunt nobis euenire mala dicuntur derelinquere, ficut Christus tormentorũ atrocitate undiq; obfeffus fe derelictum dixit, Deus Deus meus, ut quid dereliquifti me.

Hac autem ratione intellecta, cõclufio uerifsima eft, & eft præftantiffimorum Theologorum D.Thom.hic, quæft.1.art.4 & prima parte quæft.113.art.6. Alex. Alen.2.p.quæft.41. memb.5. Alb. hic, & 2.p.fummæ, quæft.36.memb.5. Altiff.lib.2. tract.4. quæft.5. & 6. Bonauentura, Aegidius, Durandus, Gabriel, Banes, Caietanus, Molina, Pelbartus, Gerfon, Viguerius, Frãcifcus Zumel in D. Tho.ubi fup. quæft.unica. & probatur.

Primò, Quia eft expreffa fentẽtia Dei, Exodi 23. Ecce ego mittã Angelum meum, qui præcedat te, & cuftodiat in uia, & introducat in locum, quem præparaui, Obferua eum, & audi uocem eius nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & eft nomen meum cum illo.

Secundò, Ex teftimonijs Patrum fupra allatis, in difputatione 2.& 3.

Tertiò, Ratione quia diaboli nequitia, & odium in nocendo modum non admittit, quare nifi effetata illius rabies Angelorum præfidio coerceretur, eadem ratione in nos rueret, qua & in porcos irruit, quos ftatim in mare præcipites egit, ut legitur Matt. 8. Lucæ 8.

Quartò, Quia certum eft Deum numquam uiatoribus fubtrahere fufficientẽ gratiam (loquor de adultis) nam ut facrum Concilium Tridentinum in feff. 6. Præcipiendo monet, quod facere poffis; & adiuuat, ut poffis, cum autem nullus cõuerti poffit ad Deum, nifi per gratiam ipfius, fequitur confequenter, qd ex toto non deferit necefsarijs auxiliis internis homines, ergo neque deftituere debet externis.

Quintò, Quia ex fupra allatis teftimonijs conftat regna, & prouincias infidelium, ac peccatorum habere Angelos cuftodes; cũ tamen peccata ipforum grauiffima fint, ergo etiam homines peccatores habebunt. Confirmatur argumentum, quia non homo propter urbes: fed urbes funt propter homines ergo.

Sextò, Quia communis fententia Theologorum, quos fupra citauimus excepto Altiff. eft, etiam Antichriftum habiturum Angelum cuftodem, qui tamen peffimus omnium futurus eft, ergo.

Ad teftimonia Patrum, patet ex dictis.

DI-

DISPVTATIO VII.

An in statu innocentiæ homo habiturus esset Angelos custodes.




Ac de re nulla plane debet esse disputatio. Certũ est enim apud omnes Theologos etiam illis ascribendos esse tutelares, & præsides Angelos. Quia eadem ratio, quo ad hoc est de hominibus in eo statu, ac in nostro, sunt enim omnes administratorii spiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis; illi autem ad hæreditatem salutis tendebant.

Secundò, Quia in eo statu diabolus hominem tentare poterat, & ipse peccare poterat. Atque utinam nec ille tentasset, nec iste peccasset, ubi autem adsunt hostes, ibi etiam debent adesse præsidia.

DISPVTATIO VIII.

Vtrum Angeli doleant de malis eorum quos custodiunt.



Ancti Patres persæpe adeo elaborarunt in explicanda acurata illa diligentia, ac paterna illa cura, ac pietate, qua hoĩes sancti Dei Angeli ꝓsequuntur, ut dolere, lugere, erubescere, confundi dixerint Angelos, si sibi commistus homo depereat, Imo interdũ adeo confusione repleri, ut non audeant faciem Dei contemplari, nec ante conspectum Dei assistere. Quæ tamen loca caute legenda, & pie explicanda sunt.

Theophilactus in cap. 18. Matt. dicit Angeli hominum peccatorum, quasi propter nos confusi, minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam libere Deum videre, & præcari forsan pro nobis; eodem etiam modo loquitur Origenes.

Dolent Angeli cũ cliẽtes suos male agere conspiciunt.

Sanctus Ioannes Chrisostomus serm. de ascensione. Angeli, & Archangeli, nostris dolebant supplicijs, & quando puniebamur, ipsi quoque, nimia tristitia tenebãtur, & Cherubim licet paradisum custodiebant, tamen nostris suppliciis, tristabantur. Et sicut conseruus bonus, cum à Domino custodiendum conseruum acceperit, satisfacit quidem diuinæ iussioni, sed tamen pœna conserui nimio dolore conteritur, sic & Cherubim meruerunt quidem custodire paradisum, sed dolebant honorem custodiæ.

Sãctus Antonius Aegyptius epist. 2. ad Arsenoitas, pro certo dico uobis filioli mei quod nostra negligentia, & humiliatio, & ex-

tranea commotio, non nobis solis', est detrimento; sed Angelis labor existit.

Leo. IX. refert de cons.dist. 1. cap. Hi duo dicit. Quod nouem Hedomadibus Alleluia intermittitur, nō incongrue per nouem hebdomadas, nouem Angelorum ordines designantur, quorum decimus ordo per superbiam corruens, Angelicum numerum minuit, & a felicitate perturbauit. Qui condolentes suæ diminutionis; & parem sibi timentes ruinam, a perfecta laude creatoris fuere prępediti. Per hominem uero damna cœlestis patriæ uoluit resarcire; sed & homo peccauit. Hac, ergo spe Angelicus chorus modicum lætatus est, nec mirum, si ex lapsu ipsius hominis fuit perturbatus.

Lucifer Angelos bonos perturbauit.

Sedulius in collectaneijs in cap. 8. ad Rom. dicit sicut gaudent Angeli super pęnitentes, sic tristantur super conuerti nolentes; & infra omnis creatura superior agones & certamina nostra spectat, & condolet cum uincimur; & cum uincimus gaudet, & paulo post, non solum Angeli, qui benigniores sunt nobis condolentes &c.

Conclusio tamen est certa beatos Angelos dolere non posse, quippe qui semper uideant faciem Patris, & in ipso omne solatium; & ideo ab illo cœlesti regno omnis abest dolor, & timor, atque tristitia, imo gaudent etiam de supplicijs, quibus afficimur, quatenus uident nos iuxta exigentiam diuinæ iustitiæ, quam amant, & uoluntatis Dei, cui conformantur nos supplicijs affici.

Quod si Es. 33. dicitur Angeli pacis amare flebant intelligitur pro ut D.Tho. explicat uel de nunciis Ezechiæ flentibus, propter uerba Rapsacis, uel metaphorice de Angelis explicatur, ut ostendatur non esse uoluntatis ipsorum perditionem nostram.

Patres autem explicandi sunt, ut supra, uel etiam quod doleant hoc ipso, quod priuantur gaudio illo accidentali qđ haberent si homines sibi crediti saluarentur.

Cauendus tamen est hic error Origenis, qui hom. 20. & 24. in lib. Num. & hom. 12. & 35. in Lucam dicit in die iudicij Angelos esse iudicandos de diligentia, uel negligentia, circa custodiam; & in præmium bonæ custodiæ accepturos esse uisionem Dei. Qui uero male custodierunt, a Dei uisione esse arcendos; quam sententiam refert Sanctus Hieronymus in cap. 6. Micheæ. Sed hic error, uel potius, hi errores intollerabiles sunt contra fidem.



DI-

DISPVTATIO IX.

An Angelis accrescat accidentale gaudium ex salute eorum, quos custodiunt.


Ic potius explicandum esset, quid & quale sit accidentale gaudium. Sed quia hoc ad 4. lib. sent. spectat, ideo quantum hic sufficit satis sit scire. Quod cum beati omnibus plane bonis repleti sint, hoc ipso quod cum summo bono coniuncti sunt; tamen persæpe aduenit ipsis, uel noua quædam cognitio, eorum quæ intrinsece non spectant ad beatificam uisionem; in quo quia magis uident magnificari Dei opt. Maximi gloriam, nouo quodam gaudio tripudiant, atque ita in Apocalypsi frequenter legitur, præcipue tamen Apoc. capit. 5. Agnus aperit librum, & canunt canticum nouum cœlestes principes, & dant Deo gloriam mittentes coronas suas ante thronum, & phialas odoramentorum ante conspectum Dei effundentes in signum maximæ ipsorum exultationis: hoc autem a Theologis dicitur gaudium accidentale. Quid sit accidentale gaudium, & quid sit canere canticū nouum.

Certum est, ergo de fide Angelis accrescere gaudium, hic est textus expressus. Lucæ cap. 15. Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem, qui non indigent pœnitentia. Est autem hoc gaudium illis ex conuersione in ordine ad salutem, ita igitur quando actu consequuntur salutem gaudere debent. Hoc etiam docuerunt Sancti Patres.

Petrus Chrysologus sermone. de parabola centum ouium, & Patres communiter in illum locum. Et ex hoc occasionem desumunt Patres cohortadi nos ad deterioris uitæ emendationem, & perfectioris institutionem. Hinc animari debet peccator ad emendationem quod eius conuersio letificare debeat Angelos.

Ambrosius ibidem. Hoc quoque proficiat ad incentiua probitatis, si unusquisque conuersionem suam gratam fore speret cœtibus Angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut timere debet offensam. Dubium est.



An Angeli hoc gaudium mereantur custodiendo.


On solum hac in re doctores ab aliorum sententia dissident sed quod grauius est inter se etiam discrepant.

Alexander Alen. 2. p. summæ questione 102. memb. 1. Aegid. Bonau. Gab. in hac distinctione Sotus 4. distinctione 50. q. 1. artic. 4. dicant uere Angelos hoc accidentale gaudium recte, salubriterque custodiendo mereri.

At D. Tho. 1. p. q. 62. art. 9. ad 3. Alb. Magnus 2. distinctione 11. q. 7. dicunt Angelos uere non mereri gaudium accidentale, quia non possunt in sua beatitudine proficere.

At uero idem D. Tho. in hoc 2. lib. distinctione 3. q. 2. art. 2. & in 4. distinctione 50. q. 2. art. 1. quæstiuncula 6. & idem suus præceptor Alb. in 2. distinctione 5. art. 7. probat Angelos post acceptam gloriam nihil amplius potuisse mereri, quia sunt in termino, quare extra statum merendi. Quare dicunt Angelos non posse hæc accidentalia gaudia promereri.

Verum hi omnes Doctores facillime conciliantur. Nam meritum uerè, & propriè illud est, cui correspondet uita eterna; quodque fit a uiatore, quia de ratione meriti est, quod consistat in actu libero supernaturali a gratia imperfecta. In beatis autem non est imperfecta, sed consumata gratia; Quare proprie mereri non possunt; si uero meritum latius sumatur, pro quacumque re, quæ alicui quocunque modo adueniat, propter aliquod opus hac ratione erit meritum. Vide quæ supra dixi in distinctione quinta, disputat. 4.



DISPVTATIO XI.

Vtrum Angeli proficere poßint in cognitione mysteriorum Dei.



Ertum est Angelos sanctos in cognitione gratiæ proficere, idest successiue clariorem, & uberiorem cognitionem accipere, eorum mysteriorum, quæ ipsis Deus uel mediatè, uel immediatè reuelat, per illuminationes. Dubium est utrum, per sua naturalia Angeli cognitionem aliquam uberiorem consequantur in dies singulos; & hæc difficultas est, tam de Angelis beatis, quã etiam de damnatis, & præcipuè difficultas est circa mysterium Incarnationis. Est autem hæc quæstio, magis inter sanctos Patres, quam inter scolasticos agitata.

Videntur autem Angeli ab initio non cognouisse mysterium Incarnationis, sed ab Ecclesia intellexisse, quod probatur.

Primò, ex scripturis Ephes. 3. ut innotescat principibus, & potestatibus. Hunc locum de mysterio Incarnationis intelligunt Patres, & dicunt notum factum fuisse Angelis ex prædicatione Ecclesiæ, neque solum Angelis malis; sed etiam bonis, ita S. Ambr. cuius testimonium etiam supra retulimus in commen. huius loci. Tantum inquit de Paulo sensit Deus; ut non solum hunc magistrum daret gentibus, uerum etiam, ut per eum Christi ueritas innotesceret spiritibus in cœlestibus, qui sunt principatus, & potestates; Et infra. Hic enim agitur, ut prædicatio Euangelica etiã iis spiritibus proficiat, & deferant assensum tyrannidis diaboli, qui se aduersus unius Dei fidem impia præsumptione armauit, & citat illud Psal. 23. Quis est iste rex gloriæ? S. Paulus nõ solum hominum, sed etiam Angelorũ Doctor.

Sanctus Hieronymus lib. 2. in epistto. ad Ephes. in eadem uerba Crux inquit, Christi non solum nobis; sed etiam Angelis cunctisque in cœlo uirtutibus aperuit sacramentum; quod ante nesciebant; Denique in cœlum cum corpore reuertentem admirantur dicentes. Quis est iste, qui uenit de Edom? & quis est iste rex gloriæ? Quæ loca Petrus Lombardus, tum in hac distinc. 11. tum etiam in commen. epist. ad Ephes. citat. Haymo apud Magist. Sedulius in collectaneis dicit. Ex quo intelligimus, quia crux Christi non solum nobis; sed etiam Angelis profuit, quia aperuit sacramentum, quod ante nesciebant. Vnde interrogant. Quis est iste rex gloriæ, Chrysost. hom. 7. in Ioan. Crucis utilitas.

Sed insignis est Chrysost. locus prologo in Euãg. Ioan. tractantis illud Ephes. 3. ut innotescat &c. si igitur principatus, & potestates, Cherubimque, & Seraphim hęc per Ecclesiam didicerunt, planè constat ipsos Angelos summa cum attentione eius se se auditores

ditores præsti isse. Quippe idcirco nos non parum honoris consequ mur, quod nobiscum Angeli didicerint, quæ neiciebant, lege Anselmum ibid.

Secundò, Psalm.23. Quis est iste rex gloriæ? quam esse uocem inferiorum Angelorum interrogantium superiores testatur Ambrosius, Hieronymus Sedulius, ubi sup. Iustinus dialogo cū Triphone. Origenes tract.15. in Matth. Cyrill. lib.12. in Ioan.

Tertiò, ex illo Esa.63. Quis est iste qui uenit de Edom, quod testimonium eadem ratione explicarunt Hieronym. ubi supra, & in eodem loco Amb. lib. de institutione uirginis. Cyrill. lib.12. in Ioan. cap.58.

Esa.53. Generationem eius quis enarrabit, quod de Christo explicat Amb. lib.1. de fide ad Gratianum cap.5. dicit. Mens deficit, uox silet, ratio contabescit, non mea tantum, sed & Angelorum; impossibile est enim generationis explicare secretum.

S. Leo serm. de natiuitate, diuinam humanamque substantiam in unam simul conuenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat.

Incarnationis mysteriū hucusq ignotū esse, et dignissimo Angelorum.

S. Dionys. Areop. lib. de diuinis nominibus cap 4. mirabilē sententiam affert dicens Incarnationis mysterium hucusque ignotum esse etiam dignissimo Angelorum, ideo affert testimonium sancti Hierothei, qui hoc mysterium uocat nouorum omnium maxime nouum, & in supernaturalibus omnibus maxime supernaturale, quod etiam docuit Damasc. lib.3. cap.1.

Sophronius relatus in bibliotheca Patrum in festo sancti Michaelis alloquitur Angelos dicens. Vos estis, qui creatoris uolūtatem indefesse perficitis, qui semper crescitis, & proficitis, qui uocem sermonum eius sine intermissione auditis. Finis non sit, si omnium sanctorum Patrum, qui hac de re locuti sunt afferendæ essent auctoritates, ideo legantur, tum in prædictis locis, tum etiam ad Coloss 1. mysterium absconditum a seculis. 1. Cor. 2. sapientiam loquimur in mysterio, quæ abscondita est. 1. Timoth. 3. habentes mysterium fidei in conscientia pura. Adde alia scriptione loca Ephes. 1. uocat Apostolus mysterium incarnationis sacramentum absconditum cap.2. sacramentum uoluntatis Dei, cap.3. incomparabiles diuitias gratiæ Dei.

Incarnationis mysteriū amplissimis nominibus decoratum.

Plurima uero, testimonia simul collecta, tum Patrum, tum sacræ scripturæ ad hanc rem, qui desiderat, legat Concilium Constantinop.6. act.8.

Ex alia parte uidetur nimis durum, quod Angeli Christū Dominum, atque eius Incarnationem Natiuitatem. Vitam, Mortem &c. non cognouerint, cum ipsi quodammodo ministri fuerint sermonis, & in scripturis expresse habeatur Incarnatio figurata in Patriarchis, prædicta a Prophetis, ordinata quodammodo per Angelos, in manu mediatoris, Ita Angelus nunciauit Beatæ Virgini Christi incarnationem, in natiuitate eius, facta est cum

Angeli non ignorarunt mysteriū Incarnationis

Angelo

Angelo multitudo cœlestis exercitus, annunciando mundo gaudium magnum, quia natus erat Saluator mundi. imo Heb. primo, iussi sunt adorare statim incarnatum Verbum. Cum introduceret primogenitum suum in orbem terræ, dixit adorent eum omnes Angeli Dei; Angelus apparet Christo confortans eum &c. Post resurrectionem docent mulieres Christum resurrexisse. Hoc etiam Patres constantissime docuerunt in explicatione locorum quæ modo adduximus. Imò docuerunt Angelos ante Christi Incarnationem permisisse se adorari ab hominibus; at post incarnationem noluisse adorari; sed dixisse cõseruus tuus sum. Deum adora, ita Greg. in capit. 8. Cant. Præterea uicerunt in sanguine Agni Apoc. 12. Imò docuimus supra probabile esse Angelos peccasse, quia appetierunt hypostaticam unionem in Angelica natura.

Item apud me certum est, quod etiam supra probaui. Angelos ab initio creationis per fidem cognouisse mysteriũ Incarnationis imò absq; hac fide non potuisse saluari. Quia vere Christus constitutus est caput super omnem Ecclesiam, scilicet, hominum, & Angelorum, ideò debuit influere maxime in ordine ad id, quod est præcipuum, scilicet in ordine, ad assecutionem salutis, maxime autẽ influit per habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis si enim homo cognouit, cur non & Angeli? cognouisse autem hominem docet D. Tho. 2. 2. quæst. 2. *Angeli ab initio creationis cognouerunt mysterium Incarnationis per fidem.*

Postremò, Quia saltem negari non potest quin Angeli a principio suæ beatitudinis cognouerint hoc mysterium. Debuerunt. n. cognoscere eum, de cuius plenitudine accipiebant, cuius gratia sanctificati fuerant, in cuius sanguine uicerant, & uictoriæ suæ angustissimum præmium consecuti iam erant, sicut sancti Patres docent. *Angeli indigebant gratia Christi.*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Esa. cap. 54. Vidua erat gentium multitudo, quia nullum commercii genus ei fuerat cum sermone nequam omnis uere cognitionis, & studiorũ ad fidem pertinentium satore Per ipsum enim omnis fortificatio spiritualis, tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est.

Sanctus Laurentius Iustinianus Venetus Patriarcha gloriosissimus sermone, de ascensione uocat Christum parietem Angelorum, & hominum.

Sanctus Gregorius lib. 1. Reg. cap. 2. in cantico Annæ. Non est aliquis sanctus extra te, neque homo, neque Angelus.

Sanctus Fulgentius libro. 2. ad Trasimundum cum Angelum, & hominem nominasset subdit. Vna est in utroque gratia, operata in hoc, ut surgeret, in illo ne caderet.

Quod uero etiam Angeli Christum cognouerint docẽt etiam frequentissime Patres, & primo probari posset præclaro illo, licet Paulo uniuersaliori testimonio D. Dionysii Areop. de diuin. nom. cap. 4. dicit Angelus est speculũ Dei, in quo resplendet omnis bo- *Angelus est speculum diuini silentij.*

 nitas,

nitas, quantum eſt poſſibile, ſilentii quod eſt in abditis.

Has igitur Patrum, & Theologorum diſcordantes auctoritates, plurimi concordare ſtuduerunt; & reuera mihi tantum abeſt, & diſcordare uideantur, ut maximam in iis auctoritatibus harmoniam & ſentiam & admirer.

Alii igitur dixerunt cum Patres dicunt Angelos neſciſſe myſterium incarnationis, de malis Angelis eſſe locutos, Hæc ſolutio quibuſdam ſcripturæ, & Patrum locis poſſet accomodari, ſed non omnibus.

Alij dixerunt Angelorum beatorum, alios eſſe ſuperiores, alios inferiores, fuiſſe notam ſuperioribus, ignotam inferioribus; de illis intelligi loca primo adducta; de illis quæ poſterius adduximus loca. Sed ut hæc conciliatio nonnullis teſtimonijs poſſit accomodari non tamen illi B. Dioniſij, qui expreſſe dicit etiam nunc eſſe ignotum etiam digniſſimo Angelorum.

Myſteriũ Incarnationis, tantum quo ad particulares circunſtantias fuit ignotũ Angelis.

Hęc igitur conciliandi ratio mihi ſemper optima uiſa eſt, quod Incarnationis myſteriũ, ſicut & alia plurima myſteria gratiæ poſſit conſiderari, uel quo ad ſubſtantiã, uel quo ad particulares quaſdam rationes, & circunſtantias. Quod ad ſubſtantiam fuiſſe ab initio non ſolum beatitudinis, ſed etiam creationis notum. Quo ad circunſtantias fuiſſe ignotum, ſicuti Adæ reuelatum fuit, quo ad ſubſtantiam, non quo ad hanc circunſtantiam, quatenus reparator peccati ipſius Adæ futurus erat Chriſtus. Ita Angelis, quo ad particulares quaſdam circunſtantias, & rationes, & myſteria, quę ex hoc myſterio tamquam e fonte gratiarũ emanare debuiſſent; puto fuiſſe ignotum. Verbi gratia, quod uoluerit carnem aſſumere in ordine ad paſſionem crucis, tali tempore conſumandam, ut collocaret ſupremo quodam modo ſe ſub Euchariſtiæ Sacramenti ſpeciebus uiſibilibus, quem modum, ne nunc quidem Angeli intelligunt. Quod deinde deberet conſtitui ex hoc iudex uiuorum, & mortuorum. Quod determinato quodam die, quem ne nunc quidem puto Angelos noſce, iuxta illud, Matt. 24. de die autem illo, &c. eſſet orbem iudicaturus, & quo ad alias huiuſmodi circunſtantias.

Egregia D. Bernardi ſẽtentia.

Hanc autem ſolutionem ad verbum quaſi poſuit Diuus Bernardus in Epiſtola ad Hugonem de Sancto Victore poſt medium dicens. Quamquam & ſi ex ſententia dixorim, ignotum, uſq; adhuc ſanctis Angelis fuiſſe Dei conſilium, non quidem, quia per incarnandi uerbi myſterium Dei propoſitum erat, quandoque operari ſalutem in medio terræ, hoc enim multis mortalium, & præſcire donatum eſt, & prædicere; ſed quod potiſſimum tẽpus, quem nè locum, vel modum, præcipueq; quam Virginem ad implendum propoſitum ſuum elegiſſet Deus. Si inquam hoc Dei conſilium non tempore, ſed de tempore, loco, modo atque perſona etiam ſanctos ignoraſſe Angelos ſenſerim, & ſi ſcripſerim profecto, non uideo cur incredibile uideatur, & infra mihi uidetur

tur ne ipsum quidem Archangelum, qui nunciabat Incarnationis modum sciuisse. Quod & ipse fatetur, si eius uerba diligenter aduertimus, respondens quippe, Spiritus sanctus superuenit in te, nonne aperte mittit ad ministerium, Spiritus sancti, cuius unctione doceatur de omnibus, quorum ipse sibi non præsumit scientiam. Denique subiungit, uirtus altissimi obrumbrabit tibi, expressius profecto significans modum secretissimum arcani incomprehensibilis & ineffabilis sacramenti, quo quasi in umbra, cum sola, & in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura diuinum.

Præterea non incongrua mihi uideretur explicatio, si quis diceret ad locum illum Es. 63. & ps. 23. Quis est iste rex gloriæ inter rogationes huiusmodi factas esse, non quod ignorarent eum, qui ascendebat esse Christum, sed ad pompam, & ornatum amplissime illius ascẽsionis. Vt scilicet hinc ansam acciperet canendi canticum nouum & gloriam conditoris amplificandi; sicut etiam fieri solet, cum Rex uel Imperator urbem quandam triumphans ingreditur. solent enim fieri Emblemata, Epigrammata, Lemmata, Poeses in quibus ponuntur frequenter interrogationes. Quis est iste triumphans? &c. ut statim triumphantis gloria, uictoria, apud omnes quidem nota nouo dicendi genere exornetur, sicuti etiam Christum legimus persæpe quosdam interrogasse, & bene in iis interrogationibus mouent Patres Christum non tamquam nescientem interrogasse, sed ut aliorum fides desideria, deuotio, ac uirtus manifestaretur. Sciebat Christus cęcum a natiuitate expetere lucem, tamen interrogauit. Vis sanus fieri. Sciebat Christus solutionem dubij quod Simoni proposuit de duobus creditoribus. Sciebat, quid Petrus, quidvè reliqui discipuli de ipso crederent, tamen interrogauit, Vos autem quem me esse dicitis, ut illustris omnibus Petri appareret confessio. Tu es Christus &c. Ita etiam Patres interdum de Beatæ, Virginis ascensione illud explicãt ex canticis cap. 6. Quæ est ista, quę progreditur quasi aurora &c. cum tamen fateantur omnes Angelos affuisse exequijs Beatæ Virginis & eius sanctissimam animam ouantes ac iubilo plenos ad. cœlestes sedes super omnes ipsorum choros adduxisse, quod præcipue facit S. Hieronymus serm. in festum assumptionis Beatę Virginis Damasc. serm. de dormitione Beatę Virginis inducit etiam per προσωποποιΐαν loquens sepulcrum Beatæ Virginis, Quid a me custodiæ rationem exposcitis, non possum ego diuinis mandatis resistere, ego factus sum officina curationum &c.

Interrogationes in Christi ascẽsione factę ad pompam & ad maiorem mysterii celebritatem.

Christus cur sæpius quosdam interrogauerit.

DISPVTATIO XII.

Vtrum Angeli possit naturaliter cognoscere mysteria gratiæ.



Ysteria Gratiæ intelliguntur opera illa supernaturalia, uel res supernaturales, uel rationes supernaturales, quæ sunt fidei nostræ obiectum. Verbi gratia mysterium Trinitatis, Incarnationis modus existentiæ Christi in sacramento Eucharistiæ Prędestinatio, & alia huiusmodi.

Mysteria Gratię quid.

Conueniunt doctores omnes, ea mysteria quæ futura sunt, uel certe, quæ licet modo completa sint, tamen tempore, quo Angeli conditi, uel glorificati sunt, erant futura, non potuisse ab ipsis cognosci, quia ea futura, quæ ex libera Dei uoluntate pendent cognosci a creaturis non possunt: Quis enim cognouit sensum Domini? At uero cum consummata fuerint. Vtrum possint naturaliter ab Angelis cognosci discrepant inter se.

Prima sententia est dicentium posse cognosci. Scotus in 4. distinctione 10. q. 8. Ochan 4. q. 10. Gab. lectione 45. in Cant. Ioan. Maior. 4. dist. 10. q. 5. Petri Aliacen. 4. q. 5. probatur.

Primò, omne enim saltem quatenus actu est, est intelligibile, & ideo obiectum naturale intellectus, sed intellectus intelligit naturaliter, omne obiectum naturale sibi proportionatum in debita distantia, & cum requisitis conditionibus, ergo naturaliter poterit cognoscere, si quid obstaret maxime quia sunt supernaturalia, sed hoc est fasum ergo.

Secundò, corpus Christi Domini est naturale corpus, eiusdem plane rationis, cum nostris corporibus; cum autem est in sacramento, non mutatur substantialiter Christi corpus sed idem numero manet in sacramento quod autem est supernaturale in illo, est illa subsistentia, qua uirtute Dei est miraculose sub speciebus; sed hæc efficientia, uel causalitas miraculosa non tollit quin possit cognosci ab Angelis, ergo prob. min. quia suscitatio mortui, illuminatio cæci, sanatio ægroti sunt opera supernaturalia, ideo tamquam maxima miracula prædicantur. Sed hęc cum facta fuerint cognoscuntur ab hominibus, ergo multo magis ab Angelis. Quod si hæc cognoscuntur quare non etiam alia?

Tertiò, plura sunt entia supernaturalia intrinsece, & quo ad substātiam quæ tamen certum est ab Angelis cognosci, ergo probatur minor, quia lumen gloriæ, gratia, fides &c. sunt habitus supernaturales, quo ad entitatem, & tamen certum est ab Angelis cognosci.

Quartò, Angeli in sacramento Eucharistiæ uident accidentia esse, sine subiecto, & corpus Christi, ergo totum illud mysterium naturaliter cognoscunt.

Quin-

Quintò, Angeli naturaliter poterant cognoscere in Christi humanitate non adesse hypostasim propriam; ex alia parte naturaliter poterant cognoscere ibi adesse aliquam hypostasim, uidebant enim Christum operantem, actiones autem sunt suppositorum, ergo naturaliter poterant inferre, hic est aliquod suppositum: cognoscebant non adesse suppositum aliquod creatum, quia illud uidissent, ergo poterant inferre, hic est suppositum diuinum.

Sextò, Anima Christi uidet modũ, quo Christus inest in sacramẽto, neque enim tantam inscitiam illi animę tribuere debemus, ut nesciat, quid ad corpus suum spectet, ergo etiam Angeli, qui uiuacioris sunt ingenii.

Septimò, beati per lumen gloriæ uident, ergo Angeli, absq; lumine gloriæ antecedens patet, quia beatis, qui sunt in statu glorię non est neganda cognitio mysteriorum gratiæ, cõsequentia probatur, quia si illi intelligant, ergo obiectum est intelligibile.

Secunda sententia est dicentium ab Angelis naturaliter cognosci non posse mysteria gratiæ. Dicunt autẽ mysteria gratiæ nonnulla secundum omne suum esse, & modum essendi esse supernaturalia, ut mysterium Trinitatis, alia esse supernaturalia, tãtum quo ad modum, non autem quo ad substantiam, ut illuminatio cæci, sanatio ægroti. Dicunt ergo quatenus hæc mysteria gratiæ sunt supernaturalia cognosci non posse; quatenus autem aliquid in se naturale continent, posse naturaliter cognosci, uerbi gratia in mysterio incarnationis suppositum diuinum, modus terminãdi humanitatem, modus iste humanitatis, quo inexistit in Verbo, sunt supernaturalia, hęc dicunt naturaliter cognosci non posse ipsam tamen humanitatẽ, quia est quid naturale, naturaliter etiã posse cognosci, ita D. Thom. 1. par. quæst. 57. art. 5. & discipuli omnes ipsius; & communiter reliqui Doctores in 4. distin. 10. Sotus Riccar. Duran. Francisc. Ledesma, quæ sententia uerissima est.

Conclusio Angeli naturaliter cognoscere non possunt mysteria gratiæ secundum id, quod in ipsis est supernaturale probatur.

Primò, ex scripturis Matt. 24. De die autem illo nemo scit, neque homo, neque Angelus, neque filius Dei, quod saltem uerificari debet, quo ad cognitionem naturalem. Rom. 11. ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit, & retribuetur ei Esa. 64. Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. De incarnationis mysterio supra allata sunt testimonia scripturæ, & Patrum. *Angeli supernaturalia naturaliter cognoscere nequeunt.*

Secundò ex Patribus, quos infra afferemus, cum ostendemus dæmonem nõ potuisse cognoscere Christum esse uerum Deum, Insigne testimonium habetur apud sanctum Ignatium gloriosissimum Apostolorum in doctrina, fide, prędicatione, ac passione discipulum, ac sectatorem epist. 5. ad Philippenses sic inuehitur contra diabolum, tu autem ignoras, quis est, qui intus est qui om-

nia

nia te scire fingis. Multa enim te latent, Virginitas sanctæ Mariæ gloriosus partus, de cuius corpore Deus processit: stella Orientis, quæ apparuit Magis, munera ferentibus: Archangeli salutatio, ad Virginem facta, & uirginis in utero infantis præuisio: Angelorum hymno gloriæ ad Gentilium pastores annunciatio: Herodis timor in excellētia regni pręceptio ad paruulorum necem; in Aegyptum transmigratio, atque reuersio: cunabula infantilia, descriptio humana: lactis nutritio: nomen Patris non seminantis: præsepe in quo positus: ætatis: augmentum corporis hum: na loquela &c. Et quod Virgo peperit ignoras, cum tamen in dæmone permanserint naturalia integra, & splendidissima, ut dicit sanctus Dionys.

Sanctus Bernardus epist. 77. ad Hugonem de S. Victore, in fine, Porro autem si diabolus eam, nec post conceptionem agnosceret Ioseph utique desponsatione deceptus, credi potest, ex sanctis Angelis, uel ante minime innotuisse, quod ipsa esset mater Dei futura. Sane enim reprobi spiritus, & si destituti sunt participatione gratiæ, supernaturalis; non tamen uiuacitate industriæ naturalis. Hic repone, & amplissimum D. Bernardi testimonium, quod in precedente dubitatione ex eadem epistola descripti, quę tamen tota hic quamuis longissima esset de uerbo, ad uerbum describenda.

Hugo de S. Victore in epist. ad sanctum Bernardum, quam hac in re recitat ipse Bernardus.

Sanctus August. lib. 4. Trinit. capit. 17. & 2. de Gen. ad litteram cap. 17. dicit dæmones a sanctis Angelis, uel hominibus plura discere. Adde huic conclusioni loca citata ex sanctis Patribus, & scripturis; quæ probant saltem quo ad modum; & particulares circunstantias ignota esse mysteria gratiæ etiam sanctis Angelis.

Tertiò ratione, quia supernaturalia ex propria ratione ipsorum sunt improportionata intellectui naturali. sunt enim alterius ordinis & superioris, ideo supernaturalia, quia supra naturā sunt.

Quartò, quia Angeli cognoscunt, per species sibi congenitas ab initio, at illę species cum sint naturales, sola etiam naturalia obiecta naturaliter repræsentant.

Ad argumenta, primæ sententiæ. Ad primum Respondeo omne quidē ens esse intelligibile, sed nō ab unoquoq; intellectu, sed ab intellectu proportionato. Deus maxime intelligibilis est; tamē nullus potest ipsum compræhendere, sed solus Deus seipse compræhendit.

Ad secundum alii respōdent habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis entitatiue ab Angelis non cognosci. Alii dicunt disparem esse rationem de illis, & de aliis mysteriis gratiæ. Vtraque responsio est probabilis, nam entitas horum habituum cum sit accidentalis, non ita est eleuata supra naturæ captum, at alia mysteria gratiæ maxime eleuantur, secundo probabilitate non caret,

quod

quod Angeli naturaliter hos habitus non cognoſcant, utpotè qui ſub ſuis ſpeciebus non contineantur.

Ad tertium, Reſpondeo hæc myſteria non ſolum eſſe ſupernaturalia quo ad efficiens; ſed ſępe quo ad ſubſtantiam; ſæpe quo ad rationes particulares, ideo ut ſic non intelligi naturaliter ab Angelis, ſed per diuinas illuminationes.

Ad quartum, Reſpondeo nego conſequentiam.

Ad quintum, Reſpondeo primo ſufficit ad operandum, quod ſit ſingulare, quod exiſtat. Reſpondeo ſecundo non potuiſſe inferre determinate, ibi eſt ſuppoſitum; ſed uel eſt ſuppoſitum, uel ego impedior.

Ad ſextum, Reſpōdeo primo animam Chriſti naturaliter non cognoſcere, modū quo corpus ſuum exiſtit in ſacro; ſed ſupernaturaliter. Secundo Reſpondeo dato qđ naturaliter ipſa cognoſceret; non ſequitur, ergo etiam alij Angeli; quia etiam anima cognoſcit ſuas cogitationes, & ſecreta cordis ſui, quæ quia ſunt alterius ordinis non cognoſcuntur ab aliis.

Ad ſeptimum, Reſpondeo negando conſequentiam, quia ab ſolo lumine gloriæ non eſt amplius intellectus proportionatus ad obiectum illud cognoſcendum.

DISPVTATIO XIII.

Vtrum Angeli ſint creati in fide ſupernaturali.



HÆc difficultas ideo grauior eſt, quia de ipſa Doctores ex profeſſo non tractarunt, obiter tamen plurimi eandem tetigerunt.

Et quidem Doctores illi, qui aſſeruerunt Angelos creatos eſſe beatos, conſequenter etiam negabunt Angelos in fide fuiſſe creatos; quia implicat ſimul eſſe fidem ænigmaticam, & claram uiſionem. Item illi, qui arbitrati ſunt Angelos in puris naturalibus eſſe creatos, neceſſario Angelos abſque infuſa fide creatos docebunt; quia fides eſt donum Dei, & habitus ſupernaturalis. Inter eos autem, qui ad hanc difficultatem enucleandā propius acceſſerunt, uariæ ſunt ſententiæ.

Prima eſt dicentium Angelos non eſſe creatos in fide ænigmatica, qualis illa eſt, quę in nobis eſt, ſed dicunt creatos eſſe cum habitu quodam medio, inter fidem noſtram, & uiſionem beatificam, quo Deum clare cognoſcerent, ita Alexan. Alenſis in 3. par. quæſt. 74. membro 7 8. 9. Pelbar. 3. p. Roſarij Verbo fides 3. titulo de quidditate fidei. Tartaretus. 2. diſt. 7. quæſt. unica, dubitatione ſecunda in hanc ſententiam citat Scotum, quia docet in dæmonibus ante peccatum fuiſſe ſcientiam Dei, non per fidem, ſed per

ſpeciem

ſpeciem infuſam. Eandem ipſe Tattaretus ſequitur.

Secunda ſententia eſt dicentiū Angelos non eſſe creatos cum habitu fidei infuſæ ſupernaturalis. Hanc ſententiam defendent ij, qui cenſent Angelis datam eſſe gratiam, abſque ulla plane præuia diſpoſitione, quia inter omnes alias diſpoſitiones ad gratiam maxime neceſſaria eſt fides, quæ eſt fundamentū iuſtificationis. Hanc ſententiam problematicè ſuſtinet Molina in commen.1.p. quæſt.57.art.5.diſput.2.quam prius docuerat Duran.3.diſt.23.q.9. Et hæc ſententia probari poteſt.

Primò, quia Angeli creati ſunt in gratia, ergo abſque omni fide erant filii Dei, & diuinæ conſortes naturæ.

Secundò, quia fides eſt neceſſaria diſpoſitio ad iuſtificationem poſito peccato, at Angeli initio creationis non habuerunt peccatum, a quo emundari deberent per iuſtificationem, & qui ſemel peccarunt, nunquam iuſtificationis beneficium ſunt conſecuti, ergo.

Tertiò, Angeli habuerunt euidentiam myſteriorum gratiæ in atteſtante, ſed hæc euidentia tollit fidem de cuius ratione eſt obſcuritas, ergo.

Quartò, quia ſi adeſſet aliqua neceſſitas fidei infuſæ in Angelis maxime eſſet, quia debuerunt habere aliquam cognitionem de myſteriis gratiæ, ſed potuerunt Angeli habere cognitionem ſpeculatiuam eorundem myſteriorum abſque fidei, ergo. Probo min. quia etiam Gentiles audientes a Chriſtianis myſteria fidei, ipſa cognoſcunt ſpeculatiue, licet non affectiue ad aſſentiēdum, ergo multo magis Angeli audientes a Deo fidei myſteria, potuerunt de illis habere notitiam ſpeculatiuam, ergo.

Tertia ſententia eſt dicentium Angelos creatos eſſe cum habitu fidei ſupernaturalis infuſæ, ita D.Tho.1.par.q.64.art.1.ad 4. & 22.q.5.art.1.de Veritate.q.18.art.2. Alb.2.par. ſummæ.q.20.m.2. Caietani in loca D.Tho.eandem ſententiam habet Franc.Zumel in commen.D.Thom.1.par quæſt.64.art.1.dubitatione 2. Ambr. Catharinus opuſculo de eximia Chriſti prædeſtinatione, & opuſculo de lapſu malorum Angelorum, & præmio bonorum Ruardus Tapper art.8. Viguerius in inſtit.cap.20. §.1. uer.4. Paludanus in 3.diſt.23.quæſt.4. Chartuſ.2. diſt.5.q 1. Iacobus de Valentia in Pſal.102. Ioan.a Turrecrem. in ſumma de Eccleſia lib.1.capit.25. Iacobus Naclantes in cap.2. epiſt.ad Epheſ. Claudius Guilliaudus in cap.8. Ioan.ſuper illa uerba, Florianus Nannius in cathena argentea in fine operis ſexti diei in reſponſione ad argumenta licet nonnihil hac in re hæſitare uideatur: Michael Medina lib.4.de recta in Deum fide difficultatem hanc tangit, ſed nihil determinat, uidetur tamen in hanc ſententiam pendere. Ludouicus Molina ubi ſupra hanc problematicè defendit. Et hæc de doctorum placitis.

Concluſio unica deciſiua Angeli in prima ipſorum conditio-

ne habuerũt fidem infusam supernaturalium mysteriorum. Hæc conclusio apud me est certissima, & probatur.

Primo ex locutionibus scripturarum maxime uniuersalibus sine fide impossibile est placere Deo. Heb. 11. Accedẽtem ad Deũ oportet credere &c. Iustus ex fide uiuit. Respondebunt aduersarij hæc loca de hominibus intelligi. Sed contra, quia cum uniuersalissima sint gratis excludentur Angeli. Secundo quia S. Tho. videns eandem esse rationẽ quo ad hoc, & de homine, & de Angelo simul hanc dubitationem tractat, & ex ipsa ratione accedendi ad Deum probat idipsum de Angelo quod de homine. Tum quia uere ipsi Angeli iusti erant dum erant uiatores ante peccatum, supra enim ostensum est esse in gratia conditos ergo uiuebant ex fide.

Præterea Apostolus uidetur mihi adeo exacte hanc conclusionem nostram comprobasse, ut si data opera hanc nostram conclusionem demonstrare studuisset, eam nec firmius nec efficacius demonstrare potuisset. Fortissimum enim hunc soritem conficit ad Rom. 10. Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? &c. Noto illa uerba. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? procedunt enim ex natura rei, quia uere impossibile est, ut ex toto corde, omni remota fictione, inuocent eum in quem non crediderunt; & nec credere possunt sine fide, ergo nec poterunt Angeli inuocare sine fide, Hæc autem inuocatione necessaria est ad meritum, quia saltem uirtualiter includitur in actibus charitatis. Acuta Diui Pauli argumentatio ad fidei necessitatem comprobãdam.

Secundò, Sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. docet. Nulli umquam absque fide in Christum obtigisse gratiam iustificationis, Quæ propositio uniuersalis est, nec ita facile audebit, quisquã mentem sacri Concilii interpretari, quam sola Sancta Sedes Apostolica debet explicare. Fides fundamentum iustificationis sine qua nullus iustificatur.

Sanctus Thalassius Hecatontade 7. in fine dicit: Tam Angelorum, quam hominum sanctificatio, & deificatio est sanctæ, cõsubstantialisque Trinitatis cognitio.

Sanctus Fulgentius lib. 2. ad Thrasimundum docet unam eandemque gratiam in Angelo, & in homine fuisse operatam, ut ille non caderet, scilicet Angelus, & ut iste resurgeret, scilicet homo: Si una gratia, ergo una fides.

Sanctus Basilius hom. 8. in Psalm. 32. dicit Angeli in sua conditione acceperunt firmitatem, & stabilitatem, ac constantiam in sanctificatione, ac omni sanctis uirtutibus conueniente potentia, In quibus sanctis uirtutibus sine dubio collocanda est, et fides. Et infra infantes non sunt natura creati Angeli, sed in prima cõpage, ac uelut massa substantiæ ipsorum sanctitatis primordia si-

mul iacta habuerunt. At fides cum sit iustificationis fundamentum, nulla ratione a sanctitatis primordiis excludi poterit.

Sanctus Damasc.lib.2.cap.3. & 4. dicit Angelos in sua creatione accepisse a Deo illuminationem, & gratiam, At fides proprie est illuminatio, ergo.

Tertiò, Quia Angeli fuerunt uere & proprie uiatores. Communiter autem Scolastici omnes in quæstione 1. prologi ostendunt uiatori præter naturalium cognitionem necessariam esse illustrationem quandam supernaturalium per fidem, ergo.

Quartò, Constat Angelos in gratia ac charitate esse creatos, ideoque etiam uere meruisse æternam beatitudinem per actus supernaturales charitatis. Hoc præiacto fundamento.sic argumentor. Actus charitatis,& amoris est actus uolũtatis. Voluntas quia est potentia,cæca, nõ potest ferri in incognitũ sed præexigit ante se cognitionem in eodem genere, in quo est actus uoluntatis; actus uoluntatis est supernaturalis, scilicet ille actus charitatis quo meruerunt,ergo huic actui aliqua cognitio supernaturais est præmittenda: at hæc non poterit esse nisi fides infusa ergo.Probo minorem, nam cognitio supernaturalis non est nisi uel beatificæ uisionis, uel fidei, apud Patres enim alia cognitio supernaturalis non admittitur (nisi quis forte recurreret ad dona spiritus Sancti. Verbi gratia ad donum sapientiæ,scientiæ,consilii,&c. At hæc fidem supponunt) illa autem cognitio quam Angeli habuerunt in uia non fuit beatifica,ergo fuit cognitio fidei.

Dices fuit cognitio quædam media,inter uisionem beatificam, & fidem ænigmaticam.Sed contra. Vnde enim colligitur hic habitus medius? Certe non ex scripturis, non ex conciliis, non ex patribus,erit ergo fictitius.Quid ergo mirum si etiam nomine careat? Est enim adeo fictus, ut etiam si nomina fingere liceat,huic tamen habitui nomen excogitare numquam potuerint.Hic ergo habitus gratis fingitur, sed magno cum fundamento reiicitur.

Quintò, Omnes alii habitus supernaturales, qui ponuntur in Angelis dum erant uiatores, sunt eiusdem plane rationis cum habitibus qui ponuntur in hominibus uiatoribus, ergo etiam habitus fidei. Antecedens patet, quia actus gratiæ, charitatis, timoris fortitudinis, & reliquorum donorum Spiritus Sancti, sunt eiusdem rationis cum illis, qui dantur hominibus, & ipsa uisio beatifica eiusdem rationis est in nobis, & in Angelis, ergo etiã fides.

Sextò, Ex ratione illa quæ communis est apud Scolasticos in quæstione 1.Prologi.Diuũ Thomam,prima parte,quæstio.prima artic.1. quæ cum ex ipsa natura rei procedat, complectitur etiam omnes Angelos.Hæc autem est huiusmodi. Omne agens per intellectum agit ex præcognitione finis,sed finis Angelorum,& hominum naturaliter cognosci non potest, ergo requiritur aliqua supernaturalis cognitio. Maior probatur a D.Tho.p.2. quæstio.1. art.1. quatenus ad homines spectat, sed uniuersaliter probabitur

sic.

sic. Quia per hoc distinguitur agens per intellectum, & ex electione, ab agentibus naturalibus, uel à casu, quia hæc ab interno quodam impetu, uel instinctu potius aguntur, quam agunt, Agentia autem per intellectum, excitata à bonitate quam apprehendunt in fine, media conuenientia eligunt, & dirigunt ad ipsum finem. Minor probatur ex illo Esaiæ 64. A seculo non est auditum, nec oculus uidit Deus absque te, quæ præparasti bona diligentibus te. Quod testimonium ab Apostolo citatur. 1. Cor. 2. Nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus bona diligentibus se.

Septimò, Quia communior opinio doctorum, & etiam sanior est, quod fides sit necessaria ad æternam salutem comparandam non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij, ergo sine illa impossibile erit saluari Angelos.

Octauò, Christus est caput non solum hominum, sed etiã Angelorum, ita explicant Patres locum illum, Ephes. 1. Quem constituit caput super omnem Ecclesiam: Super omnem Ecclesiam exponunt non solum hominum, sed etiam Angelorum. Non debeo in hoc prolixius desudare, spectat enim ad tertium lib. sent. ubi hoc communiter a Doctoribus tenetur. Numquid ergo Angelos, qui ut S. Basilius agit nequaquam in infantili natura creati sunt, adeo insipientes faciemus dum fuerunt in uia, ut dicamus ipsos ignorasse caput suum, qđ influebat in ipsis; de cuius plenitudine accipiebant gratiam pro gratia; qui in sanguine ipsius uincebant, & cuius gratia ad ęternam fœlicitatem prouehebantur? Absit. Atqui hoc caput naturaliter cognoscere non poterãt, quia maxime est supernaturale, longe minus per uisionem beatificam, quia erant adhuc uiatores, sequitur ergo quod per fidem cognouerint.

Nonò, Charitas uiæ nunquam potest esse absque fide, licet fides absque charitate esse possit, sed fuerunt creati in gratia, ut supra ostensum fuit, ergo etiam in fide.

Ad argumenta allata in secunda sententia. Ad primum, Respõ. ut supra probaui Angelos accepisse gratiam præuia dispositione, ideo habuisse fidem infusam.

Ad secundum Respon. ex natura uiatoris elici, quod fides sit ipsi necessaria, ut patuit in 6. argumento.


Ad tertium, Respondeo, Quicquid sit de antecedente, Angelos non talem habuisse euidentiam in attestante, quin de re maxime supernaturali, ideoque ipsis ex naturæ ipsorum principijs ignotæ dubitare potuerint, atque ideo habuisse habitum fidei.

Ad quartum Respon. illam cognitionem speculatiuam naturalem non sufficere, ut sup. ostensum est. Atq; hæc de hac disputatione.

DISPVTATIO XIII.

Vtrum dæmones cognouerint mysteria gratiæ maxime Incarnationis.

SECTIO I.



Vppono hic dæmones per peccatum, quando sunt damnati amisisse habitum infusum fidei, ideo per fidem non cognouisse, hoc mysterium Incarnationis, multo minus per uisionem beatificam, aut per super naturales illuminationes, quia hęc non contingunt damnatis.

Distinguenda etiam sunt tempora, aliter enim loquendum est de cognitione, quam Dæmones habuerũt de Christo ante passionem & promulgationem Euangelii, aliter de tempore post passionem, & promulgationem.

Post passionem dæmones coacti cognouerũt Christum esse verũ Deũ.

Post passionem enim certum est apud omnes a dæmonibus cognitum esse Christum. ipsa enim sui destructione, & morte coacti dæmones credunt, & contremiscunt. Hoc testatur aperte Sanctus Ignatius Martir contemporaneus Apostolorum epist. 5. ad Philippen. dicit: Antequam esset crux festinabat diabolus facere hoc. sc. ut Christus crucifigeretur, & operari in filiis diffidentiæ, operatus est autem inuidiam in Phariseis, & Sadduceis, in senioribus, & sacerdotibus: cum autem properaret, ut fieret conturbabatur, & postea desperationem immisit proditori, & laqueum ei ostendit; & suspendium eũ docuit; & mulieri immisit timorem in somno ipse conturbans, & compescere tentans patibulum crucis malignus enim sentiebat suam perditionem. Initium enim illi fuit ad damnationem crux Christi principium mortis, initium perditionis, Hęc ille. Præclarum etiam testimonium habetur Act. 19. diabolus enim insiliens in exorcistas dicebat. Iesum noui, & Paulum scio. Vos autem qui estis? Praeterea dæmones ex scripturis & prophetiis cognouerunt tempus aduentus Messiæ. Atque hac de causa tot horrenda facinora mundo suggesserat, ut adeo fœdam, atque coinquinatam carnem Dei filius assumere perhorresceret, atque hac ratione salus mundi impediretur, ita docuit Sanctus Petus apud Clementem Romanũ, lib. 1. recognitionum post medium, si ergo ijs addatur, quod etiam euersionem suam persenserit, omnis plane dubitatio sublata erit.

Cur diabolus Pilati vxorẽ signis perturbauit.

Astus diaboli.

SE-

SECTIO II.

Vtrum diabolus cognouerit mysterium Incarnationis, ante passionem Christi.



DE tempore uero ante passionem non ita certum est. Extant enim testimonia scripturæ & Patrum, quæ maxime pugnare uidentur inter se.

Quod enim agnouerit Christum esse Messiam, probatur.

Primò, Quia ipsa dæmonia hoc fatebantur Lucæ.7. Vt quid uenisti ante tempus torquere nos, Marci 1. & Lucæ 4. Quid tibi & nobis, scio enim, quod Sanctus sis Deus, scimus enim quia tu es filius Dei. Lucæ 7. Exibant dæmonia a multis clamantia, & dicentia quia tu es Christus filius Dei, & Christus increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum, lege Matt. 8. Luc. 4. Marci 3.

Secundò, Ex Patribus Sanctus Petrus apud Clement. Rom. ubi supra.

Damasc. lib. 2. cap. 4. diabolum maxime uersatum dicit in sacris litteris, quare cognoscere potuit tempus aduentus Messiæ. Glossa & communiter Patres in illa loca iam citata. Ambrosius, Beda, Euthimius.

Tertiò, ex miraculis quæ Christus edebat maxime ex modo, quo faciebat, declarabat enim se propria uirtute facere, nam dicebat mari, tace, & obmutesce, ægroto surge, & ambula; sed quod magis urget ex miraculis factis in attestationē ueritatis, ut Matt. 9. ut sciatis quia filius hominis &c. ita Angeli publice prædicarunt pastoribus gaudium magnum. facta erat uox de cœlo in baptismo. Hic est filius meus dilectus. Quia iam uidebat impletum tempus Septuaginta hebdomarum.

Miracula in attestationē ueritatis facta insigne robur ad ueritatem confirmandam habent.

Conclusio, Numquam diabolus ante Christi passionem certo infallibiliterque cognouit Christum uel esse uerum Deum, uel Messiam in lege promissum probatur.

Primò, ex illo Matt. 4. Lucæ. 4 Marci 2. si filius Dei es.

Sanctus Cyprianus serm. de ieiunio & tentatione Domini. Quia coniunctio inquit naturarum diabolum obcæcarat, ideo duplicem inquisionem sinnuosa callidirate orditur, ut de Christo utrum naturalis Dei filius sit certitudinē habeat, & ut cum Deus confessus se fuerit absurdum uideatur, quod Deus esuriat, & in quamcumque partem se responsio uerterit necessitas conclusionis occurat.

Theophilactus ibid. Matt. 4. Audiuit inquit latro uocem cœlestem iterum uidet eum esurientem, & dubitat adhuc, quomodo filius Dei esuriat, & tentat ut dicat.

Chrisosto. hom. 13. in Matt. & hom. 5. ex uariis hom. in Matt. San-

Sanctus Ignatius epistola 5. ad Philippenses, audierat inquit iam Virgini ab Angelo nunciatum, quod esset paritura filium Dei, Viderat & magos, uiderat post baptismum columbam. Tot igitur testimoniis perturbatus, sed nundum plene credebat. Verum, ergo uera essent, quæ audierat, pauidus, ac tremebundus explorat.

Idem plane docet auctor imperfecti in Matt. hom. 5. Titelmanus. Christianus Druthmarus. Haimo, Euthimius. Hilarius in cap. 4. Mattei.

Deinde id ipsum de diabolo dici potest, quod de Iudeis dixit. Apostolus. Si cognouisset, numquem Dominum gloriæ crucifixisset uel configi tentasset quia experientia patuit, quod quando Dæmon aduertit destrui imperium suum tentauit passionem Christi Domini impedire, ita Sanctus Salonius ubi infra.

His adde Ignatium dicentem ubi supra Christum ex desponsata nasci uoluisse ut partus eius diabolo celaretur; quam sententiã amplexati sunt Origenes. Hieronymus, Beda, Eusebius, Emissenus in id Matt. 2. cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph. &c.

Bernardus hom. 2. super missus est Gregorius lib. 3. moral. cap. 12. Sanctus Leo hom. 9. de passione Domini. Innocent. 3. serm. in feria 5. post 1. Dominicam quadrages. Sanctus Andreas Hierosolimitanus in Beatæ Virginis salutationem. Επίστη ὁ πανταχοῦ ἵνα τὰ πάντα πληρώσῃ χαρᾶς Επέστη δὲ πῶς; οὐ δορυφόρους ἔχων οὐ στρατιὰς Αγγέλων συνεπαγόμενος, οὐ κομπάζων τὴν πρόοδον, ἀλλ' ἡσυχῆ. καὶ ἠρέμα τοῦτο ποιῶν, ἵνα λάθῃ τὸν ἄρχοντα τοῦ σκότους, ἵνα τέχνῃ σοφίας παγιδεύσας τὸν ὄφιν, καὶ τὸν δράκοντα φονεύσας τὸν νοῦν, τὸν ἀσσύριον, τὸν πᾶσαν ὑφ' ἑαυτὸν δουλωσάμενον τὴν ἀνθρωπίνην εὐγένειαν ἁρπάσῃ τὸ λάφυρον. Ideſt Adest qui est ubique, ut gaudio repleat uniuersa, quomodo uero adest, non Angelorum ducens secum exercitus non suam amplificans profectionem sed quiete, & oculte hoc agens, ut tenebrarum principem lateat, ut sapientiæ arte illaqueato illo serpente, captoque assirio illo dracone, qui seruituti suę humanam libertatem subegerat, spolia auferret.

Sanctus Sabinus in explicatione parabolarum Salomonis dialogo 1. post medium dicit: Dominus Iesus, cuius gloria fuit celare uerbum, idest se esse Dei filium, quia dum in carne apparuit, magis se hominem quã Dei filium confiteri uoluit; ut diabolus eum non agnosceret; & ita passione sua genus humanum redimeret. Quoniam si eũ diabolus cognouisset Dei filium esse, numquam crucifixisset.

Gregorius Nazian. oratione in sancta lumina. Diabolus inquit se occlusit hominem expugnaturus. Deus etiam carne se occultauit diabolum expugnaturus, ut dum diabolus quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat, atque ita nocens Adamus pristinę

stinę saluti, atque incoluminati ueterem, offerat. Sententiaque ad uersus carnem pronunciata rescindatur.

Tertullianus lib. 5. cont. Marcionem initio. Nec famulis ait licet nosse consilia dominorum, ne dum illis apostatis Angelis, ipsique principi trangresionis diabolo, quos magis extraneos fuisse contenderim ob culpam, licet ea noscere, quæ circa creatorem mysteria fiunt.

Secundò, ex illo Ephes. 3. ut innotescat principibus, & potestatibus, ubi Patres a nobis supra citati dicunt intelligi de diabolo, alij uolunt intelligi etiam de Sanctis Angelis.

Ad Argumenta in contrarium Quod attinet ad confessiones illas dæmonum 1. responderi potest illos adulatorie & ficte allocutos esse ne uexarentur a Christo. In patre enim mendacii nullum non mendacij genus extimescendum est.

Secundò, responderi potest sciuisse dæmones Christum esse Messiam, at non certo & infallibiliter, sed coniecturaliter.

Tertiò, responderi potest dæmones pro tunc tremore concussos credidisse, malitia tamen sua excęcatos aliunde dubitandi occasionem accepisse.

Ad secundũ, Quidam respondent non solum diabolum sed etiã Iudeos cognouisse, quod Christus qui erat in lege promissus aduenerat propter illam prophetiam. Gen. 49. Non auferretur sceptrum de Iuda &c. & propter illas Septuaginta hebdomadas Daniel. capit. 9. Quod satis facile persuaderi potest, tum ex eo quod mulier samaritana Ioann quatto. dicit scio, quia uenit Messias. Secundò quia Christus Dominus, numquam desudauit, ut ostenderet aduenisse tempus Messiæ in lege promissum; quod satis erat tunc Iudeis notum, sed solum in eo elaborasse, ut persuaderet se eum esse Messiam, cuius tempus iam instare nouerant. Ideo quando Ioannes misit discipulos, ut interrogarent eum. Tu quis es? non respondit Christus uerbo, sed signis dicens renunciate Ioan. quæ audistis, & uidistis; ceci uident, surdi audiunt leprosi mundantur pauperes euangelizantur, ut scilicet ostenderet impletam esse prophetiam illam Es. cap. 22. quæ dicit de tempore. Messię saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit omnis lingua mutorum & c. & si hac ratione respondeamus dicendum erit. Quod licet diabolus cognouerat uenisse Messiam adhuc tamen nesciebat quinam ille esset, qui esset Messiàs.

At fortasse probabilior responsio erit uel qđ ille hebdamades, 70. uaria ratione accipi possent, uel pro hebdamadibus dierum, uel mensium, uel annorum, uel seculorum, uel decenniorum, uel pro hebdomadibus annorum solarium, uel lunarium. Quare non deerat callidissimo hosti occasio dubitandĩ. Acute enim docuit Ireneus lib. 4. cap. 43. quod omnis prophetia antequam effectum habeat enigma est, & ambiguitas, maxime quia ętiam apud doctores magna controuersia est, quid sibi uelit illa particula, Abbreuia

te lege Benedictum Pererr.in Danielem in explicatione illus loci.

Ad tertium, Respondeo ex miraculis simpliciter nõ posse infallibiliter cognosci, quod Christus fuerit uerus Deus, quia alii prophetæ ante ipsum; & post ipsum Apostoli plurima miracula fecerunt, quæ quodãmodo et maiora erant sicut dixit ipse Christus, q credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ideo Petrus umbra sua sanabat ægrotos, qd Christus non fecit. Et licet modus operandi miracula esset diuersus tamen diabolus penetrare non poterat hunc modum.

Quod autem attinet ad miracula facta in attestationem ueritatis, quó ad illa grauior est difficultas, respondeti, tamen potest. Primo quod dæmon non aduerterit, nec præsens fuerit illi miraculo. Secundo quod licet præsens fuerit, tamen Christus noluit a dæmone intelligi, sicuti Christus Dominus sciscitantibus Apostolis, quis nam esset eum traditurus, indicauit Iudam, nec tamen discipuli id cognouerant. Tertiò responderi potest, & erit optima solutio, quod ex istis miraculis, sic factis colligitur euidenter ueritas, sed euidentia credibilitatis, non euidentia rei creditæ, seu ut alij loquuntur euidentia consequentiæ, non cõsequentis, cum qua euidentia stare potest formido, & timor.

Quod attinet ad uoces illas cœlitus emissas S. Ignatius ubi sup. dicit dæmonem non percepisse illas.

Vltimo addi potest dæmonem, uel propria malitia excecatum, uel quod probabilius est diuina uirtute impeditum fuisse, ne plura cognosceret, quæ tamen naturaliter cognoscere potest. Vt patet potuisset naturaliter cognoscere an B.V. esset Virgo in partu, ante partum, & post partum, nec tamen uidit. Nec stellam euocantem Magos uidit, ut dicit sanctus Ignatius, & alia plurima, quæ ibi refert. Ita etiam si facta est salutatio Angelorum, & annunciatio natiuitatis saluatoris pastoribus: tamen ut dicit auctor imperfecti in Matth.c.5. potest Angelus bonus se abscondere, & inuisibilem se facere coram dæmone.



DISPVTATIO XV.

De dæmonum impugnatione.



Axime nobis salutaris est persępe tentatio, beatus.n. uir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam uitæ, & apud Tobiā. Quia placebas Deo necesse fuit, ut tentatio probaret te, ita Deus tentauit Abraham Gen.cap.15.

Ad immarcessibilem igitur coronam in cœlo nobis, uel cōparandam, uel augendam permittit Deus nos tentari. Ideo dæmones in hoc aere caliginoso ad exercitium bonorū inhabitare uoluit, ut ipsorum tentationibus probaremur, ita nos, sup.cū de custodia Angelorum adduximus auctoritates sanctorum dicentiū. Cuilibet nostrum duos assidere Angelos bonum, & malum. Ideo in scripturis sanctis monemur persæpe, ut ab insidiis diaboli caueamus, clamat Petrus 2. Pet. 4. fratres sobrii æstote, & uigilate, quia aduersarius uester diabolus &c. Hic semper extollitur, & eleuatur contra Deum, ideo militia est uita hominis super terram Iob 40. non est autem nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principatus, & potestates &c. contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, iste est enim serpens Genes.3. qui semper insidiatur calcaneo nostro. Adhærescit nobis, ut sentiamus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, ut non quæcunque uolumus illa faciamus. Hic est qui proprio nomine appellatur Tentator Matth.8. Accedens tentator nullum ei aptius nomen accommodari poterat, qui tentat omnibus horis, omnibus locis omnes planè hominum status, sexus, conditiones, de omni crimine, omnes tentandi artes nouit de quo Apostolus. 1.Thessalon. 3. ne forte tentauerit uos is, qui tentat, licet enim tres infensissimi hostes in perditionem nostram semper inuigilent, scilicet caro, mundus, & diabolus, licet semper nos tentent, ut deiiciant, impugnent, ut expugnent, tamen atrocior dæmonis est tentatio quippe, qui duobus hostibus reliquis scilicet carne, & mundo ad nos expugnandos utatur tanquàm instrumentis.

Tentatoris nomen quā propriè dia bolo conueniat.

Cyprianus de zelo, & liuore initio diabolus inquit semper uigilans semper insidians; idem lib. 10. de exhortatione Martirum initio. Aduersarius uetus, hostis antiquus cum quo bellum gerimus. Sex millia annorum penè compleretur ex quo hominem diabolus impugnat omnia genera tentandi, & artes, atque insidias deiiciendi usu ipso uetustatis edidicit.

Diabolus oia genera tentandi no uit.

Sanctus Salonius dialogo 2. in Ecclesiasten senex inquit stultus est diabolus, qui penè ab exordio mundi regnauit in genere humano, quod arte seduxerat,

DISPVTATIO XVI.

Qui nam effectus causentur in nobis ex dæmonum impugnatione.



Voniam contrariorum contraria est disciplina, diabolus autem Deo & Angelis sanctis contrarius, nobisque aduersarius est, ideo prudens lector ea diligenter attendat quæ de effectibus, qui in nobis fieri ex bonorum Angelorum custodia diximus, ac singulis quænam sint contraria meditetur, quę postquam inuenerit ea dæmonum impugnationi attribuat, & habebit quod quærimus.

DISPVTATIO XVII.

Vtrum omnia peccata causentur in nobis ex dæmonum impugnatione.



Vidam ita loquuntur, ut singulorum peccatorum culpam reiiciant in diabolum, imo ad sui ipsorum excusationem hoc semper accipiunt, quod diabolus in causa fuerit; ideo aniles mulierculæ singulis in rebus diabolum accusare, illi obtrectare, illum maledicere semper. Quorum locutionibus uere fauent quædam sanctorum Patrum locutiones. Dionys. 4. de diuinis nominibus Damasc. lib. 2. cap. 4. Origenes hom. 15. in Iosue in cap. 6. Hieronym. & in cap. 6. Ephes. Cassianus, art. cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te, &c.

Peccatorum nostrorũ culpa in diabolum non est conijciẽda.

Certum est non ita causari in nobis peccata ex dæmonum impugnatione, quasi dæmones menti nostræ, uel illabi, uel bonam nostram uoluntatem effectiue mutare possint, hoc enim certum est de fide, de ratione enim lib. arbitrij est, ut a nullo cogi possit.

Bene dicebat Bernardus tolle uoluntatem, non est infernus.

Diuus Augustinus debilis est hostis non potest, nisi uolentem mordere, & Psalm. 150. non uincimur nisi uelimus, diabolus potest incitare ad malum, sed non trahere delectationem inferre, non cogere, concilium ingerere, non consensum.

Dicuntur tamen peccata esse ex impugnatione dæmonum, uel ut dicit D. Thom. quia omnia peccata, quæ fiunt in nobis connexionem quandam habent cum primo peccato primorum parentum, quod dicitur quodammodo peccatorũ ianua, quia per inobedientiam illorum peccatum intrauit in mundum, uel quia omnia peccata ad finẽ eũ tendunt, & sæpe consequuntur quem diabolus

bolus intendit, ſcilicet ad ſpiritualem mortem animæ.

Cæterum certum eſt plura peccata in nobis etiam eſſe ex tentatione carnis, & mundi Ioan. Quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut eſt concupiſcentia carnis, aut eſt ſuperbia uitæ. Iacobus unuſquiſque enim tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, ita & Apoſtolus ſentio aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & illud Gal. 5. caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ita etiam loquuntur Patres Origen. 2. Periarchon cap. 2. Auguſtinus lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus capit. 82. & lib. de uera religione cap. 38. ſuſe. Greg. 11. moral. cap. 25.

DISPVTATIO XVIII.

Vtrum diabolus ſemel victus omnino à tentatione arceatur.



PElbartus ſecunda parte Roſarij. Verb. tentatio 2. §. 12. uarias doctorum ſententias refert, quorum nonnulli arbitrati ſunt dæmones ſemel uictos in infernum detrudi, Alij non admittentes ſtatim uictum dæmonem ad infernum detrudi, tamen dicebant dæmonem uictum nunquam amplius poſſe tentare, neque illum hominem a quo uictus eſſet, nec etiam alios. Alii dixerunt uictum dæmonem poſſe alios quidem tentare; ſed non poſſe umquam tentare eum a quo ſemel uictus eſſet. Alii dicebant poſſe tentare etiam eum, a quo uictus eſt, ſed non de eo peccato in quo uictus eſt, ſed de alio. Alii autem dixerunt poſſe eundem ſæpe, ac ſæpius de eodem peccato tentare, ſiue diabolus a tentatione, uel uictor, uel uictus abſcedat.

Prima conclusio. Poteſt diabolus tentare, & de facto tentat eum a quo ſemel uictus eſt. Hæc concluſio eſt de fide. probatur.

Primo exemplo Chriſti Dñi, qui ter ab eodem demone tẽtatus eſt, & ter diabolus uictus eſt, ita Matt. 8. Luc. 4. & Matt. 12. Luc. 11. dicitur. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine ambulat per loca arida &c. reuertar in domum meam unde exiui, tunc aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & ut ſupra retuli ex Landulpho, & Petro Comeſt. tentauit etiam Chriſtum in Cruce.

Secunda concluſio, ſemel uictus diabolus tentat eum, a quo uictus eſt etiam de eodem peccato in quo uictus eſt.

Cyprianus lib. 3. epiſtolarũ epiſt. 10. diabolus fortiorem quem-

que aggreditur, & acrior factus hoc ipso, quod uictus est, superantem superare conatur.

Diabolus semel uictus ardentius insurgit.

Gregor.5.moral.cap.8. antiquus hostis, quo ualentius uincitur, eo adhuc ad insidias ardentius instigatur, lib. 32. moral.capitulo 16. dæmon cum a corde expellitur acriores infigere iniquitatum stimulos conatur lib.34.moral.cap.10.Quanto se ab eis uinci spiritualiter dolet; tanto atrocius contra eos corporaliter prænualet lib.10.registri epist.38. Antiquus hostis quantum se superatum conspicit,tanto insidiari acrius non quiescit.

Concilium Romanum, sub Gregor. in decretis Gregor. Papæ in epistola ad Leandrum. Antiqui hostis insidias scitis, quoniam bellum durius contra uictores proponit.

DISPVTATIO XIX.

Cur Deus homines permittat a diabolo tentari.



Vbitatio hæc ualde moralis est, & utilior, quam curiosior eius inuestigatio est.

Sciendum est autem,quod non solum diabolus homines tentat, sed etiam ipse Deus. Gen.22. tentauit Abraham Tobię 12. necesse erat, ut tentatio probaret te, & sæpissime in scriptura. Differentia tamen maxima est inter tentationes Dei, & diaboli, tentatio enim diaboli est tentatio subuersionis, tentatio Dei tentatio est probationis,approbationis,gloriæ, coronæ. ita Diuus Augustinus epistola 146.in ser. de Abraham, & immolatione Isaac lib.3 quæstionum ueteris, & noui testamenti quæst.99. fuse hoc prosequitur lib.2. de consensu Euangelistarum cap 30. lib. quæstionum in Exodum quæst.58. De tentatione subuersionis dicitur Iacobi 5. Quod Deus est intentator malorum, & quod neminem tentat; Hic igitur non agimus de tentatione Dei, sed de tentatione diaboli. Quare permittat Deus uos diabolicis suggestionibus, ac tentationibus impugnari.

Tentatio duplex.

Prima responsio est, quia utile nobis est ad salutem tentari, non enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit,ubi deest lucta ibi non adest corona,ita Sanctus Augustinus lib.11.super hom. cap.5. & cap.22.prosunt inquit sanctis diaboli tentationes.Sed quęnam nobis utilitas prouenit ex tentatione:Quadruplex potissime.

Prima, Quia cum uirtus exercetur fit palma gloriosior,& corona illustrior.

Chrisost. homil.4. in Genesim uirtute inquit præditi clariores euadunt ex tentationibus,& hom.sequenti,uirtute claros tentatio efficit clariores.

Sanctus

Sanctus Augustinus lib. 11. super Gen. cap. 5. exercetur uirtus, palma gloriosior, scidipsum docet lib. de uera innocentia, cap. 216. & in Psalm. 60.

Secunda, Quia tentationibus humiliamur semper enim illud nobis extimescendum est. Qui stat uideat ne cadat, ita Sanctus Augustinus in Psalm. 63.

Tertia, Quia ad orationes confugimus.

Sanctus Cyprianus in expositione orationis Dominicæ. Bernardus sermone 63. de tentatione in modo bene uiuendi ad sororem.

Sanctus Gregorus lib. epistolarum, epistola 41. ex decretis Concilij Romani.

Sanctus Antonius Aegyptius epistola 2. ad Arsenoitas. Idcirco fratres obseruate ne detis oculis somnum, & palpebris dormitationem proclamantes ad proprium conditorem die, ac nocte si forte regrediatur nobis adiutorium ab excelso.

Sanctus Thalassius Hecatontada 4. (habetur quatuor hecatontades, id est sententiarum ipsius centurie in Mitropresbitico) dicit, Castiga corpus, sedulo præcare, nam statim occursu calculis cogitationum liberaberis.

Quartò, Quia homo in tentationibus experitur, quid possit, & cognoscit seipsum.

Augustinus in Psal. 55. Homo inquit plerũque sibi ignotus est. Quid ferat, quid ne non ferat ignorat, id autem ex tentatione cognoscit.

Secunda, Responsio est, quia ipse Deus pugnantibus adstat eosque auxiliatur, Psalmo. 90. Cum ipso sum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum, & Sapientia 10. Descendit cum illo in foueam, & in uinculis non dereliquit eum, ita Sanctus Augustinus, lib. soli loquiorum, cap. 16.

Sanctus Cyprianus lib. de exhortatione martirum.

Tertia, Quia Deus tantum nos tentare permittit, quantum ferre possumus. Iacobi secundo Fidelis Deus, qui non patitur uos tentari supra id, quod potestis. Sed faciet cum tentatione etiam prouentum, ut possitis sustinere.

Quod si Apostolus dicit grauati sumus supra uirtutem, uirtus duplex est, naturæ, & gratiæ, de illa dicebat grauati sumus supra uirtutem, de hac dicit, omnia possum cum eo qui me confortat. Non ego, sed gratia Dei mecum.

Sanctus Augustinus Psalmo. 90. sermone 1. Deus temperat tentationes, & tantum uenire permittit, quantum potest ferre cui uenit in Psalm. 61. Qui dat tentari potestatem, dat tentatori misericordiam, in Psalmo. 150. Quia non uincimur nisi uelimus, &c. Deus tentationes diaboli temperat.

Quod etiam docet Sanctus Cyprianus in oratione Dominica, ideo timere non debemus diaboli minas, quia ut dicit, idem San

Diaboli nequitia. ctus Cyprianus de zelo, & liuore initio, diabolus cum latenter uiuere non potest exerte, atque aperte minatur.

Quarta, Quia si tentamur, ipse tamen Deus nos adiuuat, ut uincamus, neque umquam deserit confidentes in se.

Sanctus Augustinus in Psalmo 62. Si fuerint diabolus, & Angeli eius, sicut milui, sub gallinę alis sumus, gallina quæ nos protegit fortis est Christus. bene dicebat Dauid si consistāt aduersum me castra non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo Heliseus. 4. Regum. Multo plures pro nobis adsunt, &c. Et Psalmo nonagesimo. Angelis suis mandauit de te, &c.

Quintò, Quia Deus imminuit uirtutem tentatoris. Sanctus Augustinus in Psalmo 100. Diabolus nullum tentat nulli nocet, nisi acceperit potentiam à Deo, & in Psalmo. 61. Tantum permittit Deus tentare Diabolum, quantum tibi prodest, ut exercearis, & proberis.

Sextò, Quia tot dedit auxilia interna, atque externa, tale præmium proposuit, talia supplicia comminatus est, ut maxime demens esse conuincatur is, qui ad eum peccatorum nequitiis, prolabitur, talem nobis excellentiam contulit, ut illā fœdare summa dementia sit.

Sāctus August. serm. de natiuitate Domini. Quando peccatum nos delectat, sit uobis in memoria, quod peccata uestra deleta sunt, ne perdamus pretium sanguinis Christi.

Sanctus Leo sermone primo de natiuitate. Agnosce ò Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ in ueterem uilitatem noli degeneri conuersatione recidere.

Sanctus Salonius dialogo primo, in Prouerbia Salomonis. Ad imaginem Dei factus es; honorem tuum malo uiuendo ne subdas immundis spiritibus.

Plurimæ quidem aliæ responsiones adhiberi possent, quas tu prudens, piusque lector deuote excogitare poteris iuuabuntque te maxime, quæ habentur apud Sanctum Bernardum in sermonibus. in Psalmo Qui habitat, & in sermonibus de modo bene uiuendi ad sororem, apud Sanctum Gregorium, maxime in libro moralium.

Quod si quæras cur Deus permittat tentari eum, quem nouit, tentatione euersum iri. Respondebit Sanctus Augustinin, libro de pastoribus, cap. 5. & Sanctus Cyprianus de oratione Dominica, hoc accidere propter peccata nostra. Abstineas igitur à peccatis, & uictor eris.

DI-

DISPVTATIO XX.

Qua nam arte uinci possint tentationes diaboli.



SExcentæ nobis suppetunt artes, undique præsidijs cingimur, auxiliis roboramur, copiis fulcimur, Anima nostra ueluti mistica turris illa Dauid ædificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium. Ne cedas Christiane miles hostibus, uicisti. Ecce unicam artem. Resistite diabolo dicit. Iacobus 4. & fugiet a uobis. ita B. Petrus primæ Petri 9. cui resistite fortes in fide, accipe Ephes. 6. igitur armaturam Dei, ut possis nequissimi spiritus ignea tela extinguere. Sunt autem hæc armamenta necessaria, Lorica iustitię, Galea salutis, Scutū fidei, Gladius spiritus, quod est Verbum Dei, ut undique circumseptus armis iustitiæ a dextris, & a sinistris succingas lumbos, & pedes tuos calceamentis præpares, ut ambules in semitis mandatorum Dei. Hæc arma sumamus. inquit Sanctus Cyprianus. 4. Epistolarum, Epistola 6. His nos tutamentis spiritualibus, & cœlestibus muniamus, ut in die nequissimo resistere minis diaboli & repugnare possimus. Induamus loricam iustitiæ, ut contra inimici iacula munitum sit pectus, & tutum, calceati sint euangelico magisterio & armati pedes, ut cum serpēs calcari a nobis & obteri cœperit mordere, & supplantare non possit, Portemus fortiter scutum fidei quo protegente quicquid iaculatur inimicus, possit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem, ut muniantur aures ne audiant edicta feralia, muniantur oculi, ne uideant detestanda simulacra. Muniatur frons, ut signum Dei incolume seruetur; Muniatur os, ut Dominum suum Christum uictrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio spiritali ut sacrificia funesta respuat. & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accipit ipsum complectatur, a Domino sumptura præmium cœlestium coronarum. Cypriano hæc addit. Arma contra diabolum.

Sanctus Martialis Apostolorum discipulus epistola ad Burdegalenses capit. 8. Crucem Domini in quem credidistis Deum uerum & Dei filium semper in mente, in ore in signo tenete. Crux enim Domini armatura uestra inuicta contra Sathanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & Angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo cœlestis uictoria data est nobis, & per crucem baptisma Dei sanctificatum est. Hæc Martialis.

Munias

Munias autem te ipsum ieiunio, atque animam tuam orationum iaculis munias. Extimescet enim te Satanas talibus uallatum præsidijs. Sancte enim discipulos suos sic alloquebatur Sanctus ille Antonius Aegyptius, mihi credite fratres pertimescit sanatas, piorum uigilias orationes, ieiunia, uoluntariam paupertatem nostram & humilitatem, maxime uero ardentem amorem in Christum Dominum nostrum, cuius unico sanctissimę Crucis signo, debilitatus aufugit, nam ut docet.

Sanctus Cyprianus lib. de bono patientię Christi nomine a seruis eiusmodi etiam diabolus cum Angelis suis flagellatur.

Nazianzenus etiam Apologetico primo ad Christi nomen inquit dæmones perhorrescunt. Quod si tibi insidias pericula mortemque minitetur. Audias quid.

Sanctus Thalassius hecatontada 2. dicat pro mandatis Dei usque ad mortem certa per hæc enim glorificatus ad uitam ingredieris. Quis enim te separare poterit a charitate Dei, an tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum &c. Quod si teterrimus ille satan petulanter uel tibi obsistere, uel blande molliterque adulari ceperit, contra ipsum concitato horridoque uultu, cũ sancto illo Gregorio Naziã. dicas. Fuge a meo pectore hostis uersute, fuge quam primum, Fuge a meis membris, fuge a uita mea, fur, sepes, ignis, belial, scelus, mors, hiatus, draco, bellua, nox, insidię, rabies, chaos, inuide, homicida, fuge, cede, ne te cruce ad quam omnia contremiscunt feriam. Crucem in membris meis fero, Crucem in incessu, Crucem in pectore. In Cruce demum omnis mea gloria sita est. Semper ne me caliginosis cogitationibus inficies, nec Dei numen, nec sacrificia nostra pertimescens, non te mouet. quod Trinitatis, Signo munitus metam prospiciam?

Quocirca cænose spiritus etiã atque etiam caue, ne me inficias Ecce crucem Domini fugite partes aduersæ, uincit Leo de tribu Iuda radix Dauid.

Tum demum consternatus dæmon aufugiet teterrimeque phalanges in turpissimam fugam agentur. Tibi uero uictoriam reportanti exultantes astabunt Angelorum chori, tibi gratulabuntur, tibi ministrabunt, ut enim ait.

Chrisostomus hom. 13. in Matt. te quoque post completam de diabolo uictoriam Angeli repente suscipient plaudentes tibi, teque stipatorũ more ubique comitantes. Auctor inperfecti in Mat. hom. 5. loquuntur in te & gaudium operantur. Aguntque Deo gratias & dicũt apud Bernardũ ser. 31. in cantica Gratias tibi ago Dñe maiestatis, quia desiderium cordis eius tribuisti ei & uoluntate labiorum eius non fraudasti eum. Nihil enim ardentius exoptant, quam ut nos ab omni corporeæ labis macula expeditos lætos gaudentesque ad ęterna cœli palatia in hymnis canticisque deducant, ubi cum ipsis sine fine uicturi Christo Sanctorum omnium

nium capiti coniungamur, ut cum ipso & in ipso & per ipsum æterne beatitudinis inenarrabili bono perfruamur. Quod nobis Beatissimæ semper Virginis Deiparæ precibus sanctorumque, Angelorum auxilio concedat Pater, filius ac Spiritus sanctus. Vnus ac Trinus Deus. Cui adsit omnis gloria, honor, decus, maiestas, & inperium per infinita secula seculorum Amen.

FINIS.



Atque hæc omnia, quæ in præsenti opusculo continentur, tam quo ad sententias, quam etiam quo ad verba Ego Frater Daniel Malonius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, ac correctioni, pie, humiliterque subiecta esse, & volo, & protestor.

398.569

Regiſtrum.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll,

Omnes ſunt Duerniones præter Mmm, Ternionem, Tabula per ſe patet.

VENETIIS, M D XCVI.

